
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.277



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.277



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.277



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

M.7
1. 7. 277.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Vincentij Melchiorri medici Physici

XLV
CASTR

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

D. STEPHANI RODERICI CASTRENSIS LVSITANI,

OLIM SERENISSIMI DVCIS ETRVRIÆ Sanitatis Consiliarij, & in Pisana Academia, Medicinam supraordinario loco, docentis;

SYNTAXIS PRÆDICTIONVM MEDICARVM,

OPVS VARIETATE, ET VTILITATE DOCTRINÆ præstantissimum, & ad prognosin, (quæ medicinam facienti, summopere necessaria est,) quàm vtilissimum.

Accessit triplex eiusdem Authoris elucubratio. I. De Chyrurgicis Administrationibus. II. De Potu Refrigerato. III. De Animalibus Microcosmi.



LVGDVNI,
Sumpt. PHIL. BORDE, LAVR. ARNAVD, ET CL. RIGAVD.

M. DC. LXI.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Illuſt^mo Clariſſimoque Viro

D. VALENTINO FARINOLÆ,

SERENISSIMI MAGNI ETRVRIÆ Ducis,in ſignatura libellorum ſupplicum gratiæ, & Iuſtitiæ, Conſiliario.

SVPRA laudationem ac præconium aliorum eſt quiſquis ſupra communem ſapientiam aſſurgit, Illuſtriſſime Domine; atque hæc vnicè cauſa me continuit;ne auderem ad te has Patris mei in rebus medicis prædictiones dedicare atque offerre. Cur enim ſapientiſſimo Viro, cuius iudicium oraculum eſt,non modo apud vulgus, ſed etiam apud Principes, canoras has nugas vti prouerbio dicitur, obtruderem? ſed vt ingenuè fateor, hæc etiam ipſa cauſa me impulit ad hoc obſequij genus; vt videlicet ſapientiæ tuæ radiis tenebras huius operis velarem ſimul, & illuſtrarem. Vtinam liceret eodem monumento apud poſteros conteſtari quantum & tuæ auctoritati, & magnanimitati ego tribuam,

 exhiberem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

exhiberem enim aliquod veritati testimonium; officium scilicet cuiusque viri est illos commendare qui & commendationem merentur, & iustitiæ suffragio commendantur; verum quia vti initio, dixi supra laudationem nostram es, illud mihi sufficiat hac operis dedicatione significasse vt posteri discant qualis & quantus vir fueris; sic exequar argumentum harum Parentis mei prædictionum, dum palam & medicè prædico, nihil esse mali timendum Reipublicæ si plures tui similes sapientes habeat. Vale

Dominationis Tuæ Illustrissimæ.

Maximè deditus FRANCISCVS
Authoris filius.

Ad eundem Illustrissimum

VALENTINVM FARINOLAM.

Vt tibi Iustitia & probitas, pietasque fidesque,
Sic & nobilitas, sic & abundat honor.
VALENTINE tibi, cui virtus omnis abundat,
Offero doctrinis, & quod abundat opus.

PRÆFATIO.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

PRÆFATIO.

DIVINITAS, & , quæ diuinitati proximè accedit, immortalitas (renuat quantumuis misera hominum conditio) ab omnibus expetuntur. Vtramque medica prognosis videtur adumbrare, diuinitatem in medico, ex artis præceptis diuinante; immortalitatem in ægro, ex eisdem, sibi præcauente Triplex est prædicendi ratio, vna supra naturam, quæ ad sanctos pertinet Prophetas. Hæc nunquam decipit, donum est non ars, neque scientia, neque vllis nititur humanis documentis, sed sola diuini spiritus reuelatione. Altera præter naturam, quæ spectat ad Pseudo-prophetas, & somniorum vanos interpretes. Hæc nunquam non decipit, nisi fortuito id quod prædicunt ita euenire contingat, falsis nititur sophismatis, præstigiorúmque fallaciis. Tertia secundum naturam, quæ ad naturæ operum contemplatores refertur. Hæc, vt plurimum, verax est: *nunquam enim hallucinari supra captum hominis est: sed quam minimum aberrare solius artificis est.* Cæterum naturalem scientiam multoties abusus ad inanes nanas deflectit. Hinc euenit vt Astrologia (authore Hippocrate) medico necessaria, & naturæ legibus sancita, quoniam non temperantiæ, sed petulantiæ inseruit, abeat in imposturã: lasciuiunt enim vsque ad insaniam (non hoc tacente Tacito. *Mathematici genus hominum potentibus infidum, sperantibus fal!' x.* Similem subit calamitatem physiognomia, & chyromantia, quarum neutra spernenda foret, ni à vafris, & quæstuariis hominibus corrumperetur. Physiognomiam recipit filius Syrach,

3. progn. 41.

libell. de aer. aq. & loc. & lib. de diat.

inquiens

Eccl. c.15.

Iob.c.36.

inquiens *bona facies boni viri veſtigiũ.* Ex hoc veſtigio Hippocrates, vt ex vngue leonem, mores hominum cognouit, nec Galenus aliter ſentit. Chyromantiã agnouit Iob *ſignatas à Deo manus vniuſcuiuſque* affirmans. Porrò, ſi medicina intra ſuos ſe fines contineat, ſi abſtineat à non ſuis, laudabilis eſt, imò optabilis: dignitatem conciliat, & vtilitatem. Dignitas, ob prædicẽdi ſcientiam, adeo Hippocrati eſt aucta, vt diuinus meruerit appellari, Galeno etiã, vt de ſe ipſo teſtatur creuit præſagiis gloria. Quęſtus nõ ſpernendi prænotionibus medicis comparantur. Eraſiſtratus à Seleuco rege, ob cognitũ filij Antiochi occultum, verſus Stratonicen nouercam amorẽ ſexcenta aureorum millia dicitur habuiſſe. Galenus ob præclaram prædictionem in Boethi vxore quatuor aureorũ centena dono accepit. Medicum præſagiendi peritum non in ſacrorum Vatum ſubſelliis (abſit vt hunc honorẽ quem habuerunt ij qui cum Deo colloquebantur, vel Hippocrati ipſi tribuamus) non rurſus in infimis aruſpicũ, impoſtorumq; ſediculis, quas auiditas cognoſcendi futura, ſimul cum inſcitia fabricarunt, mihi colloca. Sedeat tamen in mediis ordinibus quippe nec fallere ſatagit, nec falli ſe non poſſe arbitratur.

de prædict. ad Poſth. cap. 8.

BIBLIOPOLÆ AD LECTOREM.

NIl opus fuit, Amice Lector, in horum operum Authoris laudes longiùs excurrere; fieri enim haud poteſt, ſi Medicus es, quin ad te, quãta quanta eſt *Clariſſimi Medicinæ Doctoris Stephani Roderici Caſtrenſis* fama peruenerit, ſatis ſupérque apud omnes Medicos eximiis ſuis operibus celebrati. Habes hic poſtremum tanti Ingenij partum; quem licet morte præuentus ad vmbilicum vſque perducere haud potuerit, in Lucem tamen mittimus; tibi fructum ex eius Lectione non pœnitendum polliciti. Emerſuri porrò inde commodi maximam partem Authoris Filio debes, qui in Chariſſimi Patris Scriptis ad debitum ordinem redigendis, non parum operæ impendit. Hæc habe, & Vale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

INDEX
CAPITVM ET PARTICVLARVM, quæ in hoc opere continentur.

Pars Prima.

Continens generales quasdam adnimaduersiones.

IV. Diuisio

Pars II.

Continens Præſagia durationis morborum.

PARTIC.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Pars III.

Continens Præſagia ſalutis aut mortis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Pars IV.

Continens quicquid ad morbi ſolutionem per criſim ſpectat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

CHYRVRGICO-MEDICVS, ſeu de Chyrurgicis adminiſtrationibus Priuatæ lectiones.

APPRO

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

APPROBATIO.

D. *Stephani Roderici Castrensis Lusitani Syntaxim Prædictionum Medicarum*, attentè perlustrauimus Nos infrascripti Facult. Paris. Doctores Theologi. Nihil verò in ea percepimus, quod sanam Doctrinam, sanosque mores non sapiat: ac idcirco vtilitati publicæ duximus cudendam. Lugduni 23. Septembris 1661.

Fr. STEPHANVS MOLIN *Camelita.*

Fr. MOREL *Carmeli Lugdunensis Prior.*

Approbatio Ordinarij.

VIsa Doctorum approbatione poterit hęc *Syntaxis Prædictionum Medicarum D. Stephani Roderici Castrensis Lusitani*, tipis mandari. Lugduni die 23. Septembris 1661.

DENEVF-VILLE *Vi. Generalis.*

Consensus Procuratoris Regis.

VIsis præfatis Approbationibus, non impedio pro Rege, quin Liber cui titulus, *Syntaxis Prædictionum Medicarum, D.Stephani Roderici Castrensis Lusitani*, Imprimatur, & in lucem edatur à PHILIPPO BORDE, LAVRENTIO ARNAVD, ET CLAVDIO RIGAVD Mercatoribus Bibliopolis Lugdunensibus, cum inhibitionibus quibuscumque aliis in tali casu requisitis & solitis. Datum Lugduni die 23. Septembris 1661.

VIDAVD.

PERMISSIO.

FIat secundum Procuratoris Regij conclusiones. Datum Lugduni die 23. Septembris 1661.

SEVE.

D. STEPHANI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

D. STEPHANI RODERICI

CASTRENSIS LVSITANI,

SYNTAXIS PRÆDICTIONVM Medicarum.

Prima Pars.

CONTINENS GENERALES quasdam animaduersiones.

CAPVT PRIMVM.

Ad quod tempus respiciat Prædictio.

PARTICVLA PRIMA.

Prædictio ad tria tempora extenditur.

SI ad vim vocabuli spectes, Prædictio, & Prognosis, futurorum duntaxat sunt. *præterita dicito, præsentia cognoscito, futura prædicito* dixit Hipp. Nihilominus, Galeno authore, *Præsagitio circa tria versatur tempora.* Idcirco Hippocrates *præsentiens, & prædicens, coram ægro, præsentia,*

1. Epid. sect. 2. tex. 48.

ibidem.

1. Progn.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

1. præsag. ex pulſ. in princip. *præſentia, præterita, & futura.* Et Galenus *non eſſe futurorũ tantum præſcientiam,* ait; *ſed præſentium etiam, ac futurorum,* & alibi. *Vates nihilominus demirandus eſt, qui tanquam præſentia dicat præterita, quæ non vidit ipſe, quàm qui futura prænuntiet. Pari ratione qui ea, quæ nunc geruntur quidem ante quàm videat, nihilominus quàm ille bonus eſt Vates.*

In enarrat 1. prognoſ.

Virg. 4. geor.

Nouit namque omnia Vates
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

PARTICVLA II.

Cognitio Præteritorum.

ACcedamus iam ad vnumquodque ex tribus temporibus: nonne præterita, dum occulta latent, ſi medicus reuelauerit, diuinaſſe credetur? e. g. ſi antequam quicquam audiat ab ægroto, aut ab aſſiſtentibus, dixerit illum nocte præteritâ frigidam potaſſe, aut fluxum ventris habuiſſe; hæc & ſimilia magnam conciliant authoritatem. At *inutilia ſunt ægris* (inquit Galenus) *ſoli medico vtilia* quid ni? imò ægrotis vtiliſsima: quicquid enim medicus gratiæ, & authoritatis, apud ægrum acquirit, in eiuſdem ægrotantis commodum redundat; quandoquidem ſic audet æger, magis ſe ſe concredere medico. Sit igitur argumentum. *Ex præteritorum, quæ occulta ſunt, narratione, augetur medico authoritas apud ægrum: ex hâc, creſcit in ægro fiducia verſus medicum:* * Fiducia *confert ad ſalutem agri,* igitur de primo ad vltimum (vt loquuntur logici) *ex præteritorum narratione vtilitas accidit ægroto.* Nec verò impropriè loquimur cùm præteritorũ prognoſim dicimus, Macrobium habemus authorem. Nec à Viris doctis contemnitur: Epimenides enim Cretenſis diuinationem futurorum reſpuebat; præteritorum, quæ occulta erat, ſolam amplexabatur. Celſus de vrinarum colore albo, & rufo agens, *Illud,* inquit, *concoquere, hoc concoxiſſe ſignificat.*

1. prog. 2.

lib. 1. ſaturnal. cap. 20.

6. nat. c. 54. de anim. c. 4. * Si Auicennæ, & Algazeli credimus; *plus ægrotantis fiducia efficit, quàm medicus cum præſidiis ſuis,* queis conſentiens Meſue ait, *ille plures ſanat,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

nat, in quo plures confidunt. Duplici nomine Fiducia iuuat, primùm quia medicamenta confidenter assumpta, meliùs operantur, deinde quoniam ex fiduciâ; obedientia summopere in curatione necessaria oritur. Prosunt medicamenta si alacriter sumantur: nam quæcumque cum voluptate assumuntur, ea Ventriculus amplexatur, & faciliùs concoquit, sicut illa, quæ displicent; refugit. Hinc est quòd in cibis, *parum deterior potus aut cibus, suauior autem, melioribus quidem minus suauibus est præferendus.* Dices tamen, cibum, ob gratum saporem, naturæ amicum reddi, medicamentum, à quantumuis magno medico imperatum, suam retinere insuauitatem. Ita est, & in hac parte disparitas subest: considera tamen vlteriùs, & inuenies in hoc apparere magnum naturæ conatum ad amplectendum, quod ingratum, tanquam gratissimũ; vnde illud, propter semel conceptam spem, auidè amplectitur. Passio animi hęc est, quã parit imaginatio: *Passiones animi* (inquit Aristot.) *cum corpore sunt, quare corpus alterant, praua ad prauum, bona ad bonum*, & quemadmodum v.g. ex infelice nuntio morbus accidit, ita ex læto salus.

2. aph. 38.

1. de anim. tex. 14.

Quid verò de obedientia dicam *Ægri est vnà cum medico, morbo reluctari. Si igitur æger medico sit audiẽs, & faciat imperata, socius in certamine fit huic, morbo hostis.* Adibant prisci ægrotantes ad sacerdotes, à quibus, quasi Deorum mandata, suarum ægritudinum remedia audiebant; *qui à Deo curantur* (inquit Galenus) *ei obsequentes cernimus, illisque plerumque quindecim integros dies, vt à potu abstinerent, imperanti, qui profectò nulli medico id iubenti obtemperassent. Nam ad ęgrotum omnibus iussis obedientem reddendum, magnam vim habet, si pro certo sibi persuaserit magnam ad se inde vtilitatem peruenturam.*

1. epid. sect. 2. tex. 51.

6. epid. sect. 4. cons. 8.

* Plura de vtilitate Fiduciæ, vide apud Petrum Aponensem in suo Conciliatore different. 135.

PARTICVLA III.

Presentium cognitio.

PRæsentia quoque, dum occulta sunt, siue ab ægroto omissa, Medicus nihil interrogans, in medium afferat: sic enim admirabilem se apud omnes exhibet. Hoc accidit Galeno, vt ipsemet longa narratione cõmemorat. Erat ei nimis necessariũ in illa occasione, se præstantem Artificem exhibere: tùm quia nouus adhuc aduena erat Romæ: tùm quia vocatus à Glaucone philosopho ad hanc curationem accedebat: tùm denique quoniam æger, de cuius salute agebatur, Medicus erat, & ita

5. de loc. affect. c. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

eos qui aderant, longè meliùs poterat persuadere. Obtulit casus quod magis optandum foret: nam ante ingressum cubilis offendit famulum, qui peluim afferebat continentem cruoris saniem, carnium nuper mactatarum ablutioni non absimilem, eâ vixdùm conspectâ suspicatus est ægrum iecoris inflammatione laborare. Cuius rei, ex pulsu, certior factus, & optimè edoctus quænam symptomata hunc morbum comitentur, cæpit multa palam facere, quæ à nullo domesticorum adhuc audierat, nempe tangens costas mendosas dextri lateris, indicauit locum, in quo æger dolorem sentiebat. Præsens malum sed occultum cognouit Erasistratus in Antiocho, vt referunt Plutarchus, & Suetonius: occultum quoque mulieris Pyladen amantis affectum assequutus fuit Galenus, de quo ipsemet gloriatur: præsentium etiam præsagus fuit Cornelius ille nobilis sacerdos, qui eo die quo Cæsar, & Pompeius collatis signis in Thessalia conflixerunt, ipse Patauij conspicere se dixit procul, pugnam acerrimam; de quo præter Lucanũ author est Aulus Gellius lib. 15. noct. att. c. 18. Vidit etiam prę sens, sed occultũ Scelus Eliseus 4. Aeg. 5. quãdo Geisi puer, falsò à Syro Naamane, ipsius Elisæi nomine, dona postulauit. Sed nunquid non licet Medico ab ægrotante & assistentibus, ea, quæ ad cognitionem affectûs necessaria sunt, interrogare? imò maximè, idque ita fieri iubent tùm Hippocrates, tùm Galenus; nihilominus nihil prohibet medicum aliquando arripere occasionem, vt proprio consulat honori, ac semel interrogando insinuet diuinationem, e. g. si cognoscat fluxum ventris laboriosum ægroto superuenisse, & dicat: Fluxus ventris, quo suspicor te laborasse, erátne biliosus? Erat, vt arbitror, & antecedebãt dolores circa vmbilicum; sic præueniens se peritum ostendet, & interrogans instruetur.

lib. de prædic. ad Posthum. c. 6.

6. epid. sect. 2. tex. 43. Galenus tũ ibidem tum 6. eiusdem sect. 4. com. 9.

PARTICVLA IV.

Futurorum prædictio.

INter tria tempora, Futurum magis proprias respicit prænotiones, magis etiam necessarias, quarum vtilitates præcipuè quinque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

quinque habentur. Prima vtilitas eſt ad prophylacticen hoc eſt ad præſeruationem; ſic Galenus futuros morbos anteuertere voluit, quod præſtantius eſt, quàm eos tunc cùm adſunt depellere. Non aliter nauclerus longè vtiliùs futuram præcauet procellam, quàm graſſantem euincit. Secunda, ad decretoriam diem prænoſcendam, ne purgans medicamentum exhibeat, aut venam ea die ſecari iubeat, aut etiam ſymptomatibus, quæ criſim pollicentur, inſcitè occurrens, naturam ab opere ſuo auertat. E. g. ſi in dolore capitis hæmorrhagiam è naribus, aut vomitum pollicente, remedia adhibens, in ægroti damnum ſollicitus fiat. Tertia; Ad effugiendum impendens malum, ſic cùm primùm funeſta ſigna apparent, præcurrit medicus vt inſint ægro parata omnia E. g. Ex vrinâ albâ & perſpicuâ, aut ex aliis ſignis prǫuidetur futura phreneſis, diligens artifex his admonitus tanti mali aduentum apocruſticis fronti admotis, vel exhibitione frigidæ potionis, & aliis opportunis auxiliis præoccupabit. Quarta, ad victum inſtituendum. Hac duce ſtatim à principio *coniectabit an æger cum victu ad morbi vigorem ſufficiat perdurare, & nunquid prius deſciſcat, nec poßit cum victu perdurare, vel morbus antea deficiat neque hebeteſcat.* Nam *quibus ſtatim morbus conſiſtit, iis ſtatim tenuis victus eſt exhibendus; quibus verò poſterius debet conſiſtere, iis in ipſo conſiſtendi tempore, & parum ante illud, cibus ſubtrahendus; prius verò vberius agendum, vt æger ſufficiat.* Vera ergo eſt Aetij ſententia *citra cognitionem* (potius præcognitionem) *finis morbi, fieri non poſſe, vt ratio victus ordinetur.* Quinta, ad infamiam euitandam. Nam * *medicus futuram mortem prædicens culpa vacat internecionis, & à mortis crimine vindicatur.* Quod ſi Medico nil tale præſagiente, æger pereat, calumniam effugere neutiquam poterit: culpa enim eſt (ex Hippocratis decreto) ſi eo nec rectè curante, neque cognoſcente, æger à morbo ſuperetur. Melius quidem foret, vt omnes ægrotantes ſanos redderet, ſed quia hoc fieri nequit, ſaltem, exitum præuidens, oſtendit omnia ita rectè peracta fuiſſe, vt morbum, ſi ſuperabilis fuiſſet, ſuperaſſent. Poterítque iactanter dicere.

Si Pergama, dextrâ,
Defendi poßent, etiam hâc, defenſa fuißent.

de ſang. miſſ. cap. 7.

13. Meth. cap. 11.

1. Aph. 9. & 10.

tetrab. 1. ſerm. 1. c. 2.
** conſt. art. cap. 16.*

de affectioni. 6.
in Princip. prog.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Pro coronide adiicito omnium trium temporum prædictionibus commune esse, famam & honorem medico conciliare, quod quamuis Galenus parui facere videatur, & ab ipsa vsque adolescentia se vulgi famam contempsisse dicat, & humiliter de se sentiens nulli librorum suorum nomen suum inscribi velit. Nihilominus hyppocritam agere mihi videtur, quandoquidem ex suismet scriptis se popularis auræ captatorem exhibet. Cæterùm, ne quid nimis, eatenus gloriam & authoritatem medicus ambiat, quatenus ægrotos sic obedientiores reddat, quod vltra est, inane est & multoties magis risum, quàm admirationem commouet. Porrò huius capitis compendium sic habeto.

7. meth. c. 1.

Hipp. 1. prog. 1. Galenus ibidem & 1. epid. sect. 2. com. 48.

- Prognosis ad tria tẽpora extẽditur.
  - Præteritũ. }
  - Præsens. } Hęc duo, ad Medici authoritatẽ pertinẽt, & propterea in ægrotantium redundant vtilitatem: nam ex medici authoritate nascitur in ægroto fiducia, propter quam
    - natura medicamentũ melius amplectitur.
    - Æger obedientior redditur
  - Futurum. ex hoc vtilitas quincuplex,
    - 1. ad præcautionem tempore sanitatis.
    - 2. ad diei critici prę-notionem.
    - 3. ad effugienda futura mala.
    - 4. ad victum instituendum.
    - 5. ad calumniam euitandam.
    - omnibus commune est, Medico authoritatem conciliare.

CAPVT II.

Medici Solertia in Prædicendo.

Particvla Prima.

Aliud aliquando mente concipiat, aliud verbis exprimat.

1. Prorrh. sect. 1.

Differvnt inter se πρόγνωσις hoc est, præcognitio & πρόῤῥησις hoc est, prædictio, quoniam *Præsensio est in anima nostra. Prædictio eorum quæ sunt præcognita per vocem efficitur,*

constatque

constátque non alia quidem, in anima nos operari, alia verò prædicere. Hoc quidem ita est: cùm enim voces sint signa conceptuum; quicquid mente concipimus, vt concipimus ita exprimimus. Nihilominus hoc non tollit posse Medicum, quando oportet, aliter loqui ac sentit. Oportet autem ita agere si quando meticulosum ægrotum præ manibus habemus, sic iubet Hippocrates: semper enim (vt Celsus ait) ægrotos securos agere conuenit. Consulat verò medicus proprio honori, & ne euentum ignorasse videatur, id quod ægro occultauit, assistentibus palam faciat. Hoc à Galeno accipe: *& egressus, saltem eius curam gerentibus vera indicato*, quod etiam Celsus prudentèr admonet. Est tamen animaduertendum, hoc fieri debere, ex eiusdem Celsi consilio *sine certa desperatione* licet enim quadamtenus, non autem omnino decipere; Nam mentiendi tibi facultatem Galenus concedit, vt *neque tamen magnopere mentiaris.* Tandem Prognosis penitus necessaria est, Prædictio non ita, sed sæpè omittenda, nunquámque sine præmeditatione facienda: Prognosi præparatur artifex ad agendum, si prædictio omittatur nihil ægroto nocebis. Itaque aureis litteris Hippocratis verba sunt scribenda, quibus monet Medicum *vt quàm prudentissimè agat, tùm in reliqua arte, tùm in huiusmodi prædictionibus, illius probè memor, quòd si cui succedat prædictio, is apud ægrotum intelligentia præditum in admiratione fuerit. Si verò quis aberrauerit, supra hoc quod odio habetur fortasse insanire videbitur.*

6. epid. sect. 2. tex. 43. & Gal. ibidem.

2. prorrh.

PARTICVLA II.

Timidus sit in prædicendo.

AVdacia in prædicendo temeritati sæpè accedit: quippe audax esse non potest quicumque considerauerit eandem esse naturam, quæ nos formauit; & quæ est *morborum medicatrix.* Quemadmodum ergo in formatione contingunt monstra, ita etiam in medicina, vt Auerrhoës optimè annotauit. Hinc est quod Hippocrates timiditati incumbens. *Acutorũ,* inquit, *morborum non omnino sunt certæ prædictiones aut salutis, aut*

6. epid. sect. 5. tex. 1.

7. colliget. cap. 31.

2. aph. 19.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

mortis; dixit *acutorum*: quoniam eorum velocior est motus, & magis ambiguus. Chronici tardè mouentur, neque repentinæ mutationis signa afferunt; quod si mortis aut salutis signa in chronico adsint, firmiora sunt quàm in acuto: in vtrisque tamen medicus potest decipi; in acutis magis propter rationes iam dictas, sed in neutris habet ars infallibiles præceptiones quæ in singulis indiuiduis necessariò accidant.

* Ex timiditate adueniet Medico, vt raro prædicat, ne periculo errandi expositus incidat sæpè in foueã, & infamia incipiat laborare, quæ apud Indos non impunè erat, verùm si quẽ præsagia ter fallerent, silentij perpetui mulcta plectebatur, ita referẽte Strabone lib. 15. suæ Geographiæ, & Plinio lib. 6. cap. 9. oportet ergo medicum memoriæ commendare Hippocratis verba. *Nihil contemnere, nihil timere.*

PARTICVLA III.

Tardus sit in prædicendo.

PRocrastinatorem, non in agendo, sed in prædicendo, Medicum volo; neque Galenus aliter se gessit, siquidem prædicturus Eudemio duas quartanas, post aliquot dies interrogatus, rem adhuc procrastinauit in posterum diem donec vrinas inspexisset. Cùm enim non vni tantum signo fides sit habenda, expectare oportet donec aduenjant alia, imo diutiùs expectare, vt scias an perseuerent. e. g. Hermocrates multa patiebatur praua symptomata, & tamen *circa vndecimam diem omnia visa sunt remissa.* Nunquid prudens Medicus statim gauderet? At paulò post *coma cæpit, vrinæ craßiores, subrufæ, infra tenues, non subsidebant. Rursus decima quarta à febre erat liber*, quid tunc? properaret Medicus ad sanitatem præsagiendam? non certè, sed expectaret: quoniam *circa diem decimam septimam febris rediit, & tandem vigesima septima obiit.* Itaque tàm signa quàm euentus siue prosperi siue infausti, nec statim recreent, nec statim terreant.

de prædict. ad Posth. c. 2.

3. epid. sect. 1. ægro. 2.

PARTICVLA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

PARTICVLA IV.

Circunſpectus ſit in prædicendo.

VNi tantùm ſigno nè fidat, diximus; ſed alia expectanda: Addimus nunc, cùm plura adſunt, ad omnia circunſpiciat. Quemadmodum enim aſtrologantes, non vnius ſyderis aſpectui ſerenitatem pollicenti fidem habent; niſi ſimul conſiderent, an alia eodem tempore concurrant, quæ tranquillitatem perturbent: ita in re medicâ, poteſt vnum ſidus, hoc eſt ſignum ſalutis, ſerenitatem indicare, & ſimul alia adeſſe, quæ procellas minentur; cui autem debeat credere, cùm de ſignis loquemur, explicabimus. Profectò magnus præſagiorum magiſter Hippocrates, magnus erat ſignorum circunſpector. Apollonij narrans hiſtoriam, cùm dicat, *circa vigeſimum quartum leuiùs habuit*; adiungit, *cætera nihil immutatum*, circa trigeſimam quartam mortuus eſt: Indicauit his verbis, ſe parui feciſſe, quòd vigeſimoquarto leuiùs habuiſſet; ſiquidem in cæteris ſignis nihil fuit immutatum. Mulier in Thaſo decumbens iuxta frigidam, erat ſine voce, & rurſus reſipiſcebat; ſed *vrinæ vſque ad finem, erant nigræ, & tenues.* nihil ergo boni, ex illâ reſipiſcentiâ ſperare licebat: quandoquidem circunſpectus Medicus, ad vrinas reſpiciens, anxius erat & dubius de ſanitate ægroti. Hermocrates, de quo ſuprà, eâdem die, in quâ, febre erat liber, vrinas habebat, vti priùs, craſſiores, infrà tenues, non ſubſidentes; præceſſerat icteritia, ante ſeptimum; quam in Aphoriſmis lethale ſignum habemus; præceſſerat dies ſeptima, cum difficili tolerantiâ. Vide, quæſo, an Medicus, leuamini duntaxat, quod vndecimâ die accidit, attentus, & ad alia ſigna non reſpiciens, poſſet ſanitatem prædicere. Item mulier, quæ apud fluidam aquam, in Thaſo habitabat, febre acutâ, à partu fuit correpta, tuſſes habuit continuas multas; nunquid, quia hæ tuſſes, die decimaſextâ defecerunt, Medicus gauderet? non ita Hippocrates; ſed circunſpiciens ad reliqua, reperit, nullam coctionem ſputi fieri, nullum abſceſſum ſuperuenire, non expurgationem ex vtero, quæ maxime conueniens erat.

3. epid. ſect. 3. ægrot. 13.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

At quoniam circunſpiciens adhùc; ob ſignorum paritatem, inter bona & praua; ambiguus eſſe poteſt, accedat ad Hippocratis oraculum. *Nec verò indecorè ille ſe geret Medicus, qui, in rei præſentis anguſtiâ, circa ægrum aliquem, & imperitiâ tenebras offendente, alios quoque accerſiri iubeat, quò ex communi conſideratione, res circa ægrotum inquirantur, & cognoſcantur, & illi cooperatores fiant, ad auxilij ferendi facultatem.* Socium etiam vocato in futuri interitus ſuſpicione; quia Medicus mortem prædicens, redditur odioſus; nec mirum, ſi odioſus reddebatur apud Regem, Sanctus Propheta Michæas; vnde Rex, *odi eum: quia non profethat mihi bonum, ſed ſemper malum.* Veriſſimúmque eſt illud Terentianum. *Veritas odium parit.* Duobus igitur, mortem prædicentibus; alter alterius odium imminuit.

lib. de præceptionibus.

3. Reg. 22.

PARTICVLA V.

Cautus ſit in prædicendo.

GLoriatur Galenus ſe nullâ re vnquam prædicendâ offendiſſe; & ad ſenectutem vſque nullam neque curando, neque præſagiendo calumniam ſubiiſſe. Non ita tamen Hippocrati accidit; qui, quamuis æquales cum Diis (referente Poeto ad Artaxerxem) honores adeptus fuerit, tamen (vt ipſemet de ſe teſtatur) plus vituperij, quàm laudis ex medicinâ reportauit. Verùm concedamus Galeno hanc felicitatem, vt nunquam fuerit calumniam paſſus; nunquam in prædicendo aberrauerit: Idne illi contigit, ex magnâ peritia? ſi ita eſt; iam, non vt homo; ſed ſupra humanam conditionem, ſapere videtur: quandoquidem ipſemet fatetur, nunquam hallucinari, ſupra captum hominis eſſe. Si ergo vt homo, & non vltrà, ſcientiam habebat; aut aliquando aberrauit; aut certè, adeò cautè ſe geſſit; vt non ad artis præſtantiam, ſed ad nimiam ſolertiam, quòd calumnias effugerit, ſit referendum. Solertiſſimum eum fuiſſe, ex multis eius hiſtoriis conſtat. Præcipuè, cùm, nemine ei ſuggerente dixiſſet quæ Medicus Siculus patiebatur; dicturus enim de retractione iuguli ad inferiora, conſiderauit, hoc ſignum non niſi in magnis inflammationibus adeſſe; propterea non

1. epid. ſect. 3. com. 17. & lib. 2. de loc. affect. c. 3.

3. prog. 41.

5. loc. eff. c. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

non fuit ausus,veritus ne laudem, quam antea comparauerat, sauciaret. Cúmque animo induxisset, tutò se loqui oportere; aspiciens laborantem,dixit: *Non ita multò pòst, iugulum, ad infernas partes detrahi senties,nisi fortè iam antea tibi euenerit.* Itaque symptoma, de quo erat anceps,sub conditione prolatum, reddebat illum à calumniâ tutum; sed neque sic quidem omninò effugies: quid ni? poterat inflammatio illa,nec esse magna, nec magna futura; ac proinde, nec Siculus retractionem sentire,nec eandem sensurum. Prudenter igitur prudens Hippocrates. *Medicum*, inquit, *laudauerim vehementer, qui parum delinquat; certitudinem autem exactam rarò contigit.* Ad cuius imitationem Galenus sic ait. *Medicus autem vnusquisque, erit altero,admiratione dignior, quantò eius prædictiones, minùs fallant prædictionibus alterius.* Vt autem solerter se gerat, ante oculos habeat consilium à Galeno traditum; videlicet, ne Medicus vnquàm simpliciter, soluendum esse morbum,prænunciet, vt facere solent diuinatores; sed cum addito. *Si victus ratione à nobis,non alio quodam Medico regatur: deinde si nihil ipse peccet, & faciat quæ imperantur, omnia:* * *Postremò si nullus magnus extrinsecùs error admissus fuerit.*

de veteri medicinâ.

4. auct. 59.

lib. const. art. c. 18. & lib. de dieb. decret. c. 11.

* Quoniam, non solùm Medicum,se ipsum præstare oportet, opportuna facientem, sed & ægrum, & assistentes, & exteriora. Ab vnoquoque horum possunt errores committi, qui præsagio vim auferant. Prior error erit, ex parte Medici quod v. g. vt ait Hippocrates. *Dum natura omninò sufficit,peccatur in hanc extrinsecùs, cataplasmate, inunctione, & totius partis inspersione.* Assistentes errorem committunt, si vel Medici mandata non rectè obseruent; vel ægro intempestiuis nunciis animi pathemata concitent. Æger in se ipsum peccabit grauiter, si non obtemperans, sed intemperans fuerit; si etiam morosus, siue à naturâ, siue à morbo. Hippocrates historiam narrans mulieris, quæ in Thaso,prope filios Pyladæ in Lero habitabat, morosam fuisse ait; quasi innuens, causam difficilis sanationis: imò verò alterius ægritudiné describens,quæ gemellas pepererat, fastidiosam sæpe numero, & tetricam fuisse ait,& adiungit. *Non ad animi æquitatem potuit perduci.* In exterioribus, errores fieri possunt; exteriora autem multiplicia sunt, pluuiæ,tonitrua, fulgura, aqua,fluuius irruens,incendia, ictus; hæc & similia insomnes reddunt ægros; cùm tamen necessariò non adsint, non possunt certò præsagiri. Imò (quod Galenus animaduertit) etiam ea; quæ ex morbi ratione proficiscuntur, non possunt certò præsagiri; siquidem superfluens humor, potest in partem vitæ necessariam, subitò impelli; aut econtrà, ad ignobilem deduci; atque ita ex eo,qui ad

libell. de alim.

3. epid. sect. 3 ægr. 11. ægr. t. 14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

principem locum fertur repentina mors; ex alio, qui ad ignobilem, salus accidit repentina. Idcirco oportet semper cautè, hoc est, sub conditione, prædicere.

* Veram tibi ante oculos, medicæ solertiæ, sed laudabilis, hoc est in bonam partem propono syntaxim.

- * præsagium.
  - In animo, *Prognosis, Præcognitio, Prænotio.*
    - semper facienda.
    - semper vera.
  - In ore, *Prorrhesis, Prædictio.*
    - Non semper facienda; sed
      - Rarò --- *Sic vulgi calumniæ minùs exponitur.*
      - Tardè
        - Non nisi postquàm appareat coctio.
        - Non nisi postquàm plura signa, quàm vnum apparent.
        - Non nisi post signorum constantiam.
    - Non semper vera; sed aliquãdo: vt
      - In summo discrimine
        - Ægro prudēti, & animoso. Assistētibus, dum æger timidus, aut stultus est. — Vera
      - Citra summum discrimen
        - Ægro pudenti, & animoso. — Vera
        - Ægro timido, & stulto. — Falsa
        - Assistentibus — Vera.

- Prædictiones fiant.
  - Circunspectè
    - Cōferendo signa præsētia inter se.
    - Considerando impetū vulgariū morborum.
    - Rememorando præterita.
  - Cautè.
    - Non habendo fidem, iis, quæ præter rationem eueniunt.
    - Promittendo sub cōditione, si nullus committatur error.

Medici circunspecti, & cauti est, ad eos respicere, cum quibus, prædicendo, loquitur: aliter enim cum vulgaribus hominibus; aliter cum sapientibus; aliter cum fœminis oportet loqui.

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

CAPVT III.

Tres præcipui Testes ad Præsagiendum vocandi.

Particvla Prima.

Pulsus, Vrina, & Respiratio seorsum significant.

SOLENT communiter tres testes; Pulsus, Vrina Respiratio; ad trium facultatum labores, firmitatémve agnoscendam appellari: ita vt, Pulsus, vitalem commonstret; Naturalem, Vrina: * Respiratio, vtpote quæ animalibus fit instrumentis, animalem. Verumtamen, quoniam mutuus facultatum, inter se nexus facit, vt vnius laboribus, altera compatiatur; significatio illa, sumpta à tribus signis, ad tres facultates, non est admodum efficax; quippe hæc omnia, in morbis persæpe confunduntur. e.g. Si quis à nimiâ cruditate obstructis pulmonibus, aut compresso, propter repletum ventriculum, septo transuerso, difficulter respiret: nunquid sic difficilis respiratio, facultatem animalem laborare indicabit? siquis item in phrenitide, humoribus ad cerebrum raptis, vrinas mingat tenuës, albas, aquosas; dicetúrne facultatem naturalem non habere constantem? Pulsus prætereà durus, propter inflammationem; aut paruus, propter frigiditatem ambientis, significabitne vitalem facultatem pati? profectò nihil minùs.

Longè meliùs dicetur, pulsum & respirationem naturæ, ** siue calidi innati: (vtrumque enim apud Hippocratem idem est) vrinam, materię morbum facientis statum indicare. Morbus, pugna est inter naturam, & causam, quæ naturæ nocet: Ex parte naturæ, malum, aut bonum; pulsus, respiratióque testantur: quippe & aërem, ad calidi refectionem attrahunt; & fuligines, ad eiusdem conseruationem expellunt. Ex parte causæ lædentis, seu materiæ morbum facientis, exhibet se vrina; quæ num

B 3 victrix,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

victrix, an victa sit causa, quæ naturæ opponitur, significare potest: in eâ enim, tam coctionis vestigia, quàm ebullitionis signa, quàm etiam humoris prædominantis figura apparet.

* Ad caloris innati conseruationem machinamenta, in humano corpore, reperies quamplurima; nempe innumeras arteriarum myriades, per vniuersum corpus dispersas; meatus etiam, quibus omnia membra, ad faciliorem, tùm fuliginum expulsionem, tùm aëris ingressum sunt perforata. Nec satis hoc; sed suppetias petiit facultas vitalis ab animali; & ab eâ respirationem accepit, accommodatissimum sanè instrumentum, tàm ad ventilandum calorem, expurgandúmque à fuliginosis excrementis cor, quàm ad reficiendos spiritus. Fit itaque respiratio ab animali facultate: quoniam per animalia fit instrumenta, hoc est per musculos sexaginta quinque; quorum alij liberè, alij violenter, huic muneri inseruiunt; vocantúrque instrumenta mouentia, quemadmodum pulmones excipientia; larynx, & aspera arteria, materiam deducentia. Scio Auerrhoëm, Turisanum, & alios; respirationem, opus naturale, appellasse; persuasi ex eo quòd apoplectici; carotici, lethargici, & quomodocumque dormientes, qui nullo voluntatis fruuntur arbitrio, respirant. Huic rationi respondens quidam, voluntatem, ait, vel esse ab electione, quæ in vigilantibus elucet; vel ab instinctu, quæ in dormientibus apparet: hánc que distinctionem subtilissimo Scaligero acceptam refert. Verum ille Scaligero hunc morem gerat, mihi rem omninò impossibilem, vtpote contradictoriam nunquam persuadebit. Contradictionem inuoluit ille, qui voluntatem appellat instinctum: nam si instinctus est, voluntas non est; & ideò voluntas non est quia instinctus est. Priùs respondendum reor, relicta esse in dormientibus, quædam, confusa tamen, voluntatis vestigia, qualia etiam in ebriis relinquuntur; qui ebrietate solutâ, nihil eorum, quæ priùs egerant, meminerunt. Confirmant præterea suam sententiam, illi qui naturalem actionem, respirationem vocant, authoritate Galeni, qui ita eam appellat. Veruntamen æquiuocatio in hoc subest: Galenus namque tūc, cum respirationē, naturale opus appellat, accipit, naturale vt opponitur violento. Quòd si idem Galenus alibi, neminem, cohibere posse respirationem, dixit; intellige absque mortis damno. Hoc viderat in seruo barbaro qui se, cohibitâ respiratione interemit. Quamuis prætereà admittam respirationem omninò cohiberi non posse; potest tamen ad libitum augeri, aut minui, & hoc sufficit, vt credatur, voluntatis imperio subiici. Vel dic, animale, & voluntarium, non dici ad conuertentiam: potest aliquid esse voluntarium, non animale; vt vtinæ, & deiectionum excretio; quæ potiùs cessante, quàm operante musculo, facultatis animalis instrumento fit; & tamen liberè fit. Potest è contrario, esse animale, non voluntarium: quis enim nescit, suppositâ inspiratione, quâ, musculi, ad recipiendum aërem dilatantur; expirationem, esse opus non voluntarium: siquidem,

lib. de iis quæ in medic. fiunt.

3. aph. 13.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

quidem, dilatati per inſpirationem muſculi, debent neceſſariò, abſque voluntatis imperio, concidere! & tamen expiratio; quãtumuis abſque arbitrio voluntatis facta, ſuos habet muſculos, per quos fit; nempe externos intercoſtales; quemadmodum internos, inſpiratio; quod diligens Anatomicorum cura palàm fecit; licet, propter oppoſitos Galeni locos, confuſio; inter nonnullos, fuerit orta: Etenim *in libello de cauſis reſpirat.* Inuiolentæ expirationi muſculos tribuit qui ſunt circa abdomen; violentæ, externam intercoſtalium partem: Alibi, maximam inſpirationem fieri ait, per externos intercoſtales. Hoc tamen vltimum verius mihi videtur; verba autem in libro de cauſ. reſp. contrarium diſponentia diuturnitate vitiata.

2. de mot. muſc. c. vlt.

** Quamuis multipliciter, *Natura*, ab Hippocrate, & Galeno dicatur, præter plurimas alias ſignificationes à philoſophis receptas; nihilominus *principaliſſimum & proprium ſignificatum, quod ſecundum ipſam maximè ſubſtantiam naturæ eſt*, Temperamento attribuitur. Temperamentum autem ipſi; (vt conſtat ex eorum ſcriptis) & animam, & naturam, ſimul confundebant; imò & hæc tria, cum calido innato: ſed, quod ad præſentem rem attinet; Naturam, Galenus, tum ex Hippocratis, tum ex aliorum, tum ex propria opinione, calidum innatum vocat & meritò: natura enim eſt, *quæ animal ab initio format*, auget, nutrit, & omnia neceſſaria in corpore munia peragit: hæc eadem, caloris natiui, opera ſunt: (eſt enim ſecundùm Galenum, *omnium operum naturalium author*) quare, aut calor iſte Natura dicitur; aut (quod ferè idem in medicâ conſideratione eſt) primum eius inſtrumentum. Accipe igitur ſi velis Naturam, cum Galeno, pro facultate, *quæ ſine voluntatis nutu, ſiue citra hunc, animal regit: Accipe pro ſtructurâ*, vt quando dicitur: *præcipuè moriebantur, quorum natura vergebat, ad tabem*: Accipe pro ſpecie, aut formâ: vt quando dicimus febrem eſſe huius, vel illius naturæ: Accipe pro *quâdam vi in ipſis corporibus, quæ ab eâ reguntur habitantem*: Accipe pro mundi animâ, hoc eſt, pro admirabili quâdam Mente, quæ omnia permeat; ſemper cum medicinæ Proceribus ſenties. Vtrum verò; hoc, vel illo modo; in hoc, aut illo loco accipiatur, ex ſermonis ſerie facilè percipies. Porrò dum agimus de pugnâ, inter morbum, actiones corrumpentem, & naturam eaſdem ſeruantem, naturam, quæ has ſeruat, calidum innatum intelligere oportet.

3. aph. 2.
4. aph. 27. de marc. c. 3.
5. aph. 22.
8. de Placit. cap. 7.
6. Epid. ſect. 6. comm. 5.
1. aph. 15.
14. de Vſu part. c. 6.
2. de ſympt. cauſ. c. 1.
6. Epid. ſect. 5. in princ.
17. Vſus parte cap. 1.

PARTICVLA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

PARTICVLA II.

Inter Pulsum, & Vrinam comparatio.

DIuersa Vrinarum, & Pulsuum dignitas est, & significandi ratio. Pulsus ad malum certior est, quàm ad bonum: prauus enim, non nisi à prauâ fit causâ: bonus potest & à bonâ, & à prauâ, oriri; vt in hecticâ pestilente. Vrina è contrario, si bona sit, optimas habens conditiones, firmissimum sanitatis est signum; praua autem esse potest, & nihil mali portendere. Herophilus vrinam nigram reddens vsque ad octauam diem liberatus est. Epicratis vxor reddens vrinam subnigram vsque ad vndecimam, euasit. Meton cum vrinâ subnigrâ; in quâ, subnigra pendebant; perseuerante per totum morbi tempus, seruatus est. Mulier morosa, cum vrinâ nigrâ, & tenui, profluentibus mensibus, liberata est. Quamplurima extant exempla apud Hippocratem, eorum, quibus vrinæ prauæ nihil mali significarunt. Quod si Galenus, neminem se cum vrina nigra seruatum vidisse, planâ fide testatur; non ita fieri posse negat, nec negare posset, rem veracissimi Hippocratis testimonio confirmatam; sed sibi id videre non contigisse ait.

3. præsag. ex puls. c. 3. & cap. 4.

1. Epid. sect. 3. tex. 20. tex. 22.

1. Epid. sect. 3. tex. 24. 3. Epid. sect. 3. tert. 84.

1. cris. c. 12.

Exceptio.

Non est perpetuæ veritatis dogma; vrinas bonas præstantius esse signum: nam ab hoc dogmate excipitur vrina in morbis, in quibus malum est extra venas: *parua enim, vt vt sint bonæ, salutis sic habentium, est spes; sed non paruum, ad exitium, momentum, si prauæ sint. Nam cum qui eo modo afflictantur in præcipiti sint, si alia videatur præterea, esse in corpore affectio praua, incresceret ægro malum.* Hoc Galeni consilium ex Hippocratis fontibus est diriuatum. *Quippe consueuit Hippocrates, vbi aliquod instrumentum spiritus sit læsum, inspicere vrinas, quæ si secundum naturam se habeant, in solis spiritus instrumentis versatur periculum, sin hæ quoque prauæ appareant, offensum significant etiam nutritionis instrumentum.*

3. Epid. sect. 2. com. 6.

Corollarium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Corollarium Primum.

Si bona vrina, præſtantius eſt ſignum, quàm pulſus bonus: ſi rurſus, pulſus prauus præſtat in ſignificando prauam vrinam; manifeſtè colligitur, *Vrinam optimum eſſe ſignum ad ſalutem; Pulſum ad mortem.* Proponatur nobis æger, cum optimâ vrinâ, & quæ ſalutem maximè indicet; nempe mediocris ſubſtantiæ, coloris ſubrufi, vel ſubflaui, habeátque ſedimentum parum eleuatum è fundo matulæ, album, leue, & æquale. Proponatur in alio ægroto vrina peſſima, & lethalis; e. g. nigra. Ex altera parte conſtitue pulſum optimum, cum vehementiâ, & æqualitate; & in alio ægro, pulſum intermittentem, in duobus, aut tribus ictibus; conferto pulſum illum optimum, cum optimâ vrinâ; profectò, cum optimâ vrinâ, iam non poteſt æger mori: atqui pulſum habet vehementem, & æqualem, poteſt ingraueſcente morbo perire. Rurſus conferto vrinam nigram, cum pulſu intermittente; videbis cum vrina nigra, multos euadere; (vt conſtat ex hiſtoriis citatis) cum pulſu autem intermittente, ſaltem per duas pulſationes, rarum eſt aliquem euadere: meritò enim à Galeno, pulſus intermittens apoplexiæ comparatur.

2. præſag. ex pulſ. cap. 4.

Corollarium Secundum.

Quoniam in morbis, quorum materia eſt extra venas; vrinam, prauum ſignum eſſe, cum Galeno ex Hippocratis fonte hauſimus. Hauriatur etiam ſequens Corollarium, nempe in omni malo, tàm extra, quàm intra venas, ſuam materiam habente, ſpectandas eſſe vrinas. *Memineris* itaque, *vt ſimul eas inſpicias, in ventris affectibus, thoracis, pulmonis, neruorúmque. Nam bonæ ſi appareant, haud magnum præbent momentum ad ſalutem; contrà prauæ, amplificant ſimul ægri periculum.* Hoc ſanum prudénſque conſilium non recipit, ſeu potiùs non percipit Auicenna, qui de Voluulo agens ſic ait, *& bonitas vrinæ in hâc ægritudine, non eſt plurimæ ſignificationis ſecundum bonitatem, qualiter ergo malitia eius.* quaſi dicat, ſi bona, non ſignificat bonum, cur mala ſignificabit malum? Verùm aduertere debuerat; bonam, bonum non ſignificare; quia non egreditur è

16. tertij tract. 4 c. 3.

loco, in quo malum continetur: (contineri extra venas pro hypothesi ſuppoſuimus) mala verò, licet illius mali nullum ſecum veſtigium ferat, fert tamen alterius mali iam venis communicati; ſeu, vt meliùs dicam, non tàm prioris quàm maioris mali eſt ſignum. Ampliari námque adeò malum, vt iam ea, quæ in vaſis ſunt inuadat, pernicies eſt. Quòd ſi aliquando *in paſsionibus Ventris, ſi ſine febre fuerint, ſola extrementa inſpicere oportere ait, ſi autem cum febre, etiam vrinas*; deſcribit propria vniuſcuiuſque morbi excrementa. Hoc autem non obeſt, quin cautus Medicus ex aliis colligat, malum eſſe aliis membris communicatum. Ideò alio in loco adiunxit: *In morbis quidem thoracis præcipuè ſputamina ſunt animaduertenda; non tamen vrinarum contemplatio negligenda, & alui excrementa ſunt inſpicienda.*

1. criſ. c. 7. in fine.

3. criſ. c. 3.

Appendix Prima.

Cum per bonum, & malum, intelligimus ſalutem, & mortem; rectè dicimus bonam vrinam eſſe præſtantius ſignum ad bonum; prauum autem pulſum; præſtantius, ad malum: Si verò boni, & mali nomine, coctionem, & cruditatem intelligas; vrina quælibet abſolutè meliùs quàm pulſus, ad vtrumque ſignificandum accipitur. Significat quidem pulſus coctionem, vt author eſt Galenus ſic inquiens. *Maxima verò continentium febrium remedia, hæc duo ſunt, detractio ſanguinis, & potio frigida. Verùm illa nullo non tempore, modò vires ſuſtineant: hæc cùm & in pulſu, & in vrinis concoctionis euidentes cernuntur notæ.* Cæterùm vrina eſt, quæ directè concoctionem ſignificat; pulſus verò, indirectè & quodammodo argumento ducto. E. g. Iuuenis ille, quem tertiana inuaſit in autumno, & vere deſiit: In autumno, dum humores erant crudi, propter flatus, & tenſiones; pulſus erant duri; poſteà verò molleſcere inceperunt, eò quòd humor iam coctus flatus non ampliùs emittebat. Prætereà, vt Galenus ait, tempore cruditatis, quando dantur fumoſa excrementa, fiunt maximæ, celeréſque contractiones pulſuum. Tandem in cruditatibus, vt apud Galenum ſæpius repetitum inuenies, redditur pulſus inæqualis, inæqualitate collectiuè. His itaque modis, pulſus, cruditatem oſtendit; qui, quàm

9. Meth. c. 5.

1. ad Glauc. cap 4.

4. præſag. ex pulſ. c. vlt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

quàm ſint inferiores illi, per quem ex vrina idem venamur, nemo eſt qui neſciat.

Appendix Secunda.

Ad comparationem inter pulſum & vrinam, adde vrinam, optimum ſignum eſſe, & pulſu præſtantius, ad cognoſcendam futuri iudicij celeritatem, hoc eſt, an propè iam ſit criſis, vt Hippocrates nos docet. Ad iudicij celeritatem, inquam: nam ad cognoſcendum, an morbus, per criſim ſit ſoluendus, præſtantius ſignum ſumitur ex pulſu. Idcirco Galenus, *altos in ira, & in iudicationibus pulſus fieri*, ait, *latos plurimùm in decretoriis excretionibus.* Magnum etiam pulſum iratis, & iudicandis ibidem tribuit. Nec ſolum futuram criſim; ſed quam natura viam, in criſi, habitura ſit, pulſu oſtenditur. Vrina nihil confert ad criſim præcognoſcendam, ſed ſi ex aliis cognoſcamus morbum per criſim ſoluendum eſſe; ex vrinâ, bonam eam criſim prædicere poſſumus.

1. prog. 16. 2. epid. ſect. 2. tex. 45. 2. cauſ. pulſ. cap. 13.

Appendix Tertia.

Etiam, quando vtrumque ſignum pares vires habere contingit, * præferenda eſt vrina pulſui: quæ in vrina conſiderantur, cuilibet, vel parum exercitato innoteſcunt. Quis neſcit diſtinguere craſſam, à ſubtili, & vtramque à mediocri? Quis adeò ſtupidus, qui non cognoſcat, contineatúrne aliquid in vrina diuerſum ab ipſo ſero, an nihil? & id quod continetur vtrum innatet in ſublimi vrinæ regione; an ſubſideat in ima; an pendeat in media? pulſuum verò differentiæ difficiles cenſentur, adeò vt non niſi ſummopere exercitatum requirant medicum.

* Auicenna in febre peſtilente, tam vrinam bonam, quàm pulſum bonum falſitatis inſimulat, inquiens, *& non alteratur pulſus & aqua, magnâ alteratione, & cum hoc, ipſa eſt interficiens velociter.* Cæterùm quod pulſus poſſit immutatus permanere, potuerat ille addiſcere ex Galeno, non in omni peſtilente, ſed in hecticâ duntaxat; quòd verò vrina in febre ex putredine valde magnâ; qualis eſt peſtilens, ſiue hectica, ſiue humoralis, nullam mutationem ſubeat, neſcio vnde potuerit addiſcere. Pulſus, cum

1. 4. tr. 4. c. 2. 3 præſag. ex pulſ. c. 3. & cap. 4.

ſit quidam motus, poteſt ex accidente variari, itavt reddatur moderatus. Vrinæ bonitas conſiſtit in tribus, colore, ſubſtantia, & contentis. Si ex accidente color reddatur bonus; ſubſtantia, & hypoſthaſis, adhuc manent in ſua priore prauitate. Deinde motus poteſt à contrariis cauſis, vnâ impellente, alterâ retardante, ad mediocritatem reduci; vrina laudabilis non fit, niſi à laudabili calore. Neque verò quicquam valet ſubterfugium, quod aliqui, vt Auicennam defendant, imaginantur; Naturam ſcilicet, non audere aggredi pugnam; ac proinde vrinas remanere inalteratas. Non, inquam valet: coctio námque non fit ſolùm, quia pugna non adeſt; ſed quia adeſt temperatus ille calor, optimum naturæ inſtrumentum, quod ſi abſit, impoſſibile eſt, licet pugna non fiat, vrinas exire concoctas. Prætereà naturæ opera non ſunt libera, vt poſſint ad libitum fieri, & non fieri: imò verò ſunt neceſſaria; & dato agente debitè patienti applicito, ſequetur actio; ſic non eſt verum, cauſam morbificam in corpore adeſſe, & non ſequi pugnam. Tandem cum morbus (vt dictum eſt) ſit pugna inter naturam & cauſam præter naturam, quis dicet adeſſe morbum, & non adeſſe pugnam? Abeat igitur vetus iſta, ſed inanis excuſatio. Excuſationem alteram riſu excipio *cum vrinæ in febribus*, ait quidam, *ob calorem præſertim varientur; propterea non multùm variante à ſtatu, naturali caliditate, neque etiam has multum variari oportet.* Quid audio? An ob calorem vrinæ variantur? at in Ephemeris, calor ſit maximus, accensâ ſcilicet tenui, ſpirituosáque ſubſtantiâ; & tamen ex Galeni teſtimonio, in huiuſmodi febribus *vrinæ, nonnullæ quidem, ſuſpenſiones; nonnullæ verò, ſubſidentias bonas habent; quædam, autem nebulas: omnes verò, benè coloratæ ſunt.* Scito bone vir, materiam eſſe, quæ vrinas tingit, quæ eaſdem incraſſat, quæ hypoſthaſim bonam, aut malam efficit. Inſtabis adhùc, calorem eſſe, qui materiam immutat; eſto: ſed, nunquid in peſtilente, quoniam calor non eſt admodum tactui manifeſtus, materiam agnoſcis immutatam? ne quæſo ad veneni occultam ſubſtantiam confugito: hæc enim quamtumuis occulta, & à putredine ſuum habet ortum, & putredinem, corruptionémque operatur.

2. criſ. c. 13.

Cardanus in omnes, vt plurimùm infeſtus, Auicennæ, in hâc parte, voluit patrocinari; fortaſſis ne in hac parte, cum paradoxo ſuo genio belligeraret. Tres ille, in Auicennæ gratiam, excogitat rationes; ſed infeliciter. Prima, *in febre peſtilente contingit vrinam eſſe bonam: quia febris aliquando eſt de genere hecticarum ſiue ephemerarum.* Cæterùm debuerat meminiſſe, dari quidem febres hecticas peſtilentes, non tamen ſine putredine, cuius vi citò interimunt; ſed hecticæ dicuntur, quoniam putredo earum, ſubſtantiam cordis arripit, quemadmodum in ſimpliciter hecticis calor occupat ſubſtantiam. Sic peſtilentes ephemeræ, quæ cum ſpirituum putredine eueniunt, qualis eſt ſudor britanicus: neque etiam hæ, inalteratam relinquunt vrinam: quippe ſpirituosâ ſubſtantiâ putreſcente, quæ ſimul cum ſanguine intra vaſa continetur; non poſſunt vrinæ in colore, ſubſtantia, contentis, inculpabiles permanere. Altera. *Natura in illa febre non agit actione, quæ ſeparet aliquid ex materiâ: quia non poteſt, ideóque relinquitur vrina quaſi nulla*

ſit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſit materia in corpore. Sed dicat mihi Cardanus, ſi non adſunt ſeparationis notæ, nonne aderunt ebullitionis? At agitatione materiæ, fiunt *vrinæ perturbatæ, quales ſunt iumentorum*: deinde quænam eſt iſthæc Natura, quæ agit in materiam? nempe calor innatus: At calor ſemper agit ſeparando heterogenea; quæ, ſi ob imbecillitatem agentis, aut ob reſiſtentiam patientis, ſeparare omninò non poteſt; ſaltem confuſa relinquit; & ſic quidem vrina immutatur. *Addit demùm in febre peſtilente, vrinam ſimilem effici ei, quæ à moderato calore fit, qualis in ſanis eſt; ob debilitatem ab eadem febre inductam.* At ô Cardane, debilitas non efficit aquoſam vrinam, vbi cauſa adeſt, quæ eandem tingere poteſt. Præterea concedam tibi hanc chymeram; erit quidem ſic vrina, in colore laudabilis, non tamen in reliquis; & tamen tria in vrina bona requiruntur. Fernelius dum aliam, pro Auicennæ placito, rationem reddere conatur; nihil aliud agit quàm fucatæ orationis proiicere ampullas; inquit enim. *Cum ſanguis, & humores labefactentur, non tamen putreſcunt, vnde nec turbidæ, nec confuſæ viſuntur vrinæ; ſed ſubſtantiâ, colore, ſedimentóque laudabiles.* Quæro Ego à Fernelio, quænam eſt iſta humorum labefactatio citra putredinem?

4 aph. 70.

2. de abd rer. cauſ. c. 12.

PARTICVLA III.

Comparatio inter Pulſum & Reſpirationem.

NOn ſolùm, cum vrina; ſed etiam cum reſpiratione, pulſus comparatur. Porrò Reſpiratio, & Pulſus, in quibuſdam, inter ſe differunt; in aliis conueniunt: diſſident quoniam Pulſus naturalis quodammodo eſt motus; nunquam enim interruptus, & extra omne voluntatis imperium exiſtit; Reſpiratio aliquando pro arbitrio mutatur. Deinde Pulſus efficientem cauſam habet ſolam naturam, Reſpiratio animam; Pulſus organa ſunt arteriæ, Reſpirationis muſculi; Pulſus fit à corde, Reſpiratio non à corde, ſed propter cor. Tandem quinquies pulſat cor, interuallo vnius reſpirationis. Conueniunt autem quia tàm pulſus, quàm reſpiratio eidem ſeruiunt facultati, nempe vitali: ſolius námque cordis ergo; ſeu innati caloris; cuius cor eſt fons; vtraq; actio inſtituitur. Eadē eſt vtriuſque finalis cauſa; ſcilicet triplex neceſſitas, videlicet præſtādi refrigeriū, noui aëris ingreſſu; eiuſdē aëris ſubſtantiam, in ſpirituum reparationē attrahendi; fuliginoſa excrementa expellendi. Conueniunt tandem in ratione motus; conſtant enim ambo diaſtole, & ſiſtole, & gemina quiete.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Cæterùm, licèt ambo ſint propter cor, diuerſitas in eo eſt, quòd reſpiratio eſt duntaxat cordis gratiâ; pulſus, gratiâ membrorum, & cordis etiam.

Appendix Prima.

Adiunge aliam differentiam: cum enim reſpiratione ablatâ moriatur animal; ſi autem plures arteriæ ligentur, non adhuc peribit, fit vt reſpirationis interceptio mala habeatur, tanquam cauſa, & tanquam ſignum: tanquam cauſa, quia priuat cor ſuo ſolito, & neceſſario refrigerio; tanquam ſignum, quia indicat animalem facultatem laborare, ni ex aliis ſignis conſtet inſtrumentorum vitio id fieri. Pulſus verò intermittens ſignum eſt prauum, minimam autem, vel nullam rationem cauſæ habet.

Corollarium.

Collige, magis horrendam eſſe reſpirationis, quam pulſuum interceptionem, dummodò (vti dixi) reſpiratio non lædatur inſtrumentorum culpâ, ſed facultatis. Patet hoc: quoniam pulſus intermittens, in *ſenibus & pueris* fit ſine periculo: Reſpiratio autem intercepta norma eſt, quâ fortitudinem Apoplexiæ menſuramus.

2. præſag. ex pulſ. cap. 1.

Appendix Secunda.

Quoniam reſpirationem cum pulſu, vt rationem ſigni ſubeunt, conſideramus, conſiderabilis inter vtrumque differentia eſt, quòd pulſus vitalem tantùm facultatem demonſtrat; reſpiratio animalem, & vitalem. Phrenitici reſpirationem habent magnam, & raram; dolore vexati paruam, & frequentem; vtrique animalem facultatem laborantem habent, nempe phrenitici internam; dolentes, externam potentiam. Rurſus febrientes, irati, quomodocumque vitalem facultatem vexatam habentes, reſpirationem immutant. Pulſus, niſi vitalis alteri compatiatur, ſolius vitalis indicat affectum: ſi compatiatur, tunc ſignum eſt alterius facultatis, non propriâ ratione ſed compaſſionis neceſſitate.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Appendix Tertia.

Differunt tandem pulſus & reſpiratio : Quoniam pulſus, leui quolibet pathemate mutatur, ac proinde ex Celſi decreto *fallaciſsima res eſt* ; reſpiratio non ita ; ſed grauem arguit cauſam & verus eſt teſtis. * Cæterùm quamuis fallacior ſit pulſus : quia leui de causâ mutatur, nihilominùs eâdem ratione præſtantiſſimum ſignum dici debet ; ſiquidem in eo quælibet exigua alteratio , quam reſpiratione non dignoſcimus, meliùs apparet. Tactu etiam pulſus percipitur, & hæc non contemnenda eius eſt dignitas : quippe tactus exquiſitiſſimus eſt iudex. Vltima pulſuum dignitas , ſed dignitate , prima cenſetur , quòd plures rerum nobis oſtendit differentias, nempe *futuram criſim* , *criſis ſpeciem* , *robur facultatis* , *dolorem* , *inflammationem* , *plenitudinem.*

* Pulſuum præſtantiam dum extollimus , videmur rem inutilem fruſtra laudare : quandoquidem (vt ait Galenus) ſigna ex pulſibus ſumpta Hippocrates , reliquit *vel quia non nouerat , vel quia non magni momenti existimauit* ; *idcirco non eſt aſſequutus.* Verùm , quicquid Galenus dicat, nouit quidem magnus Hippocrates pulſum , & contemplatus eſt arteriarum motiones , tùm in temporibus , tùm in brachiis ægrotantium , vt ex multis eiuſdem hiſtoriis conſtat, quarum vnam vel alteram affert Amatus Luſitanus. Multas præterea congerit Ludouicus Mercatus in præfatione ad tractatũ de pulſibus. Quod ſi ſphygmicam artem methodo non tradidit , forſitan & ante eum , & eius temporibus recèns natæ artis rudimenta , huc non accedebant. Forſitan etiam vir ſincerus manifeſtis pulſuum differentiis contentus , alias noluit indagare , quarum aliquæ non re verâ ſed duntaxat imaginationis opere exiſtunt. Aliæ parum ſunt neceſſariæ. Sufficiat, ad pulſuum doctrinam commendandam , plurimos artis Proceres , & ei incubuiſſe ; inter quos recenſentur Aſclepiades , Eraſiſtratus , Archigenes , & alij vſque ad Galenum maximum huius artis cultorem.

3. criſ. c. vlt. & alibi.

cẽt. 3. cur. 4.

Non tamen eis aſſentior , qui pulſui , abſolutè principatum in ſignificando tribuunt : ne indiſſolubilia , ſe attuliſſe argumenta putent , ſingulis reſpondere erit operæ pretium. Aiunt *primò* vitam magis in facultate vitali , quàm in naturali conſiſtere : ſiquidem ſine alimento poteſt homo per aliquot dies in vita permanere , ceſſante facultate vitali ne momento, quidem temporis vita durat. Sed vide quàm ſit præter rationem iſthæc ratio. Inprimis, hominem , facultate naturali omninò extinctâ , in vita permanere , ab omni veritate eſt alienum : nam in eo , qui alimentum

non

non accipit, adhuc calor naturalis operatur, carnes videlicet (si non aliud inueniat) recoquens. Prætereà, licet magis vita dependeat ex facultatis vitalis duratione, quàm ex perseuerantiâ virtutis naturalis, hoc concludit dumtaxat validius esse signum ex pulsu, ad significandam mortem, non ad significandam salutem: salus námque est victoria naturæ supra causam morbum facientem; hanc autem victoriam vrina manifestè indicat. *Altera ratio.* Victurúsne sit homo, an moriturus ex signis salutis, aut mortis conuenientiùs agnoscitur, quàm ex signis coctionis, & cruditatis: nam salus, & mors propiùs ad hanc præsagitionem accedunt, quàm coctio, & & cruditas. Hæc ratio inanis est; pulsus siquidem, facultatis duntaxat robur, imbecillitatémve ostendit: vrina verò non solùm vires significat; sed materiæ obedientiam, rebellionémve, morbi etiam longitudinem, aut breuitatem; quæ omnia oportet vt cognoscat is, qui salutem, aut mortem est prædicturus: nisi enim attendat primò ad morbum, & ad naturam, tanquam ad duos colluctatores, deinde ad morbi ideam, & longitudinem; non meliùs de salute ægrotantis aliquid præcognoscet, quàm si quis velit prædicere, posśitne quispiam portando oneri sufficere; nec agnoscat viæ longitudinem, & magnitudinem oneris. Nec verò recipiendus est Christophorus à Vega, inquiens notas cruditatis, & contrarias coctioni, nullo modo significare longitudinem, aut breuitatem morbi, nisi ad facultatem collatio fiat; ad quod credendum eâ ducitur ratione, quòd cum facultate validâ, morbi lethales diutiùs durant. At oportuerat considerare, durationem istam, exigui esse momenti; nec ex eâ, morbum longum constitui: coctiones verò, quas iudicij celeritatem indicare dixit Hippocrates, sunt quæ longam efficiunt morbi constitutionem. Ridiculum prætereà est, quod addit, pulsuum videlicet notitiam, non parum conducere ad cognoscendam longitudinem, aut breuitatem morbi: quia longitudo, & breuitas pendet ex collatione facultatis ad morbum. Pendet quidem non tamen ex collatione facultatis vitalis, sed naturalis: coctio verò est quæ indicat esse facultatem naturalem morbo superiorem, quid ergo vltra quærendum est ex pulsu, qui ad vitalem pertinet? sanè ad mortem non ad salutem præcognoscendam inseruit pulsus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

* Hæc omnia in ordinem redacta sic accipito.

- * Tres testes in omni morbo perquirendi.
  - Pulsus.
  - Vrina.
  - Respiratio.
- hi omnes
  - conueniunt
    - Pulsus & Vrina — *quoniam, tàm ex pulsu quàm ex vrinâ coctio percipitur.*
    - Pulsus & respiratio
      - ratione motus --- *constant námque diastole, & systole, & gemina quiete.*
      - ratione causæ -- *Habent vnam & eandem causam finalem, attractionem aëris, & expulsionem fuliginum.*
  - differũt
    - pulsus & vrina
      - pulsus præfertur vrinæ,
        - propter cognitionẽ futuræ crisis *an morbus soluendus sit per crisim.*
        - propter cognitionem viæ, quam in crisi accipiet Natura.
      - vrina præfertur pulsui
        - propter maiorem euidentiam in significando.
        - propter coctionis notas, *quas habet directas; pulsus verò indirectas.*
        - propter cognitionem temporis futuræ crisis.
    - pulsus & respiratio
      1. quoniam *respiratio, pro arbitrio mutatur; non autem pulsus.*
      2. quoniam *pulsus est actio vitalis; respiratio animalis.*
      3. quoniam *pulsus fit à corde, tùm propter cor; tum propter refrigeriũ mẽbrorũ; respiratio non fit à corde, sed fit propter refrigeriũ solius cordis.*
      4. quoniam *respiratione ablatâ, moritur animal; si pulsus plurium arteriarum impediatur, non peribit.*
      5. quoniã *respiratio est praua causa, prauúmque signum; pulsus prauũ est signum: causæ autem, vel nullam, vel minimam rationem habet.*
      6. quoniam *respirationis magis horrẽda est interceptio, quàm pulsus.*
      7. quoniam *pulsus vitalem tantùm facultatem demonstrat; respiratio & vitalem & animalem.*
      8. quoniam *pulsus leui quodam pathemate mutatur, respiratio nõ ita.*
      9. quoniam *pulsus tactu percipitur, non autem respiratio.*

CAPVT IV.

De Signis.

PARTICVLA PRIMA.

Signorum necessitas, & natura.

introduct. cap. 7.

HERODOTVS, siue quisquis is fuit, introductorij auctor, inter omnes medicinæ partes, signorum obseruantiam præcipuè commendat. Facit hæc ad suscipiendam cum honore curationem *vt cognoscas quibus mederi queas, & quæ minùs necessaria sunt.* Si ignarus desperatis, quando solis prognosticis sunt relinquendi, curatricem admoueat manum, in vulgi, imò & sapientum meritò incurret calumniam : ita rursus, si de ægrotante conualituro desperauerit, exsibilabitur. Consideret igitur edoctus ab Hippocrate. *An similia, an dissimilia, principio à maximis, à * facillimis, à quibuscumque, quomodocumque cognitis, quæ videre, & contingere, atque audire licet. Quæ item oculis, tactu, auribus, odoratu, gustatu, mente sentiuntur.* Hinc deductam arbitror signorum definitionem. Nam dum ait *à facillimis quomodocumque cognitis* occasionem dedit auctori definitionum medicarum dicendi; *signum esse id, quo cognito, aliud, quod ignotum nobis erat, deprehenditur.* Non valdè dissimiliter, extra medicos concellos, D. Augustinus signum appellat; id, *quod & se ipsum sensui, & præter se aliquid animo ostendit.* Hippocrates *mente sentiri dixit*; *Augustinus sensui offerri*; nec tamen dissentiunt : nam sensuum nomine, non solùm externi sed etiam interni accipiuntur; mentis vocabulo non solùm intellectum, sed internam quoque potentiam audimus. Vel dic vocabulum Γνώμη, quo Hippocrates ibi vtitur, ad multa extendi significata: significat enim non solùm voluntatem, consilium, opinionémque, & alia huius census; sed notitiam, & sensum. Adiuuat hanc coniecturam,

in princ. de officin. med.

De princip. dialect. c. 9.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

iecturam, quod dixit, *mente sentiuntur*; quamuis aliqui, quoniam (*mentem*) vertunt, inquiunt Hippocratem sentiendi verbo fuisse abusum. Quamuis etiam mentem eo vocabulo non impropriè significari, multis auctorum dictis comprobetur. Itaque signum imaginationi offertur, quæ vel à sensu communi non differt; vel saltem ei per quam vicina est; & ita dicitur se ipsum sensui offerre. Deinde quoniam, vt significet, necessarium est vt accedat compositio, & diuisio, & hoc ad cogitationem spectat, additur *præter se aliquid animo commonstrare*. Communis Logicorum schola faciliùs signum describit, *quod potentiæ cognoscenti aliquid repræsentat*.

* A facillimis, magisque cognitis, dum ait, videtur excludere causam respectu sui effectus, & effectum respectu suæ causæ. Nam multoties causam cognoscimus, effectuum prorsus ignari; multoties etiam causam ignoramus, effectus autem nobis sunt noti. Attamen Galenus *quicquid ab aliquo, tanquam à causâ procedit illius signum esse* scriptum reliquit, atque ita effectum signum esse suæ causæ voluit. Rursus, causam rationalis Medicus speculatur, vt cognoscat effectum, hoc est, affectum; vt in hoc, ab empyrico differat, quandò hic affectui duntaxat sine signis incumbit; ille causas tanquàm signa quædam rimatur. Quapropter licèt effectus, & causa per accidens, (inter quæ duo, nulla est naturalis habitudo, quæ ab vno ad aliud mentem dirigit,) non se inuicem significent; licèt etiam aliquando, vel effectum, vel causam non perfectè penetrantes, non possimus vnum ex alio cognoscere. Nihilominùs causa, & effectus *per se, si perfectè cognoscantur*, non possunt non inuicem significare. Rationem huius rei, vt nos doceret D. Thomas, didicit à D. Dionysio: eam sic accipito. Omnis effectus, (esto sit æquiuocus,) est similitudo suæ causæ, quatenus causam imitari conatur, & ex consequente eam repræsentat. Causa autem non quòd similitudo sui effectus, neque quòd suum effectum imitari dicatur, illius signum est; sed, vel quoniam compertum est, & experimento comprobatum, ex hac causâ, hunc effectum; ex illâ, illum oriri; vel quoniam perfectè cognitâ naturâ causæ, eius quoque virtutem, ac necessariâ consequutione, effectum, ab eiusmodi virtute processurum cognosci consentaneum est. Non tamen negabo, meliùs ab effectibus causas, quàm à causis effectus cognosci.

5. de loc. aff. c. vlt.

introduct. cap. 8.

D. Th. 1. p. quæst. 12. art. 2. ex Dion. de diuinis nominib.

Corollarium Primum.

Ex signorum necessitate, colliges medicinam esse artem coniecturalem: quippe Medicus semper ante oculos habet signa. At Σημεῖον id est, signum, vt auctor est Galenus, *non necessariam*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

3.prog.39. *nec aſsiduè, ſed magnâ ex parte duntaxat, notionem habet.* Et in
hoc differt ab indicio ſeu indicatione. Nam Ἔνδειξις ſiuè Τεκμήριον
hoc eſt, indicium ſeu indicatio in demonſtratione neceſſariò,
& aſſiduò, alterum, alteri conſequens habet. Cum itaque me-
dicina ſemper inter ſigna verſetur; & ſigna non ſemper, ſed
magnâ ex parte, notionem habeant; cùm præterea coniectu-
3.loc.aff.c.3. ræ vi, (vt vult Galenus) notiones magnâ ex parte veras aſſe-
quamur; fit vt medicina, coniecturalis ars cenſeatur. Eſſe con-
iecturam mediam inter exactam notitiam, & omnifariam igno-
rantiam, teſtatus eſt Galenus; & idcirco, teſte eodem, non ad
1.loc.aff.c.1. Veritatem accedit, hoc eſt, non ad infallibile verum; ſed ad
1.criſ.c.9. verum propè infallibile. Excuſandus ergo eſt Medicus, ſi ali-
quoties finem ſuum, non aſſequatur, quandoquidem artis eſt
art.med.c.7. artifex, quæ finem ſuum non ſemper aſſequitur, vt cum Galeno
introduc.c.5. auctor introductorij affirmauit. Neque hinc ſequitur (quod
Argenterius in Galenum cum opprobrio congerit) culpam
Medici, in artem coniici: imò nec Medicus; nec medicina cul-
pam habent. Medicus, quia præceptis imbuitur eius artis,
quæ finem non ſemper aſſequitur; ſi hunc non aſſequatur, cul-
pæ immunis eſt: Medicina non decipit; ſed cùm coniecturâ
nitatur, eò accedit, quò coniecturalis ars poteſt accedere.

Cardanus, non medicinam, ſed medicinæ exercitationem
coniecturalem eſſe dixit: quia nihil ſcientificum, & artificio-
ſum, poteſt eſſe ſimul coniecturale: ars enim, & ſcientia eſt
habitus rectâ ratione directus. In quo mihi videtur velle me-
dicinam diuidere in docentem, & vtentem; itavt medicina
vtens coniecturalis ſit, docens verò minimè: ſed rogo Carda-
num vt mihi dicat, quibus præceptis vtitur Medicus, dum
artem exercet? Reſpondebit, arbitror, docentis; alioquin quor-
ſum eſt docens, ſi quomodo vtendum ſit, non docet. At ſi
præcepta non ſunt coniecturalia, erunt demonſtratiua, quis
ergo demonſtratiuis habitibus inſtructus coniecturaliter pro-
cedit. Sciat igitur habitum artificioſum, rectâ quidem ratione
vti, ſed non infallibili: neque enim demonſtratiuo ſemper, ſed
5.ethic.c.3. aliquando opinatiuo medio ratio procedit. At coniectura, exi-
1.magn.mo- ſtimatio quædam eſt, vt colligitur ex Ariſtotele; exiſtimatio
ral.c.vlt. autem eſt opinio.

Reſpon

Respondebit aliquis pro Cardano: cõiecturalem quidem facit artem, remediorum quantitas; imò non solùm quantitas, sed & occasio: faciunt, inquam, ista coniecturalem artem medicam in exercitatione, non in se ipsâ: quippe ars optimè docet, quæ cuilibet morbo quantitas debeatur remedij; exercitatio autem hæsitat. Sed interrogo cur Medicus, dum exercet, hæsitat? respondebit ille quoniam tametsi ars doceat in quodam certo morbi gradu, & statu, postulari certam remedij quantitatem; exercitatio, an hic sit ille gradus & ille status, quem ars proposuit, non assequitur. Ita sit, sed cur exercitatio id non assequitur? non aliud habebit quod respondeat, nisi, quia signa quibus hoc cognoscitur, non sunt infallibilia. Sed quis hæc signa subministrauit? nempe ars. Ars ergo est, quę coniecturalem naturã habet. Imò verò Galenus, magis arti, quàm exercitationi, coniecturalẽ hanc tribuere naturã videtur: siquidem *Medicus*, ait, *in curatione scientificè procedit, coniectura verò est in cognitione affectuum.* Neque tamen ex his Galeni verbis colligas cum Argenterio, illum sibimet, qui alibi artem coniecturalem dixit, aduersari. Nam ars & exercitatio coniecturis nituntur; verùm Ars tunc maximè, cùm cognitionem per signa docet; quæ nisi sint pathognomonica, non sunt infallibilia: exercitatio verò, hoc saltem habet, quòd cognitâ naturâ morbi, iàm ex hypothesi, necessariam remediorum notitiam habet. Cæterùm de artificiosâ coniecturâ inferiùs, cum Erasistrato aliquid dicam. Interim scito artem & artis exercitationem easdem habere vires: neque enim ars magis certa est, quàm exercitatio, quòd exercitatio, non ars, circa indiuidua versatur. Quippe hoc verum erit apud stupidos Methodicos, qui, vt Galeno, communem esse omnium hominum curationem (quæ extrema dementia est) existimabant.

de curat. per sang. miss. c. 12.
1. ad glauc, cap. 1.
2. comp. med. secundùm loc. c. 1.
3. Meth. c. 7.

Corollarium Secundum.

Ex qualibet signorum definitione colliges, necessarium esse, vt omne id quod signum dicitur, duplicem habeat respectum; alterum, ad id quod repræsentat; alterum, ad potentiam cui repræsentatur. Aliter res in suâ naturâ absolutè sumpta appel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

lationem ſigni non meretur. Vrina, quam vulgus Medicorum, per anthonomaſiam, ſignum nuncupat, eatenùs ſignum eſt quatenùs humorum in corpore prædominantium ſtatum indicat, & hic eſt prior reſpectus nempe ad rem, quam ſignificat; ſed non adhuc ſigni rationem ſubit: oportet enim, vt perfectè ſit ſignum, potentiæ cognoſcenti, vt ſignum, repræſentari; & hic eſt alter reſpectus. Priorem habet intrinſecus; extrinſecus poſteriorem: nam repræſentare habet à naturâ ſuâ; repræſentari, non niſi ab occaſione externâ: ſiquidem non omnibus repræſentat, ſed iis duntaxat, qui vrinæ cauſas, differentias, ſignificationeſque perſpectas habent. Ita dicimus ſignum medicum Medico eſſe ſignum, aliis non ita. Plura, quæ circa has habitudines dici poterant, Logicam ſapiunt.

PARTICVLA II.

Symptoma, ſignum, cauſa.

1. *criſ. c.* 14.

Poteſtne aliquid ſimul eſſe & ſignum, & cauſa? imò maximè. Hoc reperies apud Galenum; *quoniam aliqua ſunt tanquam cauſa, & ſigna; aliqua, tanquam ſigna ſolùm.* Rurſus poteſtne aliquid eſſe ſymptoma, quod ſimul non ſit ſignum? nequaquam, licet è conuerſo poſſit quidem aliquid eſſe ſignum, non tamen ſymptoma. Omne ſymptoma, ſiue ſit qualitas mutata, ſiue excretum præter naturam, ſiue actio vitiata, omninò ſub ſenſum cadit; & ſubinde morbi, cuius eſt vmbra, neceſſariò ſignum eſſe debet. Signum verò, quod non ſit ſymptoma, coctio in vrinis eſſe poteſt; & ſimiliter bonus accubitus, facilis etiam tolerantia, & bona reſpiratio ſigna ſunt, & non ſymptomata; licèt Galenus aliter ſentire videatur; eorum tamen contraria, nempe difficilis tolerantia, & reſpiratio læſa, ſigna & ſymptomata dicentur. Placet mihi Dureti ſententia, firmiora ſcilicet argumenta eſſe mortis, aut morbi, quę ducuntur è ſignis, quàm è ſymptomatis. Nam è ſymptomatis ſæpè naſcitur, vt tempeſtatum, ſic opinionum varietas; at certè ſignum conſtans, & firma eſſe debet prognoſis in alterutram partem; nec vlla

vlla excuſatio Medici recipienda, qui de ſignis errauit in prædicẽdo. Conſonat Galeni ſententiæ dicentis *accidentia quædam, de prauis in bona, & etiam de bonis, in praua mutari.* Sed longè manifeſtiùs alibi. *Decretoria, quæ non decernunt, quædam mortalia ſunt, quædam difficulter decernunt:* (Hæc ſunt ſymptomata ſimul, & ſigna) *hoc verò haud quaquam ineſt coctionis, & cruditatis ſignis; ſed ex his ſignum, vnum idémque ſemper ſignificat, vt v.g. vrina, quæ benè colorata eſt, & albam, & læuem, & æqualem habet ſubſidentiam, coctionis eſt ſignum, & quæ quidem coctionem ſignificat, bona eſt ſemper; quæ verò cruditatem, non bona. Si tamen capitis dolorem, aut delirium, aut vertiginem tenebricoſam, aut difficilem anhelitum, aut anxietatem, aut graue ſomnium inſpexeris, nihil in his ſtabile, neque bonum, neque malum poteris præcognoſcere.*

3 prog. 39. & 1. criſ. cap. 14.

Signa autem ſimul, & cauſæ ſunt; *Vomitus, & excrementa alui, & multitudo Vrinarum, ſudores, ſanguinis eruptiones, & parotides, atque alij decubitus.* Poteſt ergo aliquid eſſe bonum ſimul vt ſignum, & vt cauſa; vt omnes euacuationes, quæ in tempore fiunt; in quibus, talia purgantur, qualia purgari oportet, per loca conferentia. Hæ enim & ſignificant victoriam naturæ, & ſunt cauſæ ſanitatis. Neque profectò victoria ſufficeret, niſi excrementa excernerentur, quod accidere poteſt pleuritico. Malum vt cauſa, & vt ſignum, ſunt, peſtilentes anthraces, & quæ malignitatem veneni præ ſe ferunt. Malum vt ſignum, non autem vt cauſa, ſunt euacuationes tempore cruditatis: quia magnam naturæ ſuum ordinem præuertentis perturbationem ſignificant: quippe natura ſuo progrediens ordine, priùs concoquit, quàm euacuet: non tamen alicuius mali ſunt cauſa, niſi aliquando ſua multitudine, vires frangant. Malum denique vt cauſa, non vt ſignum, poterunt eſſe abſceſſus & nonnulli morbi, qui ab aliis morbis non admodum ſecurè, hominem liberant; ſed cum periculo reuerſionis. Hi namque bonum aliquid ſecum vehunt, quatenus præſens periculum adimunt, nihil tamen ſtabile & firmum, cui ſpes, adhæreat, ſignificare poſſunt.

Vide infra parte 3. c. 1. particul. 12.

PARTICVLA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

PARTICVLA III.

Fontes, ex quibus signa hauriuntur.

COmmunissimi sunt signorum fontes, res naturales, res non naturales, res præter naturam: cúmque Hippocrates sparsim multis in locis, & in collectaneo quodam, ad plures riuulos ex quibus, signa accipi possunt, nos manuducat; tamen omnes hi riui, à tribus fontibus deriuantur. *morbos dignoscimus*, (ait ille) *ex communi omnium naturâ, & ex cuiusque propriâ*: ecce res naturalis, à quâ, signa accipimus, communis nempe natura, & cuiusque propria. Communem dicit, vt hanc consideremus, quando propria ignoratur. e.g. *considerandum in primis; ægri facies an benè valentium; maximè verò sui ipsius similis sit.* Respiciens ad communem naturam, dixit, *beneualentium*, respiciens ad propriam, addit, *sui ipsius.* Pergit & dignosci morbos etiam ait, *à morbo, & ægro*; & hæc res est, & status præter naturam. Tandem *ab oblatis, & offerente*; hoc non naturale est vtpote forinsecus adueniens. Reliqua, quæ adiungit, ad hæc tria genera reduci debent. Nam cœli constitutio, situs locorum, victus ratio, vitæ modus, somni, vigiliæ; hæc omnia sunt non naturalia. Consuetudinem, si inter non naturalia non admittis, reducito ad naturalia: siquidem est altera natura, naturalis quoque est ætas; reliqua omnia præter naturam.

1. epid. sect. 3. in princip.

1. prog. 5.

Cæterùm licèt multi sint signorum fontes, mihi nil tam ex arte esse videtur, quàm omnes ad vnum reducere. Rectè quidem ab vno principio, cuncta naturæ ordine defluentia consideramus; rectè etiam ea, quæ, dispersa confusionem, in arte pariunt, ad vnam originem referas; verè, distinctè methodicè procedes. Si quis igitur Hippocratem omnium bonorum patrem consulat, inueniet illum tanquam à quodam fonte, à similitudine, & dissimilitudine, omnia signa hausisse. Hoc nobis inculcat in principio statim libri de officinâ, Medicis considerandum proponens. *An similia, an dissimilia*: Hoc in epidemiis perdiscere oportere docet. *An similia*

6. epid. sect. 3. tex. 43.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

inter se sint; & si non similia inter se sint, ex dissimilibus, similitudo fiat vna. Sic vtique fit via, sic rectè se habentium probatio: & non rectè redargutio. Præcipua vtilitas, quam Medicus, ex hac similium, dissimiliúmque consideratione percipit, est quòd dum in eâ versatur, nunquam ab vno duntaxat signo se falli permittet; sed multa simul contemplabitur: quod tanquam epilogum in suis prognosticis apposuit Hippocrates, hoc est *indicia in ediscendo omnia interstinguere, æstimando vires eorum inter se, quemadmodum scriptum est, tùm de aliis, tùm de vrinis, & screationibus, vbi pariter pus, bilémque exscreet.* * Itaque plura signa ante oculos sibi obiiciat, videátque. *An similia*, hoc est, an omnia ad idem conspirent, omnia scilicet praua, vel omnia sint bona; tam quæ ad facultatem animalem, quàm quæ ad vitalem, aut ad naturalem spectant. An verò sint *dissimilia*, nempe quædam bona, alia praua; quod si dissimilia sunt *ex dissimilibus similitudo fiat vna*, videlicet considerando praua, an aliquid bonitatis habeant, quod bonis adiunctum, prauitatem eorum queat superare. Aut ex altera parte; si quæ bona sunt, non perfectè sint bona; ita vt à prauis necessariò vincantur. Hoc Galenum non latuit, quippe aliquando singulorum symptomatum vires, quæ apparent æstimabat, & in se comparare præcipit. *Et siquidem tùm fortiora, tùm plura videntur, quàm bona, mala, hominem in periculo esse sciendum, verùm si bona malis & fortiora, & plura fuerint, de ægro bene sperandum.*

li. 3. prog. 37.

4. acut. 62.

Perquirito signa in omni genere signorũ, siue sint memoratiua, siue indicatiua, siue prognostica; nullũ reperies, quod ad hunc fontẽ similitudinis, & dissimilitudinis non reducere oporteat. Et quod attinet ad *memoratiua*, nihil ex eis vtilitatis percipies, nisi cũ præsẽtibus conferas. In primis vitã anteactã oportet considerare, vt præsentem agnoscas morbũ, vt etiam præsentis morbi grauitatem: nam qui causas manifestas habet, meliùs cognoscitur, & faciliùs curatur; præteritum etiam temperamentum si cum morbo præsente conferas, cognosces, an morbus sit proportionalis, ex quo minus periculum immineat, iuxta Hippocratis sententiam; faciem etiam ægroti quàm sit mutata, percipies, si faciem eiusdem in sanitate, cum præsente conferas: *quia verò* (vt Galenus ait) *omnium hominum, antè non cognoscimus naturam*, imò neque faciem, *sed nec opinantes, sæpe ad ignotos accer-*

2. aph. 34.

3. epid. sect. 1. in princ.

ſimur; principium cognoſcendorum morborum, præſagiendorúmque, à communibus inſtituimus. Quapropter rectè ab Hippocrate eſt dictum, *morbos dignoſcimus à communi omnium naturâ*; factâ ſcilicet comparatione, vtrùm hominibus ſanis ſit ſimilis, an diſſimilis: *& cuiuſque propriâ*, facta comparatione ægroti, cum ſe ipſo, dùm ſanus erat. Quippe nonnulli ſunt quibus Hippocratica facies in ſanitate adeſt. Ob hanc etiam cauſam prudentiſſimus Hippocrates *ſtridere dẽtibus, in febribus*, inſaniam ſignificare & mortem docens, adiungit, *quibus non eſt conſuetum à pueritiâ, ita efficere*, quaſi memoratiuum ſignum, cum ſtatu præſenti comparare. *Indicatiua etiam* hâc ſimilitudine examinantur, ſiue enim pathognomonica ſint, ſiue aſſidentia, ſemper inter ſe conferri debent. Pathognominicum ſignum, iam diximus, ex pluribus conſtare; plura autem, quomodò vnum efficient niſi *ex diſſimilibus ſimilitudo* fiat vna, hoc eſt, ex variis, ad varias facultates pertinentibus, vnum fiat, vnam morbi eſſentiam indicans. Aſſidentium verò ſignorum fides in ſimilitudine conſiſtit; ſiue enim magnitudinem morbi, ſiue eiuſdem mores perquiras, non aliter, quàm hâc viâ aſſequêre. Magnitudinem morbi ex partis præſtantiâ colliges, comparando partis affectæ dignitatem, cum dignitate aliarum partium. Magnitudinem ex eſſentiâ effectus, ſemper comparatione factâ, inter vires & cauſam morbificam percipies; ſic Galenus ad vtrumque, tanquam ad duos colluctatores animum conuertebat. Poſſunt etiam ſigna accipi à iuuantibus, & nocentibus; quod nihil aliud eſt, quàm comparatio remedij cum causâ morbi, ſpectando euentum. *Prognoſtica* non minùs quàm reliqua, ſimilitudine fiunt: quis enim ex vrinâ, aut deiectionibus, aut quouis alio excretorum, poterit ſalutem, aut mortem prædicere, qui ignoret, qualia debent eſſe ſecundùm naturam, prædicta excrementa? Signa præterea, tanto ſunt deteriora, quanto cum languidiore virtute accidunt; vnde ſignum vnum, & idem, poteſt vel citam mortem, vel longum morbum denunciare, ſi ad vires collatio fiat. Multa ſunt, quæ in hanc ſententiam afferre poſſem, quæ tamen omittenda videntur, quoniam ſe ipſis innoteſcunt.

1. aph. 21.

* Plura hæc ſigna, non ſolùm ex facie, ex decubitu, ex vrina, & aliis excrementis ſunt accipienda, ſed etiam ex multis aliis, quæ ægrotantem interrogando

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

interrogando poterimus addiſcere; quare meritò *de morbo interrogationes* commendantur ab Hippocrate. Ex quibus inprimis, An mens conſtet, *multa enim* (Galenus ait) *laborantes dicere conſueuerunt, quæ dicentis mentem patefacere poſſunt*: deinde colliget ex ſermone ægrotantis mores, num ſcilicet timidus, an audax, num ſtultus, an prudens ſit; hæc enim addiſcere oportet Medicum ex ægrotantis ſermonibus, ſi æger ſit ei ignotus; ex eiſdem ægri reſponſionibus, accipiet vtrùm ſit *ſobrius, & cogitabundus, aut peruigil, & naturâ loquax*. Poterit etiam vocem audire, ex quâ (vti inferiùs dicam) non leuia fiunt præſagia. Interrogando etiam Medicus qualiſnam in arte medicâ ſit ſe ipſum & ægro, & aſtantibus demonſtrabit.

6. epid. ſect. 2. tex. 43.

Itaque œconomiæ, quam Medicus, circa ægrotum, debet exercere, non exigua pars interrogationibus conſiſtit, quas ſi omittat, contemnitur tanquam vel inſcius, vel parum de rebus ægrotantium ſollicitus: ſi nimis prolixè habeat ſe, redditur tædioſus, & gratiam, quã apud ægrum cõſequi oportet, omninò amittet. E contrario autẽ, ea quæ neceſſaria ſunt, ritè interrogans, efficit vt æger & aſtantes bonã de ſe ipſo opinionẽ cõcipiant. Caueat prætereà Medicus nè interrogãdo, & cum egroto ſermones habẽdo, metũ ingerat; cõtingit quippe aliquãdo, eum qui ægrotat adeò ſuſpicioſum, timidúmque eſſe, vt ex quolibet verbo, occaſionem perterrendi ſe ipſum, accipiat. Neque præterea, dum reſponſiones accepit, interponat triſtia, & funebria, quæ melancholicas cogitationes ægro inducant; nec è contrario garrulitate, & intempeſtiuis iocis, reddatur, grauiter patienti ineptus, imò & moleſtus. Multi ſunt qui vt altum ſapere videantur, interrogationes congerunt varias, quæ, vt fortaſſis vulgo imponunt, ita prudentibus irriſui habentur. Ergo medicum in omnibus, ſed præcipuè in hâc parte prudentem deſidero, vt neque ſupercilioſus appareat, neque inopportunè iucundus, neque cum ſolis prudentibus loquatur, neque ex alterâ parte, plus nimio, mulierculatum dictis aſſentiens, nihil, vltra mulierculas intelligere videatur.

PARTICVLA IV.

Diuiſio ſignorum.

QVamplurimis, ſignorum, quæ confuſionem pariunt, diuiſionibus relictis, in memoriam reuocare oportet, id quod de prognoſi, ſeu prædictione, ſuperiùs eſt dictum; nempe eam ad tria tempora extendi, & conſimili ratione dicendum, ſigna prognoſtica, ab antiquis fuiſſe vocata, quæ tria tempora reſpiciunt. * Nihilominùs, clarioris doctrinæ gratia, diuiduntur in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

memoratiua, quæ præteritum memoriæ subiiciunt; indicatiua, quæ ad tempus præsens respiciunt; prognostica, quæ pertinent ad futurum. Non oportet autem vt hæc tria re distent, satis est quòd aliquando solâ ratione; vt vrina, præsentem indicat materiæ dispositionem, & futuram naturæ victoriam: quædam etiam sunt communia; quædam propria; communia in morbis diuersæ naturæ reperiuntur, vt dolor capitis: propria, vni tantùm affectui conueniunt, vt respiratio magna, frequens, quæ calorem indicat in partibus thoracis; propria aut sunt separabilia, vt pulsus serrinus proprius inflammationum, qui aliquando separatur, v. g. in peripneumoniâ; alia inseparabilia, dolor lateris, punctorius proprius & inseparabilis est. Rursus signa omnia in triplici sunt differentiâ: quædam pathognomonica dicuntur; quædam assidentia; alia superuenientia, seu mox apparentia. Pathognomonicum indicat essentiam morbi, & est, quod Logici vocant *proprium quarto modo*, id est, quod conuenit omni, soli, ac semper: idcirco, cum re significatâ reciprocatur. Sed dices, si pathognomonica syndrome, constituit morbi essentiam, cur eandem significabit? signum enim à re significatâ distare debet. Dic, reuerà pathognomonicum, non dici propriè signum, atque ideò Empirici, qui signorum nullam habebant curam, pathognomonicam syndromen contemplabantur. Potest tamen dici signum, neque est inconueniens, quòd morbi essentiam constituat: sicut partis compositio totius sanitatem in quâ ipsius partis sanitas includitur, significat; Assidentia, non infallibiliter, cum morbo inuadunt, sed aliquando simul inuadunt, aliquando superueniunt, aliquando nec omninò eueniunt, vtpote quæ non sunt à morbo inseparabilia, nec veluti substantiam constituunt, sed proprias faciunt differentias. Hoc latissimè prosequitur Galenus *in constitutione artis*, subiiciens exemplum in pleuritide, in quâ, præter signum pathognomonicum, cõmemorat alia; quæ assidentia dici debent, hoc est, *quæ simul inuadere, & posteriùs accidere, & nullo modo apparere possunt*, vt sunt quòd æger, faciliùs in latus patiens, quàm in alterum decumbat; aut etiam, quòd dolor quandoque ad hypochondria, aliquando ad clauiculam perueniat: quippe hoc non est inseparabile: si namque supernæ partes

1. aph. 12. & 3. epid. sect. 3. com. 34.

const. art. cap. 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tes succingentis membranæ, phlegmone conflictentur, ad claviculam perueniet dolor, vt ipsa deorsum trahatur; sin infernæ, dolor ad hypochondrium erumpit: fieri tamen potest admodùm parua inflammatio in medio costarum, & sic ad neutram partem fertur. Est etiam, inter assidentia signa in pleuritide reponenda exscreatio, qua pleuritides à Galeno crudæ, & siccæ appellatæ, carent. Est & aphonia, quæ in magna pleuritide accidit: deficit enim vox deficiente vocis materiâ. Mox apparentia, ex naturâ suâ, non solent simul cum morbo inuadere, vt infra declarabimus. Sunt, & alia, quæ ad salutem & mortem significandam superueniunt, de quibus suis locis.

* Inter signa Memoratiua, Indicatiua, Prognostica, si ad vtilitatem respicimus; indicantia primum locum habent: quid enim iuuat, futura speculari, aut præteritorum recordari, si præsentia ignoramus? Profectò non minùs irridendus esset ità se gerens Medicus, quam antiquus ille, siue fuit Thales, siue Anaximenes, qui dum noctu cælum contemplaretur, in scrobem decidit; Omnia, quæ à Medico in considerationem veniunt, aut ad sanitatem ægroti, aut artis decorem, aut (quomodo melius est) ad vtrumque referuntur. Præsentium cognitio, magis respicit, ad ægri salutem; præteritorum ad Medici auctoritatem; futurorum ad vtrumque. Hinc videretur dicendum, futurorum cognitionem, esse magis, quàm alias necessariam; nisi, ex alterâ parte præsentium cognitio se opponeret, quæ ad sanitatem, proprium artis finem, ad quem Medicus dirigit quicquid intuetur, & efficit, magis respicit. Nam vt ait Galenus, *quòd affectuum dignotio ad curationem valdè necessaria sit, recensere non est opus. Nam* *in primis quisnam sit morbus dignoscere oportet, deinde curationem ipsius aggredi. Quòd verò prænotio ad curationem quoque vtilis sit, demonstrauit in præfatione prognostici Hippocrates.* His verbis videtur prænotionem, quæ futurorum est, in secundo loco necessitatis ad curationem, collocare. Rem igitur ita accipito. *Dignotio præsentium ad ægroti sanitatem magis, ad Medici auctoritatem aliquantulum confert*, quatenus scilicet ea quæ infirmi omittunt, enarrans, creditur agnoscere magis ægrorum res. Vtrumque Hippocrates complectitur: siquidem dum oportere ait agnoscere naturas affectionum, quantùm super vires corporis sint, adiungit, *ita enim meritò commendabitur, & bonus Medicus erit.* Quasi dicat. *Commendabitur*, auctoritatem acquiret *bonus Medicus erit*, rectè ad sanitatem acquirendam se geret. Itaque dignotio, præcipua est ad consequendam sanitatem. *prænotio*, idest, futurorum cognitio, *præcipua ad auctoritatem comparandam*: hâc enim, Medicus à calumniâ liberatur: nam *morituros, euasurósque prænoscens ac prænuncians, culpâ vacabit.* Facit deinde ad curationem, siquidem iuxta hanc instituimus victum considerantes in futurum, *an sufficiat æger*

1. acut. cō. 3.

1. aph. 9.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

art.med.c.7. *cum victu perdurare, ad morbi vigorem.* Tandem, vt Galenus ait, *vsus non paruus est, ex prænuntiatiuis, atque indicatiuis, minor autem ex iis quæ memoriæ subiiciunt*: tribuit infimum locum cognitioni præteritorum, non quòd omnino necessaria non sit, sed quòd minùs quàm reliqua. Necessaria quidem est præteritorum cognitio, tùm quia cognito natiuo præcedente temperamento, recta curatio peragitur; tùm etiam, quoniam externarum causarum, quæ præcesserunt, non parum cognitio conducit. Nam licet à causâ procatarticâ non sumatur ad curationem indicatio; sumitur tamen ad cognitionem, quâ mediante curationem molimur, atque ita est diagnosticæ pedissequa. Dicuntur verò, signa hæc memoratiua, minùs necessaria, quoniam etsi non ex arte cognoscantur, cognosci nihilominùs possunt, ex ægrotantis narratione. v.g. Quòd facies Hippocratica habeat ortum à vigilia prætergressâ, vel fame. Porrò iam superius est dictum hanc præteritorum cognitionem, ideò saltem esse vtilem, quia cùm Medicum admirabilem reddat, in ægroti beneficium cadit.

Appendix.

Pathognomonicum signum, essentiam morbi significare dixi; adde tu, & magnitudinem, eo tamen pacto, vt tunc inter assidentia reponatur; nam sicut pathognomonicum simpliciter, essentiam indicat, ita pathognomonicum magnum, magnitudinem. At magnitudo pathognomonici non est, quæ conuenit omni, soli, ac semper. Siue enim paruum, siue magnum signum sit, morbi speciem significat; magnitudinem, non nisi magnum. Reponitur verò inter assidentia; quoniam assidentium est * tùm magnitudinem, tùm mores significare. Moréssne inquiet aliquis? at mores, morbi eiusdem speciem constituunt. Non ita est: nam tertiana simpliciter, & tertiana maligna, non specie, sed modo duntaxat differunt. Et Galenus rem hanc explicans, ait, *morem, quem modum appellant.* Instabit adhuc ex Galeno ibidem, *magnitudinem, quam & vehementiam vocant, & morem, quem etiam modum appellant, tùm ex propriâ morbi specie, tùm ex superuenientibus ei symptomatibus spectandam esse.* Si igitur magnitudo, & mores morbi, ex morbi essentiâ spectantur, profectò ex pathognomonicis spectari dicuntur, cur ergo ex assidentibus? cur rursus ex assidentibus, si ex superuenientibus? Attende, nubem eripiam: magnitudo & mores, ex essentia quidem morbi, hoc est, ex signis pathognomonicis spectantur, & hoc ita à me est dictum; non tamen,

3.cris.c.2.

ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ita vt pathognomonica ſimpliciter intelligas,ſed cõſiderata iuxta ſuam magnitudinem ; quod addiſces ex Galeno : atque adeò pathognomonica cùm ſint, tamen ad ſignificandam magnitudinem, aſſidentium formam induunt. Iam verò ex ſuperuenientibus, rectè magnitudo & mores ſpectantur; aſſidentia verò ſuperuenientia etiam ſunt. Nonne diximus, aſſidentia aliquando ſimul cum morbo inuadere, aliquando ſuperuenire? ſed in quonam differunt aſſidentia, à ſuperuenientibus? nempe, quia ſuperuenientia, ſemper ſuperueniunt; aſſidentia non ita: ſed aliquando, ſimul cum morbo inuadunt. Superuenientia, ἐπιφαινόμενα quæ & mox apparentia appellantur, ex ſuâ naturâ, non ſolent cum morbo inuadere, vt ſunt ſigna coctionis : neque enim morbus à coctione incipit. Sunt alia quæ ad ſignificandam ſalutem aut mortem ſolent ſuperuenire, de quibus, ſuis locis. Sunt alia ſuperuenientia, quæ dicuntur Κρίσιμα & oſtendunt certamen naturæ cum morbo : hæc aut ſunt ſalubria, aut lethalia, aut maligna. De his quoque in vltimâ parte agemus.

const. art. cap. 16.

* Magnitudinem dixi, & mores, tanquam duas res diſtinctas; licet enim à Galeno aliquando trifariàm magnus morbus dicatur, *vel propter partis præſtantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quòd eſt cacoëthes*; ac proinde malignitas, quæ pertinet ad mores, ſpecies ſit magnitudinis. Nihilominus magnitudo propriè dicta, hoc eſt, ſecundo modo ſumpta cùm affectus magnitudinem conſideramus, & malignitas quæ eſt cacoëthia, & dicitur magnitudo tertio modo, ſeparatim ſuis ſignis à Galeno inquiruntur : *Quippe magnitudo, ex affectionis, quæ in illis eſt, & ſymptomatum prætereà conſequentium magnitudine; mos à morbi differentiâ, ſymptomatibúſque conſequentibus.* Iam verò magnitudinem primo modo ſumptam, nempe propter partis præſtantiam, quis neſcit, propria etiam ſeparatim habere ſigna.

4. meth. c. 6.

const. art. cap. 16.

PARTICVLA V.

Quid agendum, vbi ſignum pathognomonicum adeſt; quid, vbi non adeſt.

INter morbos, ſunt aliqui, quorum eſſentia, adeò eſt manifeſta, vt nullis egeat ſignis, ſed ex ſe ipſâ, non ex aliis, innotescat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tescat: quis enim sextum digitum, ex aliquo signo indagabit? quis tumoris aut aliarum externarum ægritudinum signa quæret? Meritò Galenus, totum suum opus de locis affectis, in quo, ex signis affectum, & partem affectam docet cognoscere, solis internis passionibus dicauit, vt ipsemet profitetur: vnde priores, hoc Galeni opus, de interioribus inscripserunt. Alij sunt morbi, qui signa habent. Sed certissima, qualia pathognomonica παθογνωμονικὰ esse diximus. Hæc tamen nunquam inuenio ex vno simplici constare signo, sed ex multorum * collectione, quæ Συνδρομὴ appellatur, vt sunt in pleuritide illa quinque communiter ante oculos habita; videlicet febris continua acuta; lateris dolor punctorius; pulsus durus, & serrinus; difficilis respiratio, tussis. ** In febre ardente duo nempe sitis inexhausta, & implacidus, ardens, fastidiosúsque calor, vt Galenus nos docet: cum igitur signum pathognomonicum magis ad diagnosim quàm ad prognosim pertineat, melius conficitur ex plurium collectione, quàm ex vno tantùm; *sic enim* (vt Galenus ait) *præstiterit, potiùs ex omnibus fidem dignotioni desumere, quàm ex vno tantùm, vel duobus.* At neque sic quidem omnes morbi, pathognomonica habent signa, quod Galenus testatur. Quapropter cum multoties syndromen istam, quæ vnum pathognomonicum signum efficiat, colligere non possimus; sed vno vel altero manifesto, reliqua lateant, ad artificiosam coniecturam, cuius ante meminimus, confugere est opus. Eam Erasistratus magni facere videbatur, *exercitatum ratione Medicum*, hoc est, qui non soli experientiæ adhæreat, sed vlteriùs rationem inquirat, desiderans: rationem, inquam eorum, quæ ad cognitionem occultarum sedium, & ægritudinum inducant; & quamuis cum demonstratione non fiat, satis est, quòd coniecturali quæratur medio. Cum coniecturale dico, iàm intelligere te arbitror, medium, quod non semper, sed magnâ ex parte, verax est. Neque verò quòd Medicus non semper suum scopum attingat, spernendus propterea est. Etenim omnis prudentia & agendorum ratio, quâ & regna, & exercitus gubernantur, hâc viâ progreditur: quare non est cur in solis medicinæ rebus, iniuriosa censeatur; præcipuè cùm nullibi forsan, quàm apud Medicos (dummodo ingenuè profiteantur hanc artem) solidioribus fundamentis vti contingat.

3. epid. sect. 3. com. 34.

de plen. cap. vltim.

1. de loc. effect. c. 1. & 5. de sanit. tu. c. 11.

* Vbi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

* Vbi ad ſyndromen recurro, cum Empiricis videor conuenire, quid ni? Imò Galenus eis contra dogmaticos aliquando patrocinatur. Profectò dum pathognomonica ſigna adſunt nihil differt ab Empirico Rationalis. Nec tamen idcirco tumeant Empirici, nec æquales ſe Rationalibus exiſtiment: quippe licet bruta cum homine, in aliquo, conueniant, non ſtatim, ad hominum, aſcendunt dignitatem. Inprimis Empirici, in ferè omnibus morbis ſtupidi, quâ viâ progrediendum ſit ignorant; *Quippe in pauciſſimis inuenies exactè traditas, quas empirici ſyndromas, id eſt, concurſus vocant, quemadmodùm in peripneumoniâ, & pleuritide; ſed plerique morborum coniecturalem habent dignotionem.* Deinde cum in multis differentiis varient ægri, *fieri nequit, vt in empiricorum appellatis ſyndromis reperiatur diſciplina.* Præterea Empiricorum hæreſis ea eſt, vt exiſtiment *ſolis oculis, manibus, & reliquis ſenſibus* morbos apprehendi & ſolis contenti ſymptomatibus, quæ ſenſui apparent, altioribus animum non applicant; & hoc tantùm nomine Galenus Empiricorum ſyndromen, ſectámque damnat. Quemadmodum damnat etiam alios in altero extremo poſitos, qui experientiam omnino reſpuebant, *nos* (cum Galeno) *partim experientiâ, partim ratione (cùm nec illa inuenire omnia queat, neque ſola ratio) nitimur.* At de Sectarum varietatibus & erroribus, multa Galenus ſcripta reliquit; quæ apud eum ſtudioſus inueniet, ſufficit nobis ſcire, mediam viam eſſe tutiſſimam.

3. de loc.aff. cap.2.
5. ſanit. tuend. c.1.
2.acut.36.
2.meth. c.4
de plenit. c.1.
3. ſanit. tuend. c.9.
1.epid. in pr.
3.meth. c.1.

** Excitat Galenus quæſtionem, vt Hippocratem tueatur, qui in quâdam tempeſtate, febrium ardentium, quæ vigebant naturam explicans, inter alia, ait, *febris non acuta, neque magnopere erant ſitibundi.* ſi ergo pathognomonica, ardentium ſigna, ſint hæc duo; ſitis inexhauſta, & vehemens calor; ſi rurſus pathognomonicis ſignis poſitis ponitur effectus, & ablatis aufertur; quomodò conſtare poteſt, febres ardentes fuiſſe ſine ſuis ſignis pathognomonicis. Neque verò dicere oportet (vt quidam) ab excrementis cognoſci inprimis ardentem febrem: neque enim mera in ſolis ardentibus febribus biliosa alui reddunt, neque his ſolis ſyntexis, ideſt, colliquatio accidit; verùm ſunt hæc ſymptomata maligna, & exurentium febrium; iſta tamen qui excernunt, multi immodicè ſitiunt & calores febris ferunt. Controuerſiam dirimit hoc modo. *Non appellabitur febris ardens, niſi adiuncta adſint, per totum morbum hæc duo ſymptomata, ſitis intenſiſſima, & calor ardens. Raro tamen accidit, vt febris non ſit valdè acuta, nec æger valdè ſitibundus: ſatis enim eſt, quod hæc habeat, licet moderata, attamen perpetuò continuata per totum morbum.* Diſplicet mihi hæc Galeni expoſitio, quòd admittat moderatam ſitim, moderatúmque calorem, tanquam febrium ardentium pathognomonica ſigna; cum tamen nulla febris, hac duo ita moderata habeat; ſignum autem pathognomonicum ita conuenit rei cuius eſt ſignum, vt alteri conuenire nequeat.

3.epid.ſect. 2.com.34.

Alij conſiderantes ab omni ratione eſſe alienum, vt Hippocrates febres ardentes, non valdè acutas, nec valdè ſiticuloſas diceret, ad codicis emen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

dationem ſe conferunt; & licèt Galenus legat; febris non acuta nec valde ſitibunda, expungunt iſti primam negationem ita vt remaneat, πυρετὸς ὀξὺς οὐ διψώδεες λίην; *febris acuta; non ſiticuloſi valdè*: ſic inuenio apud omnia exemplaria, quotquot mihi videre contigit, iámque ante Galenum recepta fuerat hæc lectio, quæ huiuſmodi ſenſum efficit; *febris acuta*, vtpote ardens, *non valdè ſiticuloſi*, à quâcumque ſcilicet occaſione, ſitim auferente, videlicet à pituitâ liquefactâ, & linguæ radicem irrigante. Mercurialis vnus eorum, qui primam negationem explodunt, febres, ait, fuiſſe non veras ardentes, ſed communiter ſic appellatas, quemadmodum febres omnes acutæ ſic conſueuerunt appellari, imò verò tertianam quoque in genere ardentium aliquando collocaſſe Galenum affirmat. Cæterùm tu ab hac Mercurialis expoſitione caueto, ne magiſtrum confuſionis, facias, auctorem omnium bonorum Hippocratem: confunditur quippe ars, quoties in eâ, non vera pro veris aſſumuntur; & quorſum non veras ardentes, appellauit ardentes? nunquid quia omnes acutæ ſic conſueuerunt appellari? à quonam ſic appellantur? nempe à vulgari quopiam. At quis, cum vulgaribus & artis expertibus hominibus, comparet diuinum, Hippocratem. Addit Mercurialis, tertianam ſic etiam impropriè ardentem appellari. Impropriéne? imò propriiſſimè, maximè ſi continua eſt, quàm à cauſone plerique non diſtingunt; imò & intermittens, nonne à bile? nonne cum ingenti ſiti, cum implacidiſſimo ardore? At hæc faciunt ſignum pathognomonicum ardentis febris: cæterùm ſi ſalubris eſt, hoc accidit ratione loci, in quo materia putreſcit.

Valleſius (*valdè*) cum febre acutâ coniungit; ita vt ſit ſenſus, *febris non valdè acuta*; *ſiticuloſa*. Hæc etiam lectio Galenum non latuit. Verùmtamen fruſtrà iſti auctores defatigantur cùm enim vna ſola negatio auferatur, ſemper difficilis manet ſententia: nam ſiue febris eſſet non valdè acuta, ſiue æger non valde ſiticuloſus; vtroque modo vnum ex duobus ſignis, quæ pathognomonicum ardentium conſtituunt, deficeret. Dices fortaſſis, nihil referre quòd alterum ex his ſignis deſit; dummodo vnum remaneat, quod ex aſſidentium genere efficitur. Nam quotieſcumque vnum, vel plura ſigna, non poſſunt pathognomonicum efficere, efficiunt vnum aut plura aſſidentia. At quid refert, febres illas ardentes, aſſidentibus ſignis, non pathognomonicis fuiſſe cognitas. Veriſſimum quidem eſt illam ſyndromen, quæ non poteſt cum morbo reciprocari, cùm non efficiatur à ſigno pathognomonico vno, effici à pluribus aſſidentibus. Attamen hoc ſic accipito, in iis morbis, in quibus pathognomonicum dari nequit; in iis verò, qui ſuâpte naturâ pathognomonicum ſignum habere poſſunt, quoties id ſignum abeſt, mutatur eſſentia morbi: iam enim dixi, & Galenus eſt auctor, pathognomonico ſigno poſito, poni; & ablato, auferri affectum.

Dicendum reor febres, de quibus Hippocrates, fuiſſe verè ardentes, (alioquin non eas ardentes abſoluto ſermone appellaſſet) ac proinde ha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

buisse suum pathognomonicum signum, ex duobus signis conflatum; verùm prædicta duo signa, nempe calorem ardentem, & sitim inexhaustam, in illâ constitutione, fuisse quidem magna, vt par erat, si febrem ardentem indicabant; non tamen fuisse adeò implacabilia, vt solent in aliis constitutionibus esse. Et hic loquendi modus à communi loquutione non abhorret, vt scilicet absolutum, pro comparatiuo accipiamus. Multoties ægrum squallidum ardore, & siti conflictatum, videt ingrediens Medicus; & tamen alter qui cum ægroto pernoctauit, exiguum illum calorem, exiguam illam sitim, præ calore & siti, quàm noctu habuit, esse dicit. Itaque magnus erat calor, magnáque sitis absolutè; sic enim febri ardenti conueniebat; non tamen erant ista comparatiuè magna, hoc est, comparatione factâ, ad febres ardentes, quæ in aliis tempestatibus euenire solent.

PARTICVLA VI.

Quid faciendum, cum plura diuersimodè significantia concurrunt signa.

QVotiescumque apud Hippocratem reperies signum aliquod, ex quo nullum certum præsagium, nisi aliis adiungatur, accipit; signum hoc non est de potentioribus, nobilioribúsque ad significandum, & hæc est optima Galeni animaduersio e. g. cum ait *fauces vlcerari in febre, difficile*: fit hoc, acribus vaporibus, in caput eleuatis, rursúsque in fauces relabentibus; significat autem parum malè; siquidem, *difficile* dixit, non verò *periculosum*. Propterea adiungit, *verumtamen, si aliquod aliud signum superuenerit, eorum, quæ malis adiudicata sunt; prædicendum, hominem in periculo esse*. Itaque vix vni duntaxat signo fides est habenda; nisi illud potentissimum sit, & in significando præstantissimum. 3. *prog*. 15.

Ex alterâ parte, quando plura non ad idem, sed diuersum significandum concurrunt signa, ne multitudine varietatéque confundaris, consule Hippocratis Oraculum, & hoc habebis responsum. *Oportet eum, qui sit rectè præsensurus superstites futuros, & morituros, & in quibus, morbus pluribus diebus fatigaturus est, & in quibus paucioribus; indicia discendo omnia in-* 3. *prog*. 37.

terdistinguere, æstimando vires eorum inter se, quemadmodum scriptum est, tùm de aliis tùm de vrinis, & screationibus, vbi pariter pus, bilémque exscreet. singulorum itaque signorum, symptomatúmve æstimandæ sunt vires, & inter se comparandæ; & siquidem mala bonis fortiora, pluráque videntur, scire oportet hominem in periculo versari. Rursus si bona malis præstantiora fuerint, & plura; de ægrotantis rebus bene licebit sperare, quod Galenus ab Hippocrate didicisse fatetur. * Itaque conferenda sunt inter se signa, & fortioribus semper maior habenda fides. Nam (vt est sententia Galeni) *signum vnum forte, multis debilibus fideliùs existit, ad mortem, vel sanitatem prædicendam.*

1. *acut. com.* 3.

1. *cris.* 13.

Nec tamen rectè poteris signa inter se conferre, nisi eorum gradus optimè teneas; *sunt enim quædam* (inquit Galenus) *indicia, & ipsa per se praua, magísque, & minùs; quorum Vires mensurare oportet vocabulis, aut exitiosum dicendo, aut exitiosius, aut admodum exitiosum, & item adiiciendo verbum* (*iam.*) *Nec secus in bonis indiciis, rursus aut salutare, aut salubre simpliciter, aut magnam obtinens vim, aut etiam cùm verbo admodùm. Plus enim est, si dicatur, admodùm magnam vim, obtinere ad salutem, quàm si nudum, ac solùm magnam vim obtinere.* Hos gradus, si ad grammaticorum leges reducas, positiuum, comparatiuum, superlatiuum appellabis. Reperiuntur autem vel in vno solo signorum, vel in pluribus: in vno solo, v.g. sudores, quos Hippocrates in tres gradus diuisit. Primus gradus est eorum, quos *inutiles* appellauit: quoniam nihil efficiunt. Secundum gradum obtinent ij, quos *bonos* dixit: quoniam è toto prodeunt corpore, & faciunt vt æger faciliùs morbum toleret. In tertio gradu sunt *optimi*, qui in die accidunt decretoriâ, & integrè sedant morbum. In variis symptomatibus nota est hæc graduum differentia; propterea in hunc modum, iuxta eam comparationem facito. *Facies Hippocratica* initio morbi, nulla præcedente manifestâ causâ, pessimum signum est. *Mente constare, & bene se habere ad ea, quæ offeruntur, bonum.* Si igitur hæc inter se concurrant, vt scilicet æger talem habeat faciem, & tamen mente constet, ac bene se ad oblata habeat. Ponderare oportet vtramque seorsum: sic reperies, plus ponderis

3. *prog.* 37.

1. *prog.* 26.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

deris habere prauum signum, quàm bonum. Nam prauum in tertio bonitatis gradu est; quia pessimum: bonum in primo gradu bonitatis; quia simpliciter bonum; ac proinde in hoc casu periculum præsagire licet. E contrario vrinæ perfectè concoctæ optimæ sunt, adeò vt cùm signis coctionis, nemo pereat. Nudos habere pedes nec admodum calidos, malum. Vrina bona est in tertio bonitatis gradu; quia optima. Pedes nudare in primo prauitatis gradu; quia simpliciter malum. Magis ergo signo optimo, vtpote potentiori credendum est, quàm malo, atque subinde salus prædicenda.

* Dum conferenda inter se signa, ex Hippocratis præcepto, sancimus, offert se Vallesius, qui signa salutis, aut mortis, maiores vires habere, ait, in significando mortem, quàm in significando salutem; signa coctionis contrà. Confirmat hoc suum dogma, quoniam cùm vita multis constet facultatibus, & cuiusque illarum debilitas extrema, possit animanti afferre mortem, vitam verò non possint nisi omnes simul; fit vt multò maius malum sit, illarum aliquam debilissimam significari; quàm bonum, significari constantem: proponit huiusmodi exemplum. Labi ægrum in pedes, lethale est, tamen cubare in latus, bonum tantùm, nondum tutum, & saluberrimum. In signis coctionis contrà accidere, ait: Nam morbi materiâ coctâ, non potest homo, vi illius morbi mori; tamen materia incocta, & putrefacta, non necessariò hominem interimit: potest enim extra corpus pelli. In Vallesium insurgit Christophorus à Vega, (nec illum tamen nominat, sed tacitas cum eo, more suo, simultates exercet) & falsitatis hoc dogma proclamans accusat. Nec patitur plus posse signa praua ad significandam mortem, quàm bona ad denunciandum sanitatem, & solis exemplis se tuetur. Respiratio praua non habet valdè magnam vim ad mortem significandam: nam in pleuritide, morbum, non morbi periculum ostendit. Imò cùm crisis imminet, praua respiratio præcedentibus coctionis signis non longè futuram, interueniente indicatione, salutem indicat. Prætereà cum optimâ vrinâ nullus moritur; ecce fidissimum sanitatis signum: cum pessimâ, multi liberantur; ecce mortis signum satis infidum. Mente constare bonum est, delirare malum; sed non pessimum: malum enim dixit Hippocrates; ecce signa salutis & mortis æqualia. Siquidem ob solos vapores ad caput ascendentes, delirant ægri, quod nihilo maiorem habet malitiam, quàm mente constare, bonitatem. Tandem in febre biliosâ, siti vacare, maiorem bonitatem ostendit, quam sitire malitiam.* Hæc vtrinque dicuntur. Nec nostrum inter eos tantas componere lites, & hoc quidem tædiosum foret, quandoquidem singula in examen adducta mille

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſcrupulis ſcatere oſtenderent. Illud tamen certiſſimum, & ex Hippocratis, Galeniſque doctrinâ depromptum habeto, ſigna vel ad ſalutem: vel ad mortem, poſſe alia, aliis, fortiora eſſe. Et quod Valleſius ait, vnius tantum facultatis lapſum, maiorem vim habere, ad ſignificandum malum, quàm vnius facultatis bonitatem ad ſignificandum bonum; cum diſtinctione accipito: ſi enim facultas vna, ſit penitus lapſa, deterrimum ſignum eſt, non tamen penitus lapſa, per multas horas permanebit, quin alias in conſenſum trahat. Apoplecticus ſolam animalem vim habet omninò læſam; ſed intra paucas horas vitalis quoque concidit. Inappetentia ſi ſit valdè magna, magnam habet vim ad ſignificandum malum ſed mox & pulſus concidit, & motus deficit. Vitalis languida, omnium peſſima eſt, ſed quis cum pulſu languido, motiones corporis habet agiles & fortes? Itaque, ab vnâ facultate tantùm, ſigna fida aſſumi nequeunt. Præterea ſi coctio bona, fidum ſignum eſt, coctio bona ſignificat facultatis naturalis bonitatem; iam ergo vna facultas bene ſe habens, firmum exhibet ſignum. Et quis dubitet vnam facultatem vitalem rectè ſe habentem, potentius ſignum eſſe ad præſentis ſtatus bonitatem ſignificandam, quàm ſit prauum, praua repiratio. Sed de his ſatis; ſufficiat, quod ſupra ex Galeno eſt dictum; vnum ſignum forte, multis debilibus fidelius eſſe, ad mortem vel ſanitatem prædicendum. Huius præcepti maximus obſeruator idem Galenus mihi videtur. Narrat Hippocrates hiſtoriam hominis, qui ex laſſitudine ab itinere, ægrotauit; & cum varia percurrat ſymptomata, nempe ſitim, febrem acutam, capitis grauitatem, linguam exuſtam, lienis tumorem, doloremque; nec tamen morbi exitum ſcriptum relinquat. Incipit Galenus, factâ comparatione ex vrinâ, ad reliqua mala, exitum coniectare aitque. *Quantum quidem ad prædicta pertinet, perniciosè ægrotabat, ſi verò vrina optima fuiſſet, hominem quidem euaſurum ſed acutè ægrotaturum eſſe prædixiſſem. Sin autem praua apparuiſſet vrina, breui interiturum. Si mediocris, neque laudanda eſſet, neque vituperanda, longiore tempore ſuperſtiœem, tandem moriturum.* Rectè quidem praua ſymptomata, cum prauâ vrinâ, breuem interitum indicare dixit: ſiquidem vndique erant anguſtiæ, & omnia in perniciem ægroti coniurabant. Rurſus, praua ſymptomata, cum optimâ vrinâ, prauitatem morbi ſignificabant; ita tamen vt vrinæ bonitas, ſecuritatem præ ſe ferret.: bona enim vrina coctionis eſt effectus, à coctione autem *ſecuritatem* ſignificari dixit Hippocrates. Tandem mediocris vrina facultatem demonſtrat, quæ adhuc poſſit cum causâ morbi decertare. Nihilominus ea quæ æger patiebatur maiora erant quàm vt poſſent, à mediocriter coquente facultate ſuperari, & non niſi potentiſſimam exigebant.

6.epid.sect. 6.com.6.

Hæc quæ à Galeno optimè ſunt conſiderata Valleſius reprehendit, eâ ductus ratione, quod non deberet ex vrinâ præſagium fieri, cùm conſtet, morbum fuiſſe inflammationem lienis; vrina verò eorum duntaxat

morborum

morborum sit indicium, qui pendent ex succis intra venas, & arterias putrescentibus. At debuerat meminisse, febrem, quâ ægrotus ille infestabatur, intra venas suam causam habere; æger autem, magis à febre, quàm à tumore lienis periclitabatur.

Appendix.

Non solùm hos gradus sed in eisdem latitudinem quandam obseruare oportet, itavt in vnoquoque consideremus quantum ad optimum magis accedit, vel ab eodem recedit magis. Quò námque optimo magis appropinquat, eò securius. Quò verò, magis ad malum accedit, eò deterius: e. g. Sudor in die decretoria, qui integrè soluit morbum, optimus est; si verò in die quidem decretorio fiat, sed non integrè soluat morbum, (fiunt enim ob aliquas causas crises imperfectæ) tantùm de optimo detrahet, quantùm in morbi solutione infra subsistet; vt, si non integrè, sed tamen maiori ex parte auferat, optimo appropinquat; si minimam partem morbi mitiget, magis distat ab optimo: si autem nihil efficiat, nec optimus, nec bonus, sed inutilis est; poterit & nocere, vires resoluens, atque ita in opposito esse malus, imò & aliquando pessimus.

Atque hæc est melior, considerandi signa, ratio, quàm alia allata à Cardano viro, qui subtilitatem affectans, sæpè ad ineptias se confert. Vult ille symptomata, quæ in læsa actione consistunt, esse potentiora; deindè secundum locum obtinere exeuntia mutata; vltimò tandem, quæ in qualitate mutatâ reperiuntur. Sed hoc falsum esse passim cognosces; imò, poterat ipse in exemplis à se allatis falsitatem sui dogmatis intueri. Nam frequens respiratio propter dolorem, aut inflammationem, læsa actio est; longè tamen minùs efficax signum, quàm sit facies Hippocratica, initio morbi acuti, & sine causâ manifestâ; quod est symptoma in qualitate mutatâ. Deinde, ad exeuntia mutata pertinet sudor frigidus, quo non potentius aliud signum reperiri potest, nec magis morti vicinum. *læsa actio*, inquit ille, *principale signum est, siquidem viuere ipsum, quædam est actio.* O præclarum sophistam,

ſtam, principale quidem ad videndum actio eſt; (licet adhuc non minùs) principale ad ſignificandum non eſt actio; ſed quicquid euidentius actione fuerit. Quod ſi dicas omnia ab actione læsâ prouenire, hoc quidem fatebor, tamen non tollit quominus vnumquodque ſeorſum conſideretur, aliter omnia ſymptomata eſſent in læsâ actione; facies illa cadauerosa, & ſudor frigidus ab actione vitiatâ pendent, ſed actio ibi, non ſe ſe offert ad ſignificandum. Significat ergo in facie qualitas mutatâ, in ſudore exeuntis Mutatio. Siquis autem axioma peruulgatum opponat, *vt ſe habet res ad eſſendum, ita ad ſignificandum*, ſi igitur actio ad eſſendum eſt præcipua, erit præcipua ad ſignificandum. Admitterem principalitatem in ea, ſi æquè eſſet manifeſta; ſed quoniam inter boni ſigni conditiones optima eſt, vt ſenſui maximè pateat, fit vt quoties ſigna ex aliis, quàm ex actionibus, manifeſtiora ſunt, maiori etiam in pretio habeantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

* ſignorum ſeriem ſic accipito.

* Signa
- Communia *reperiuntur in diuerſarum ſpecierum morbis, vt dolor capitis.*
- Propria *vni tantùm affectui conueniunt, vt reſpiratio magna & frequens in ardore partium thoracis.*
  - Separabilia *vt pulſus ſerrinus, qui aliquando ab inflammatione ſeparatur, vt in Peripneumoniâ.*
  - Inſeparabilia *vt lateris dolor punctorius in pleuritide.*
- Indicatiua *quæ ad tempus præſens reſpiciunt.*
- Memoratiua, *quæ ad præteritum reſpiciunt.*
- Prognoſtica *quæ ad futurum reſpiciunt.*
  - hæc tria non ſemper re diſtinguntur; ſed aliquando ſolâ ratione; *vt vrina, quæ præſentem indicat diſpoſitionem, & futuram ſalutem.*
- Pathognomonica *indicant eſſentiam morbi, & cum morbo reciprocātur: conueniunt enim omni, ſoli, ac ſemper; Logici dicerent proprium quarto modo.*
- Superuenientia *ſuapte naturâ, non ſimul cum morbo eueniunt, vt ſigna coctionis.*
  - coctionis
  - ſalutis, aut mortis
  - criſima
    - ſalubria.
    - lethalia.
    - ambigua.
- Aſſidentia *non infallibiliter cum morbo inuadunt, vt pathognomonica; ſed aliquando ſimul cum eo; aliquando poſtea.*
- Signa dũtaxat
- Signa & cauſæ
  - bona, vt cauſa, & vt ſigna *vt omnes euacuationes, quæ in tempore fiunt.*
  - bona, vt ſigna; praua, vt cauſa, *vt abſceſſus, & morbi, qui ab aliis morbis, cum periculo reuerſionis, liberant.*
  - praua, vt ſigna; & vt cauſa, *vt peſtilentes anthraces, & variolæ.*
  - praua, vt ſigna; bona, vt cauſa *vt euacuationes tempore cruditatis.*
- Signa, & ſymptomata. *Poteſt aliquid eſſe ſignũ non tamen ſymptoma vt coctio in vrinis, bonus decubitus, facilis tolerãtia, bona reſpiratio. Non poteſt aliquid eſſe ſymptoma quin ſimul ſit ſignum, ſiue ſit excretum præter naturã, ſiue qualitas mutata, ſiue actio vitiata: hæc enim omnia ſub ſenſum cadunt ac propterea ſunt apta ad ſignificandum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

CAPVT V.

De Præcognoscendis morbis antequam adsint.

PARTICVLA PRIMA.

Præcognitio communium morborum.

1.epid.sect.1. in pr. & 1. acut. com.9.

DIVIDIT Galenus morbos in communes, & dispersos; Rursus communes, in eos qui alicui regioni aut ciuitati proprij ac familiares sunt; & in eos, qui in certâ cæli constitutione, aut aliâ qualibet infecti aëris occasione, vulgariter grassantur. Hi tandem in minus perniciosos, & magis perniciosos: magis perniciosorum constitutionem pestilentem, & absolutè pestem vocamus. Hæc omnia tibi meliùs præsens tabella suggerit.

Morbi omnes:

- Σποράδες hoc est, dispersi. *Hi fiunt quando non omnes, vno, & eodem; sed diuersi, diuersis laborant morbis, à peculiaribus causis, nec ab vna communi procedentibus: dicuntur autem* Σποράδες, *quia dispersi; sicut, ob eandem rationem, Insulæ multæ in mari Ægeo dispersæ,* Σποράδες *dicuntur.*
- Πανδήμιοι qui etiam Κοινοὶ aut Πάγκοινοι Pandemij, seu communes appellantur.
  - Ἐνδήμιοι, hoc est, patrij, vernaculi *qui causam quidē habent cōmunem; sed illi regioni, aut ciuitati, in quâ grassantur perpetuã; siue proueniant ex situ, siue ex aquarum prauitate, siue ex prauo habitantiū victu.*
  - Ἐπιδήμιοι Cōmunes, *in eo solùm differentes à Pandemijs; quòd Pandemij cōprehendant Endemios, hoc est Vernaculos: Hi autē contrà, ab Vernaculis distinguantur, ita tamen vt differētia cōsistat in causæ cōtinuitate: causa enim Vernaculorū est familiaris, & continua; Epidemiorum, aduentitia, & temporanea.*
    - Ἐπιδήμιοι Communes, retinent sui generis nomen, *quoties non sunt omninò perniciosi; sed tales, vt maior pars ægrotantium liberetur.*
    - Λοιμώδεις pestilētes seu λοιμὸς pestis *& est Epidemia perniciosa; quando scilicet maior ægrotantiū pars perit.*

Endemios

Endemios cognoſcere docet Hippocrates in libello de aëre, aquis, & locis *quare ſi quis ad vrbem ſibi ignotam perueniat, circumſpicere, oportet eius ſitum, quomodo ſcilicet ad ventos, & ſolis exortum iaceat: non enim æquales vires ſunt ad ſeptentrionem ſitæ, & vergentis ad auſtrum, neque eius quæ ad ſolem exorientem, & quæ eundem occidentem ſpectat.* Duo itaque agnoſcet prudens Medicus cùm primùm accedit ad ciuitatem aliquam; primò ex ſitus contemplatione deueniet in cognitionem morborum, qui ibi vernaculi habentur Deinde cùm percipiet quibus morbis ciuitas ſit obnoxia, prædicet in quâ tempeſtate ferociùs graſſabuntur ſic habitatoribus ſe dignum, cui fides habeatur, oſtendet, & ad medicinam faciendam cum honore præparabitur.

Epidemiorum cognitio tantò eſt Sporadum cognitione præſtantior, quantò vtilius eſt, totam regionem, ciuitatémve, quàm vnum, vel alterum hominem ab exitio liberare. Porrò ſimplex Epidemia cauſas habet manifeſtas, quæ rationem ſignorum ſubeunt: peſtilentem ſtatum præcognoſcere altioris eſt negotij. Hippocrates imminentem vniuerſæ Græciæ peſtem præcognouiſſe dicitur; quibus verò ſignis id fuerit aſſequutus non nobis ſcriptum reliquit.

Epidemiam ſimpliciter dictam ſic cognoſces. Si videas in hyeme, maiori ex parte, borealem dominari conſtitutionem, poſteà ſequi ver pluuioſum, & auſtrale; tunc ex aphoriſmo Hippocratis prædicito multas futuras. ſequente æſtate febres acutas, opthalmias, dyſenterias, maximè mulieribus, & humidæ naturæ viris. Rationem reddit Ariſtoteles; quoniam æſtas corpora noſtra multum humoris continentia excipit, & terra madet, & habitanti locus perhumidus eſt. Alij, aliter interpretantur: mihi placet in hunc modum ſententiam intelligere. In hyeme frigida, & ſicca, conſtipationes fiunt maximæ, & prohibitæ ventilationes; vnde putredini accommodata præſtatur occaſio. Accedit ver auſtrale, cuius conſtitutionis ergo, caput repletur, & oculi fiunt calignoſi, hoc eſt multis pleni vaporibus. Sequitur æſtas, quæ ſuo calore, quicquid in corpore inuenit, ebullire facit. Quid ergo inuenit? repletum caput, & vias à capite ad oculos ſatis occupatas. In hoc caſu effer-

3. aph. 11.

Sect. 1. probl. 8.

uescentia quid aliud gignet quàm ophthalmias? Quid vltra inuenit? In corporibus humidis, ſcilicet pituitoſis, multam pituitam iam veris calore ſalſam redditam, hanc liquefaciens, & ad inteſtina tranſmittens Dyſenteriæ dat occaſionem. Denique totóne corpore cacochymiam inuenit? maximè propter prohibitam, in toto corpore, ventilationem; dabitur igitur in vniuerſo genere venoſo ebullitio, ac proinde acuta febris. Rurſus ſi videas hyemem auſtralem, & pluuioſam, & ſubſequatur ver aquilonium, & ſiccum, ex alio aphoriſmo, in eodem vere aborſus expectato, & ſi qua mulier pepererit fœtum imbecillum fore prænuntia. Præterea, ophthalmias ſiccas, & dyſenterias, & ſenibus deſtillationes interimentes euenturas dicito. Rationem cur accidant aborſus (relictis multorum interpretationibus) exiſtimo eſſe: quia humiditate hyemis, & inſuper conſtitutione diſſoluente factum eſt, vt cotyledones, quibus fœtus vtero alligatur, teneri reddantur, & facilè ſolubiles. Accedit ver ſubitam ſecum afferens mutationem; ab hâc ſubitâ mutatione fœtus perturbatur, cúmque ligamenta facilè rumpantur, facilè fœtus ab vtero ſecedit, & ſic contingit aborſus. Cur autem fœtus debiles exeant, in causâ eſt auſtralis conſtitutio, quæ plus aſſeruandæ putredini, quàm alimento cumulando, prodeſt. Fiunt etiam lippitudines ſiccæ: quoniam quamuis propter præcedentem auſtralem hyemem deberent eſſe humidæ (ſiquidem flante auſtro caligo oculis offunditur) tamen ſubſequens ver, ſpirante aquilone frigido, materiam ad oculos accedentem repercutit, & clauſis exilibus venis, præfrigiditate conſtipante, inflammationi præſtatur occaſio. Dyſenteriæ autem fiunt: quoniam hyemis conſtitutio auſtralis pituitam ſalſam aggregauit, & cùm alui fluxus catarrho aſſimiletur, conſentaneum eſt vt eiſdem modis vtraque eueniat affectio. Fit catarrhus vel liquatione vel expreſſione (vt docet Hippocrates libello de locis in homine; quicquid inaniter contrarientur nonnulli ſcioli neoterici) fiet etiam dyſenteria liquatis, aut expreſſis humoribus. Propterea in alia conſtitutione dixi, æſtatem liquando pituitam, dyſenterias genuiſſe. In præſente autem dico ver aquilonium pituitam exprimendo eaſdem dyſenterias gignere potuiſſe. Senibus accidunt fluxiones citò in-

3. aph. 12.

3. cauſ. ſymp. cap. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

terimentes: nam hyems multam materiam genuit, multam ver expressit; multitudo fluxionum in senibus insuperabilis est, & breui suffocat. Accedito ad æstatem, quæ si sicca fuerit, & aquilonio, sequatúrque autumnus australis, & pluuiosus, ex alio aphorismo, expectandi sunt, in hyeme dolores capitis, tusses, raucedines, atque grauedines; quibusdam autem & tabes. Quoniam autumnus australis in suo principio, nihil aliud agit, quàm emendare humiditate intemperiem siccam præcedentis æstatis; propterea prædicti morbi non fiunt toto autumno, verùm eorum causa, in fine autumni se prodit: flante enim austro caput repletur, & accedente hyeme, vel vapores condensantur, & dolorem efficiunt, vel exprimuntur, cadúntque, & excitant tusses, grauedines, raucedines. Si autem materia fuerit mordax, ad tabem vlcerando perducet. Plurima suppetunt exempla ex libris Epidem. iuxta quæ licebit ex manifestis temporum constitutionibus futuras ægritudines prædicere.

3. aph. 13.

Pestilentis status causa non in simplici aëris in primis qualitatibus alteratione, sed in occultiore quadam consistit; possumus tamen eam (si Paracelsicè loqui velimus) ad quinque Paracelsi entia reducere: nempe ad ens deale, ens spirituum, ens astrale, ens veneni, ens naturæ. Causa supernaturalis seu *ens deale* extra medicæ contemplationis terminos egreditur. Dari autem immissam à Deo pestem in scelerum punitionem, constat ex sacræ paginæ testimoniis vt in exodo *sacrificemus Deo ne fortè accidat nobis pestis.* Et in eodem inquit Dominus *percutiam te & populum tuum peste.* passim alibi per Prophetas Deus pestem minatur, eámque Dauid meruit: quia Populum numerauit, idcircò *misit Dominus pestem in Israel.* Non est etiam dubium, posse (sic Deo permittente) à cacodæmone aërem corrumpi pestémque gigni, & erit *ens spirituum*, ita accidisse Constantinopoli narrat Cælius Rhodiginus. Has tamen pestes à Diuinâ causâ peculiariter emergentes, non nisi iis, qui videntes appellantur (quoniam futura, monstrante Deo vident) præcognoscere, prædicereque datur. Contingit etiam pestis, ab astrorum infaustis aspectibus, & est *ens astrale*, pertinénsque ad Astrologos, neque à Medicis est alienum: nam in præfatione diximus ex Hippocrate oportere Medicum Astrologiæ non

exod. 15.
exod. 9.
2. Reg. c. vlt.
1. paralip. cap. 21.
lib. 2. c. 6.
libell. de aër. aqu. & loc. & de diæta.

omninò imperitum esse. Imò ab eodem Hippocrate in Epidemiis Virgiliarum ortum, & occasum docemur contemplari; sunt enim considerabiles solis, lunæque defectus, astrorum etiã aspectus: E.G. An Mars, & saturnus in signis humanis coëant, sic enim pestem minantur. Præterea licebit considerare quænam regio ad prædictos siderum concursus horoscopum infortunatum habet. Et an octaui domicilij œconomus maligno sideris alterius vultui occurrat. Hæc omnia, & alia similia causæ quidem sunt, sed signorum vim obtinent. *Ens veneni*, etiam datur infecto nempe aëre occultâ quâdam, & venenosâ qualitate; sed tunc ad signa respicere oportet. Signa tibi præbebunt animalia, quæ doctrinâ quadam innatâ, id quod ipsis inimicum est effugiunt; nec te pudeat à brutis, hæc signa accipere, quando ab ipsis maiorem remediorum partem, quibus in medicinâ vteris accepisti. Attende volucrum fugientium volatus, non, vt Aruspices faciunt, an à dextris, an à sinistris aduolent; sed vtrùm omninò regionem relinquant, & in aliam se transferant; à nullo meliùs, quàm ab auibus, in aëre habitantibus, aëris conditiones addisces. Demum si *ens naturæ* pestem inuehat, hoc est putedrinis, & corruptionis putridos emittentis vapores, vitio, & culpâ, contemplari licebit reptilium prouentum: hæc animalia putridam materiam, ex qua gignantur requirunt; propterea si illa abundant, abundat & putredo. Annonæ etiam caritas futuræ pestis metum ingerit, qualis fuit illa, quæ tunc cùm Galenus librum de cibis boni, & mali succi scribebat, contigit. Cadauera occisorum in bello, insepulta, occasionem metuendi de futurâ peste afferunt. Terræ motus, si validi sunt, ferè nunquam accidunt, quin pestilentiæ sint præcursores. Tribus pestilentiis interfui; omnes has, terræ motus antecesserunt. Aliam pestem à Maioribus meis accidisse accepi, quæ validissima fuit; validissimos autem, & plurium dierum terræ motus sequuta. Multa alia signa solent afferri, quæ vt minùs sunt fida, ita à Medico omittenda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

PARTICVLA II.

Præcognitio dispersorum morborum.

SPorades etiam morbi antequam adsint dignosci possunt: quippe suspecti aliqui de futurâ ægritudine sunt, quod cognoscere plurimùm interest, vt hos, quoad fieri possit, vel omninò præseruemus, vel minùs malè à futuro morbo habendos reddamus. In primis hæreditario iure eueniunt morbi; suntque filij, vt bonorum, sic & malorum relicti à parentibus hæredes. Morbi hæreditarij, vel consistunt in indiuiduali proprietate à parentibus acceptâ, & sic quidem domari vix possunt, neque aliter significantur, quàm ex rememoratione morborum, quibus parentes fuerunt infestati: Vel consistunt in intemperamento, & hi ex eisdem signis cognoscuntur, ex quibus alij morbi ex intemperamento cognosci solent, solúmque nobis innotescit, fore vt damnum filiorum, quoniam à parentibus deriuatur, magis fixum, magísque reddatur ineuitabile. Vel sunt morbi compositionis, scilicet quoniam filij à suis progenitoribus accipiunt hanc, vel illam membrorum compositionem, quæ huic, vel illi morbo producendo est apta. In his etiam morbis, vt in morbis ab intemperamento, præcognoscemus fore difficiles, quia sunt hæreditarij, alioquin eadem sortiuntur signa quæ reliqui morbi qui compositionis iudicio contingunt, vt e.g. * qui magno sunt capite catarrhis obnoxij dicuntur: multam quippe recipiunt materiam, quæ præ multitudine concoqui nequit, & cruda adinferiora descendit. ** Qui laxas habent articulationes fluxionibus facile infestantur. *** Ij etiam, quos Hippocrates πτερυγώδεις id est, alatos appellat, parati sunt hœmoptoïcis passionibus & phthisi, iidémque flatuosi.

Vitæ cõsuetudo etiã morbos prænuntiat, vt vita deses, pituitosos; nimia sollicitudo, melancholicos; irascendi frequẽtia, biliosos. Victus etiam confert, cuius tùm quantitas, tùm qualitas est consideranda. Qui namque nimium se ingurgitant cruditates patiuntur, & in morbos deueniunt pituitosos; qui calidis valdè cibis,

cibis, licèt in non valde magnâ quantitate, assuescũt, calidis morbis tentantur. **** Aëris etiã, & aquarum mutatio valetudinẽ mutat. Sunt præterea defectus aliqui à natiuitate contracti, qui futuros indicant morbos. ***** Sic qui in iuuentute ventres habent humidos, in senectute ex alicui siccitate damna patientur: è conuerso; iuuenes, aluos siccas habentes, in senectute humidas habebunt. ****** Balbi ventris profluuiis sunt obnoxij. Ex vocis etiam differentiis possumus aliquid circa futuras ægritudines prædicere; siquidem vox non solùm temperamenti est signum, verùm etiam dispositionis vocalium instrumentorum.

* Libet aliqua ex supra adductis exemplis enucleare. Magnum caput catarrhis obnoxium esse dixi. Profectò si vtrumque excessum inter se conferamus, paruitas capitis magnitudine est deterior. Nam, vt Galenus ait, *exigua capita semper praua sunt; magna verò, licet rarò, nonnunquam tamen bona esse possunt, ob formatricis robur, & ex materia, vnde creata sunt, vbertate.* Imò verò *quemadmodum magnum pectus, amplâ interiùs cauitate, inane est, in quâ duo magna viscera, pulmones scilicet, atque cor, nullâ ex parte, cõpressa continentur. Perinde & exiguũ pectus proportione sibi respondentia hæc viscera continet, exigua videlicet, & in angustiis versantia Haud aliter caput & dorsi spina magnitudine respondentia & cerebrum, & medullã includunt.* Itaque hâc saltẽ ratione magnum caput est laudabile, quòd magnitudinem cerebri arguat. Verumtamen si immodica sit, non minùs quàm immodica paruitas, mentis læsionem affert. Si verò modicam magnitudinem ita excedat, vt nondum ad nimis immodicam accedat, caloris ampla vasa efformantis est signum; cúmque calor attrahat, nimis calidum caput, nimis attrahet, & plus congeret, quàm pro sui nutritione sit opus; Vnde multa incõcocta remanebunt, quę rursus liquata fluent & catarrhis præbebũt occasionẽ.

6. epid. sect. 1. com. 37.

** laxas habentes dearticulationes, ab Hippocrate dicuntur ἄναρθροι; aliqui vertunt, articulis non apparentibus, Articulis indiscreti, veluti inter aues sunt Phasiani; longè meliùs ex vi vocabuli dicentur malè articulati hoc est articulis infirmi. Aduenit hoc macilentis, quod Hippocrates exemplo ab Homero accepto probat; siquidem boues exiguam herbam propter labiorum & dentium compositionem terere nequeuntes, hyeme gracilescunt maximè si sunt sub aratro, & tunc temporis articulos, quos iam suapte natura non satis firmos habent, solito infirmiores reddunt. Cùm itaque articulorum firmitas in duobus consistat, tùm ossium commissuris, ita vt eminentiæ sint cauitatibus æquales, tùm ligamentis dearticulationes connectentibus, quæ non crassa solum, sed dura vndique sunt facta. Simodò alterum istorum, aut vtrumque deficiat, imbecilli sunt articuli; siquidem eorum ossa inter se distant. *Distare autem plurimum*

de aër. aqu. & loc. iuxta finem.

de articul. sect. 26. 27.

2. de vs. part. cap. 2.

contingit,

contingit, tum ex ligamentorum imbecillitate, tum ex ipsa ossium compositione. Laxitas ligamentorum superflua humiditate acquiritur siue in primâ generatione, siue posteà; praua compositio in ipso generationis tempore fit, vnde à parentibus contrahitur & ab eisdem facilitas incidendi in articulares morbos contrahi dicitur.

*** Paratos ad tabem, seu quibus ad tabem vergit natura, tabidos latinè dicimus, veteres medici φθινώδεις appellarunt. Hi ex duplici causa adueniunt; prima est, capitis imbecillitas, ob quam facilè caput impletur, altera thoracis figura; sufficit vnaquæque ex his, vtraque tamen, si simul accidat efficacior est. Porrò thoracis figuram vitiatam habent, ij quos Hippocrates, πτερυγώδεις, quasi alatos vocat, quorum sæpè in Epidemiis mentionem factam inuenies. Sunt autem hi qui scapulas alarum more eminentes habent; hoc est, quibus à tergo operta scoptula in morem alarum prominent: sunt operta scoptula, duo lata ossa à ceruice ad scapulas tendentia, quorum descriptionem inuenies apud Cornelium Cellsum. Constat huiusmodi homines angustum habere thoracem, ac propterea paratos esse ad hœmoptoycam passionem, & subinde ad phthisim. Cæterùm licèt hæc damna ad vitiosam thoracis figuram consequi videantur, consequuntur tamen natiuum temperamentum. Nam Galeni testimonio in arte medicinali; pectoris angustia cordis significat frigiditatem: siquidem calor est, qui dilatat, dilatationis verò defectus, caloris defectui attribuitur: vbi igitur cor est frigidum, totius corporis temperamentum frigidum quoque sit oportet, & consequenter debile; cum debilitate autem totius, non potest non capitis adesse debilitas, ex quâ in eo cruda multa aggregantur, quæ in pulmones perpetuò stillantia, assiduitate tabem inducunt. Similiter istiusmodi alati homines, replentur flatibus, ob defectum innati caloris, vnde apud Hippocratem meliùs est legere *flatuosum, alatis*; quàm *flatuosum, furfurosis*: nam *furfurosis* neque Galenus, neque alius, quispiam quid significet est assequutus; alatis verò par est vt multi flatus accumulentur, qui rursus & vasa dirumpere, & fluxiones commouere posse ex libro de flatibus docemur. Atque ita duplici viâ alati in tabem incidunt, & quia frigidi multa excrementa cruda ac pessima accumulant, & quia flatulenti, vasorum ruptionibus sunt obnoxij.

> 1. epid. sect. 1. com. 18.
> 1. epid. sect. 1. tex. 18. 3. epid. sect. 3. tex. 70. 6. epid. sect. 3. tex. 13. & 18. lib. 8. cap. 1.

**** In mobis longis, ex consilio Hippocratis, conuenit *solum mutare*, siue patrium sit, siue extraneum, dummodò morbi causæ contrarium. Ab Hippocrate accepisse videtur Plinius, qui ait, *Equitatio stomacho, & coxis vtilissima; phthisi nauigatio: morbis longis locorum mutatio.* Idem repetit, sed obscuriùs, alibi Hippocrates: obscurius, inquam, quia vsus est vocabulo ambiguo; atque ita nescimus in quibus morbis solum mutari velit etenim παλίμβολον inter obscuras dictiones reponitur: quippe multa significat, nempe mutabilem, versutum, veteranum, sæpe venditum, & pleraque alia. Potest significare morbum refractarium, qui medicamen-

> 6. epid. sect. 5. tex. 20. lib. 28. c. 4. 6. epid. sect. 6. tex. 16.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tis non cedat facile. Foësius vertit in morbis vagis, & facile mutabilibus, quod non recipio; contradiceret enim Hippocrates sibi ipsi, qui iam dixerat solū mutare in morbis longis; longi autē non sunt facile mutabiles. Meliùs Fuchsius, in morbis qui transmutari nequeunt. Alij in morbo inconstante, Vallesius in morbis dolosis, alij in morbis reuertentibus, seu vt Cornarius, Mercurialis in recediuis. In omnibus his mutationes proderunt, dummodo fiant priusquam vitium aliquod contrahatur. At licet hoc in morbis ita se habeat, nihilominus sano homini mutationes maxime nocent. Vtrùm verò aëris, an aquæ mutatio magis noceat, dubitant multi propter Aristotelem quærentem, *cur aquarum permutationem grauem esse aiunt, aëris autem, non grauem*: cuius rei rationes duas affert: vnam, quòd aqua non aër nutriat; alteram, quòd aquæ multæ sunt species, aëris autem minimè. Nec te moueat dictio (*aiunt*) vt existimes ex vulgi opinione interrogationem esse factam: nam plerumque in illo opere ita loqui consueuit; neque, si vulgarem opinionem falsam iudicasset, in eius ratione reddendâ defatigaretur. Neque ex eo quòd dicat aquam non nutrire, colligas illum quæsito vulgari vulgarem accommodasse causam: neque enim sic philosophum sed vnum è plebe hominem ageret. Neque verò aquam nutrire inquiens, falsum aliquid pronunciauit: siquidem auctore Hippocrate *Aqua omnia per omnia nutrit*. Verumtamen tàm Hippocrates, quàm Aristoteles, de non verâ nutritione loquuntur, vt alibi demonstro; ad problematis autem responsionem sufficiebat quod aqua, saltem metaphoricè, nutriret. Septalius ideò aquam magis nocere ait, quia intra corpus ingressa vel sola, vt abstemiis; vel vino mixta, vt insobriis; vel cum eduliis communiter omnibus, in corpore manet. Aër verò inspiratione attractus, citò expiratione educitur. Hoc ab eo libenter acciperem, ni viderem aëris non minimam partem in spirituum refectionem remanere; vndè ex venefico aëre, venefici fiunt spiritus, à quibus promptiùs, quàm à quolibet alio, succedit interitus, vt videre est in iis, qui & fossas, & loca subterranea putrido aëre infecta ingredientes derepente moriuntur. Bacius Baldinus problematis falsitate offensus illud è numero Aristotelicorum excludit. Aponensis omittit Aristotelis responsiones, & distinctionem adhibens quæsitum ad veritatis normam reducit. Si enim comparatio fiat inter aërem pestilentem, & aquas, tunc ad eum aërem permutatio perniciosa est, & plena periculi: siquidem aër subito cor pertingens, potest interimere. Prætereà licet aër non sit pestilens si mutatio fiat ad longinqua, vt v.g. ab Indis ad Germanos, adhuc mutatio aëris deterior est. Attamen si nec aër sit pestilens, nec mutatio fiat ad longinqua; sed ad propinqua tunc aquarū vitia magis nocent, quàm aëris. Rationem reddit Thomas à Veiga: quia aër nō à terra mutatur, sed à vario ad solē accessu mutato climate, cúmque in breui spatio, aspectus solis insigniter non mutetur; nec aëris, quæ metuenda temperies sit, mutatur. Aquæ ex terræ cauernis originem habent, & naturam, & quia pro terræ exiguitate etiam in vna regione

sect.1.prob.13

lib.de diat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

regione fontes, & putei admodum variam aquam fundunt, non eandem; fit vt intra exiguum terræ ſpatium aquarum varietas inſigniter obſit. Sed en quò me deduxit problematis iſtius difficultas, vt dum digreſſionem ſcribere vellem, tranſgreſſionem fecerim. Sufficiat ad præſens negotium, aquarum, & aëris repentinas mutationes obeſſe poſſe, vt ita vrbem aut regionem denuo incolentibus periculum præſagiamus, vt cautè viuere addiſcant; ne, quod accidere ſolet, præcipue ſenibus in nouo aëre pellem exuant, vt, apud nos eſt in prouerbio. Eſt autem adeo hæc ſententia experimento confirmata, vt ſiquis nouus alicuius loci incola fit, facilè ægrotaturum præſagiamus, quoniam eum (vt vulgus prædicat) terra tentabit.

***** Mutatio quoque ætatum, ſecum effatu dignas mutationes affert. Nam *Quibus iuuenibus aluus humida eſt, iis ſeneſcentibus, exſiccatur: quibus verò iuuenibus adhuc, aluus ſicca eſt; iis ſeneſcentibus, humectatur.* Poteris igitur futuram in ſenectute ventris humiditatem, aut ſiccitatem, ex oppoſitis in iuuentute euenientibus prænunciare. Dummodo tamen (quod Galenus animaduertit) hoc infallibile non eſſe; ſed vt plurimum ita euenire intelligas; addita etiam alia conditione, ab eodem Galeno allata, vt ſcilicet homo eodem ſemper victu alatur: ſi enim iuuenis aſtringentibus, aut laxantibus, & ſimiliter ſenex nutriantur, iam non ad id quod ex naturæ lege, ſed quod victus, ratione contingit reſpicere oportet. Si vero interroges cur non ſit perpetuæ veritatis præſens Hippocratis ſententia? ſcito humiditatem, & ſiccitatem alui pluribus ex cauſis pendere quarum pars maior ætatis progreſſu mutantur. Omnibus tamen bene penſitatis frequentius eſt ſenibus aluum exſiccari quàm humectari, quod Galenum non latuit cuius teſtimonio alui *ſeneſcentibus magna ex parte exſiccantur.* Et ratio adſtipulatur. Nam inprimis naturaliter ſe habentibus accidit, vt infantes aluos habeant valde humidas, & progreſſu temporis exſicentur, debetque alui ſiccitas aliorum membrorum ſiccitatem ſequi, corpora autem noſtra ab initio generationis in dies magis exſiccantur. Præterea cum iuuenes habeant aluos ſiccas ex defectu bilis, ex eodem eaſdem habent ſenes, ſic omnes aliæ ſiccitatis cauſæ maiori ex parte ſenibus quàm iuuenibus frequẽtiores ſunt, vnde in ſenibus alui humiditas damno, hoc eſt ſiccitati medetur; quippe, vt Galenus ſcriptum reliquit, *quicumque aluos humidas habent ſiquidem iuuenes fuerint, melius degunt iis, qui ſiccas habent, ad ſenectam verò deterius degunt: nam ſeneſcentibus magna ex parte exſiccantur.*

2. aph. 10.

5. aph. 53.

5. aph. 53.

***** In omni ætate facilem lapſum in alui fluxum præſagies iis qui balbi ſunt. Nam vt Hippocrates docet. *Balbi alui profluuio maxime capiuntur.* Balbum intelligito eum, qui græcè τραυλός latinè blæſus dicitur, is vitioſe e. r. s. literas pronunciat. Et quoniam Galenus in commento τῦ ψελλίζεσθαι mentionem facit, putarũt latini interpretes ψελλίζεσθαι & τραυχίζειν eiuſdẽ ſignificationis eſſe; id tamen neque ex Galeno conſtat neque verum eſt. Sunt quidem ambo vocabula ſignificantia vitium non

6. aph. 32.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

vocis ſed pronunciationis, nihilominus non ſignificant vnum, & idem vocis vitium. Ariſtoteles differentiam ſtatuit dicens τραυλότητα eſſe cum litera quædam certa exprimi nequit ψελλότητα cum inter pronunciandum aut litera, aut ſyllaba prætermittitur. Itaque blæſi, qui etiam apud latinos mutuato à græcis nomine trauli dicuntur, id vitium habent, aut ob breuitatem linguæ, & tunc eſt error in compoſitione, & raro accidit, hoc autem nihil in medicina ſignificat; aut ob membranæ linguam veſtientis nimiam humiditatem, & accidit vt plurimum. Ex hac humiditate fit vt lingua dentibus non bene innitatur: ſicut enim breuitas impedit; ne lingua dentibus accedat, ſic humiditas eandem imbecillitans facit vt non poſſit ad dentes rectè allidi, hinc pueri blęſi, etiam ebrij. Quod ſi aliquando ob eximiam ſiccitatem idem contingat, nō diu tamen hæc noxa durat. Itaque cum linguæ breuitas ſit rara, linguæ ſiccitas non diuturna, relinquitur humiditas quæ vt plurimum tota vita blæſos facit. Hi præ humiditate debilem habēt tunicam linguam veſtientem, & hæc tunica eadem eſt cum ea quæ ventriculum veſtit, quare ſi in lingua fuerit breuis, in ventriculo non erit fortis, debilitas autem ventriculi alui fluxui cauſam præſtat. Et ſic oportet blæſos ſemper ab alui fluxu præſeruare, & cum diarrhææ aut dyſenteriæ populariter graſſantur de blæſis pluſquam de aliis timere.

ſect. 11. prob. 30.

* Cognitionem morborum tàm communium, quàm disperſorum, tibi ſequens Tabella indicat.

- *Cognitio morborum
  - communium, ſumitur:
    - Si Epidemici ſint ex aëris manifeſtâ conſtitutione — *vt videre eſt apud Hip. 3. aph. 11. 12. 13.*
    - Si ſint Endemij *de quibus Hipp. ſvidendus eſt in lib. de Aëre, Aquis & Locis.*
      - Ex ſitu — *vt ſi ſolem orientem, aut occidentem, aut meridiem, aut aquilonem ſpectet ſi Cloacass habeat vicinas vel loca aliqua immunda.*
      - Ex habitantium conſuetudine — *vt ſi helluones ſunt lurcones, bibaces.*
    - Si ſint peſtilentes
      - Ex ente Deali *conſtat ex c. 9. & c. 15. exod. & 2. Reg. c. vlt. 1. paralip. c. 21. peſtem à Deo immiſſam.*
      - Ex ente ſpirituum *peſtem cacodemonis arte factam conſtat ex Cælio Rhodig. lib. 2. cap. 6.*
        - Horũ duorum entiũ cognitio pertinet ad ſacros vates.
      - Ex ente aſtrali *vt ſi Mars & Saturnus concurrant in ſignis humanis.*
      - Ex ente veneni *vt ſi occulta & venenata qualitas aëri imprimatur.*
      - Ex ente naturæ *corruptæ & putridos mittentis vapores cognoſcitur.*
        - Ex reptiliũ prouentu
        - ex annonæ caritate
        - ex terræ motu
        - Pertinet ad Aſtrologos ac proinde ad Medicos, quos Aſtrologiæ non ignaros deſiderat Hipp.
  - diſperſorum, ſumitur:
    - Si ſint hæreditarij
      - vel conſiſtunt in indiuiduali proprietate, *à parente accepta: hæc vix domari poteſt.*
      - vel in intemperamento ſimili intemperamento parentum, *cognoſcitur ſicut alij morbi ex intemperamento.*
    - Si ſint vitio conſtitutionis ex mẽbrorũ improportione *quam filij accipiunt à parentibus & cognoſcuntur vt alij morbi compoſitionis:* vt
      - *qui caput habent magnum, obnoxij ſunt catarrhis:*
      - *qui laxos habent articulos, arthritide maximè capiuntur:*
      - *Alati hæmoptoicis paſſionibus, pthiſi, & flatibus ſubiacent.*
    - Si ſint vitio conſuetudinis vt
      - *vita deſes facit pituitoſos:*
      - *vitæ ſolicitudo melancholicos:*
      - *iraſcendi frequentia bilioſos.*
    - Si ſint vitio victus vt
      - in quantitate
        - *qui ſe nimis ingurgitant, morbos pituitoſos patiuntur.*
        - *qui victu tenui vti ſolent, bilioſi fiunt.*
      - in qualitate
        - *ſi cibis veſcantur pituitoſis.*
        - *ſi cibis veſcantur melancholicis.*
        - *ſi cibis veſcãtur calidis & ſiccis hoc eſt bilioſis.*
    - Si ex aëris mutatione, *quæ ad longinqua deterior eſt quam mutatio aquæ*
    - Si ex aquæ mutatione *quæ ad propinqua deterior eſt quàm mutatio aëris.*
    - Si ex ætatis mutatione *vt quibus iuuenibus aluus humida eſt, iis ſeneſcentibus exſiccatur.*
    - Si naturæ vitio *vt balbi fluxu ventris maximè capiuntur.*

A vocis differentiis etiam poſſunt particulares cognoſci morbi quoniam vox non ſolùm temperamenti, ſed etiam inſtrumentorum vocalium ſignum eſt, ac proinde ex voce morbos in intemperie & morbos in compoſitione venabimur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

CAPVT VI.

De Repentina Morte præcognoſcenda.

PARTICVLA PRIMA.

Ex reſpirationis vitio, Mors repentina.

ACCIDIT aliquando extra morbum ſolita munia obeuntibus, non expectatus interitus; cuius tamen diligens Medicus poterit eſſe præſagus: habet enim ſuas cauſas, & ſigna, licèt aliquando ſint adeò occulta, vt nulla artis induſtriâ cognoſci poſſint. Ea verò quæ minùs latent conſiderare vtiliſſimum erit; vt, aut præcaueat ſi fieri poſſit; aut ſaltem prænuntiet, ne inopinata mors hominem nil de ſuis rebus cogitantem arripiat. Sunt aliqui reſpirationem aliquantulum difficilem habentes, ſed quam vel propter aſſuetudinem, vel propter affectus paruitatem contemnunt. At quamuis adhuc non ſit Orthophnæa, quæ grauiſſima eſt affectio, in qua *æger reſpirare non poteſt niſi ſpiritus rectâ ceruice trahatur.* Imò verò quamuis non accedat ad aſthma, qui affectus, aut defectus, minùs grauis, ſed tamen grauis eſt, in quo non ſine anhelatione poteſt patiens reſpirare; ſed duntaxat ſit denſa reſpiratio, quæ generale nomen ſubiens appellatur dipſnæa. Quocumque modo impeditè aliquis reſpiret. à quacumque cauſâ id fiat, ſiue à tuberculo pulmonis; ſeu ab humoribus lentis, & craſſis obſtruentibus pulmonis bronchia; vel propter anguſtiam meatuum factam ab eiſdem craſſis humoribus; ſemper periculum adeſt ne deficiens reſpiratio tria damna naturali calori, in quo vita conſiſtit, importet. Primum eſt, quoniam cùm reſpirando attrahamus aërem, qui ſpiritibus materiam præſtat, deficiente aëris attractione deficiunt pariter ſpiritus. Alterum, quia, ſicut à Galeno eſt ſcriptum *calori noſtro magnum vſum frigus præſtat: fit enim frigidum caloris motui impedimen*

de trem. rig. & palpit. cap. 6.

impedimento, ne dispersus aboleatur: quippe periculum est, ne ipse præ leuitate, & impetu sursum à corporibus discedat, sed frigidum retinet, impedítque, & vehementiam nimij motus tollit: si igitur desit respiratio, qua tanquam flabello cor continuò attemperatur, prorsus calor insitus euanescet, ac peribit animal. Tertium, quoniam nisi respiratione fuligines expellerentur, cordis calor ab iis suffocatus extinctionem subiret.

Inter omnes causas potentissima ad mortem subitam inferendam est suffocans distillatio: quandoquidem nonnunquam, velut fluuius obicibus ruptis, derepente, magno impetu, pituitosus humor fluit ad pectus, & respiratoria instrumenta à suo motu cessare cogit. Hoc mihi videre contigit in quadam nobili viduâ Florentinâ, quæ libera ab orthophnæa, quâ per quatriduum laborauerat; gaudénsque quòd iam caput posset reclinare, à discessu meo post dimidium horæ, irruente denuò magna illuuione, quæ præ multitudine in ore non continebatur, quæque propter impetum erat spumosa, ita de repente fuit suffocata, vt eius pater, qui in vicinis ædibus habitabat subitò occurrens iam mortuam repererit.

Appendix.

Quando asperas pulmonis arterias occupatas difficilem efficere respirationem dixi, ad quam sequitur interitus. Addo etiam occupatis eiusdem pulmonis, non asperis, sed læuibus arteriis, nulla interim in respiratione noxa existente mortem repentinam timendam esse, quod indicat. * Antipatri casus à Galeno, & Aëtio relatus.

4. de loc. aff. c. vlt.
tetrab. 2. serm. 4. c. 57.

Erat fortasse is Antipater Medicus, qui naturalem esse rationem trini numeri existimauit in epistola quadam ad Gallum, sic referente Cælio Aureliano lib. 6. chron. cap. 13. Cúmque Medicus esset dicenti Galeno pulsus inæqualitatem prouenire ex angustia arteriarum pulmonum, occurrit dicens: *Oportuisset me suspiriosa orthophnæa laborare*; cui Galenus: *Probabilia dicis, sed à veritate alienâ, quippe fieri contingit nonnunquam orthophnæam, ex obstructione à crassis & viscosis humoribus, id verò cum in asperis, non in læuibus arteriis crassus, & lentus humor cumulatur.* Cæterùm Galenus non declarauit cur læuibus arteriis obstructis non fiat orthophnæa, quod tamen declarare oportet. Prouenit hoc ex diuersis vsibus, quos aspe-

rae,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ræ, & læues arteriæ habent: quippe asperæ, attractioni aëris, fuliginúmque expulsioni sunt dicatæ, hoc est inspirationi, & expirationi, ex quibus constat respiratio: si igitur asperæ arteriæ occupantur, difficulter respirabit animal. Læues autem arteriæ munus habent duntaxat (vt Galenus auctor est) continere arterialem sanguinem; hoc autem nihil cum respiratione commune habet. Sed cur si Antipater læues arterias tantum occupatas habebat, nihilque damni in respirando sentiebat, posteà leui difficultate respirandi affectus, eadémque aucta postmodum, & tandem facta difficillima, interiit? Nempe quia sex mensium spatio, malum ita excreuit, vt ex læuibus in asperas redundaret arterias.

7. de vsu part. cap. 8.

PARTICVLA II.

Ex Pulsu, repentina Mors.

PVlsuum inæqualitas in eodem Antipatro consideranda proponitur, quæ per se sola futuræ repentinæ mortis est signum; quod tamen ille quamuis Medicus, non agnouit. Hanc prouenire, Galenus ait, vel ex inflammatione, vel ex obstructione. Non aderat Antipatro inflammatio quoniam neque febris; ergo obstructio, & hæc vel ab humoribus, vel à tuberculo. Multa, quæ de inæqualitatum differentiis, & causis dici possent, consultò iis relinquo, qui ex professo de arte sphygmica peculiares conficiunt tractatus.

Pulsus intermittens, ex Galeno, mortis repentinæ præcipuum signum est & causa: ea siquidem ex pulsu intermittente, eodem fit modo, quo ex apoplexia: vtrobique enim calor cordis extinguitur destitutus ventilatione, cùm respiratio, & pulsus cordis vtilitati inseruiant. Quod si tibi in mentem venit Galeni historia de quodam Oeconomo cui pulsus sine aliquo periculo intermittens erat, & hinc putas elici posse non semper pulsum intermittentem graue piriculum minari. Siquidem Galenus magnum ex illo œconomi pulsu intermittente malum timentibus, imperauit vt securissime à morbo liberatum hominem reficerent, & ad consueta negotia remitterent, si verò in sanitate eiusdem œconomi pulsum tangerent, talem inuenturos, qualis tunc erat pollicebatur, nec euentus fefellit. Scito pulsum illum intermittentem naturalem fuisse. Cùm naturalem

3. præsag. ex puls. c. 4. & lib. 4. de loc. aff. c. 8. de prædict. ad posth. c. vlt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

turalem dico, nolim intelligas factum à naturâ: quippe pulsus omnis intermittens præternaturalis est: nihil autem potest simul esse & præter naturam, & à naturâ. Naturalem appello quia licet causam morbosam habeat, vt colligitur ex Galeno, à prima tamen ortus origine contingit. Poteris eundem connutritum appellare, veluti morbi qui à primo exortu eueniunt connutriti appellantur.

2. de caus. pul. c. 2. 3. 4.

Vt Galenus iudicaret pulsum illius Oeconomi esse naturaliter intermittentem considerauit nihil in eo pręter naturam esse, nisi duntaxat quod in pulsationibus deficeret: nam siue in vno, siue in pluribus ictibus deficiat, non erit à causâ morbosa, nisi alias etiam prauas qualitates habeat adiunctas. Pulsus autem huiusmodi, vitio fit non facultatis, sed instrumenti. Cùm verò Galenus aliquando *læsa facultate pulsationes deficere* scriptum reliquerit, loquutus videtur de intermittentia superueniente, non autem de connutritâ. Nam hæc non fit propter facultatis vitium: quis enim à primo exortu cum vitalis facultatis offensione vitam prorogabit? Summoperè tamen aduertere oportet intermittentiam licet sit naturalis, hoc est à primo exortu suspectam omnino esse: quippe Galenus in illo Oeconomo solùm pronunciauit pulsuum intermittentiam non prouenisse à præsentis morbi reliquiis, non tamen eundem à periculo repentinæ mortis, securum esse magnus Medicus iussisset. Quidni? Profecto licet à principio, instrumentorum duntaxat vitio pulsus intermitterent, progressu tamen temporis ab hac intermittentia facultatem vitiatum iri par erat. In Antipatro hoc innotuit: obstructæ námque læues pulmonum arteriæ facultatem labefactarunt. Rursus facultas læsa sua instrumenta vitiauit. Ita ex læuium arteriarum vitio facultas vitalis in corde fuit læsa, ex facultatis vitalis læsione pulsuum inæqualitas fuit sequuta. Erat autem inæqualitas adeò praua, vt miraretur Galenus hominem cum tali pulsu in vita permanere: nec enim solum systematica erat hoc est collectiua, quæ in pluribus pulsationibus consistit, sed etiam singularis, hoc est, quæ in vna tantum. Hæc autem longè deterior est: quantò enim grauiùs in vna actione duntaxat plura subeunt vitia, quàm inter plures aliqua vitiatur: tantò deteriores sunt causæ, quæ inæqualitatem in vno pulsu efficiunt,

2. caus. pul. cit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ciunt, reliquis quæ in pluribus. Claudicatio námque assidua deterior est interpolatâ.

Præter intermittentiam raritas quoque periculosa est, non tamen omnis: quippe ex tribus causis potest accidere, primò ex facultatis robore, cùm facultas vna pulsatione tantùm arteriam distendat, quantùm vsus postulat, nec celeritate indigeat. Hæc raritas nec est parua nec nimis magna, sed pro mensurâ vsus. Secundò ex arteriæ mollitie: tametsi enim facultas modicè sit robusta, cum molle instrumentum motui non resistat, tantùm distenditur pulsus quantùm natura vsui fore, ex innata doctrina cognoscit. Hæc etiam prauitatis parum, aut nihil habere censetur. Tertiò ex vsu diminuto, qui si vltra modum diminuatur, adeò vt raritas mediocritatem transcendat, non caret periculo. Vnde aliqui licet pulsus habeant longe minores iusto, habent tamen tardiores, languidioresque, ac proindè è vestigio pereunt. Nam si corpus ipsum cordis teneat ingens frigiditas, redduntur pulsus languidi, & rari, atque hi dormientes intereunt, ita vt non expergiscantur, aliqui etiam inter loquendum expirant.

Corollarium.

Quoniam intermittentia semper suspecta est, etiam illa quam connutritam appellamus, raritas autem non semper sed duntaxat, quando ex valde diminuto vsu accidit, poteris colligere, absolutè intermittentiam raritate periculosiorem esse. Intermittens pulsus necessariò est inæqualis; rarus coniunctam habet omnium ictuum æqualitatem, cúmque ab intermittentia ad naturalem statum pulsus reducitur, per raritatem transit; neque aliquem vidit Galenus, qui aliter ab intermittentiâ superstes fuerit. Porrò intermittens pulsus dicitur, *qui constat ex inæqualitate raritatis, & prauitatis, alio atque alio vtrobique modo. In raritatis inæqualitate, quòd quies sit longissimè producta; in prauitatis, quòd distentio nimis sit dilatata.* Magis propriè idem Galenus deficientes vocat eos, qui ex prauitatibus constant; intermittentes ex raritatibus. Iam verò quos ille *reciprocos deficientes* appellat, omnium sunt perniciosissimi, cum

1. diff. pul. cap. 12.

ibidem.

scilicet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſcilicet arteria per ſpatium, duarum vel trium, vel plurium etiam pulſationum, motu omnino deſtituta eſſe videtur (tametſi ad ſenſum tantùm, non reuerà tùm quieſcat) ac deinceps ad priſtinum redit motum.

PARTICVLA III.

Palpitatio, & frequens animi defectio ſigna mortis repentinæ.

TAndem Antipatrum Palpitatio ſæpe reuertens occidit. Eſt quidem hoc præcipuè nomine metuenda * Palpitatio, quòd ſcilicet repentinam affert mortem. Mors iſtius fuit qualis in cordis affectibus eſſe ſolet, nempe, teſte Galeno, ſuperueniente ſyncope. Refert idem alibi hiſtoriam cuiuſdam, cui, cum exolueretur fortiter, cor palpitabat, & derepente mors superuenit.

5. de loc. aff. cap. 7.

2. aph. 41.

Mortis præterea diſcrimen ſubeunt, (docente Hippocrate) *qui frequenter ac fortiter ſine causâ manifeſtâ exoluuntur.* Ij enim *de repente moriuntur.* Conſiderat Galenus optimè tres in hac ſententia conditiones, quæ concurrere debent, vt repentinam poſſimus mortem præſagire. Prima eſt, *vt ſæpius patienti hoc accidat.* Altera, *vt fortiter fiat.* Tertia, *vt ſine causâ manifeſtâ.* Frequenter dixit, hoc eſt, repetitis vicibus, non tamen adeò, vt plures in vnaquaque die intelligamus; ſed quoniam ſi ſemel tantùm animo linqueretur, poſſet hoc contingere à causâ quæ præteriit, & nullum amplius ſui ſignum reliquit; ſi verò repetat malum, cauſa ſtabilis ſignificatur. *Fortiter* dictum eſt: quia leue deliquium leuem habet cauſam. ** Quoniam autem ſyncope à Lipothymia, minore duntaxat, aut maiore vehementiâ diſtinguitur, cum de forti exolutione Hippocrates loquatur, de ſyncope intelligendus venit à nonnullis, inter quos eſt Cardanus. Verumtamen contrarium Galenus ſentire videtur his verbis. *Ille cui, dum exolueretur, cor palpitabat, derepentè mortuus eſt, non aliter quàm qui acutiſſimis cordis affectibus, quos ſyncopas vocant, arrepti, ſubito intereunt*; ſic ille. Si ergo qui exoluebatur mortuus eſt, tanquam illi qui à ſyncope moriuntur,

ibidem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

profectò exolutio illa licèt ſimilis, non tamen eadem, cum ſyncope erat. Addit Hippocrates *ſine cauſâ manifeſtâ*; nihilominus hæc conditio non excludit cauſas ſoli Medico manifeſtas, ſed eas quæ vulgus per ſe agnoſcit, vt ſunt mora in balneo, copioſa hæmorrhægia, animi pathemata.

Appendix.

Frequentiæ animo linquendi, poteris addere facilitatem incidendi in deliquium, facile autem, hoc eſt, leui de cauſa cadunt, * * * qui parum ſunt animoſi; eos propterea ab omni ſubita alteratione præcauere oportet. Pertinent animoſitas, & eius contraria timiditas ad cor; & ſubinde vitalem potentiam in corde ſitam, ſiue animoſam, aut iraſcibilem appellatam, fortiorem aut debiliorem arguunt. Quamuis autem omnes homines animi paſſionibus ſint obnoxij, & ab eiſdem perturbentur, (niſi ſint conſtantiæ monſtra, qualis fuiſſe Socrates perhibetur, qui neque ad proſperos, neque ad fortunæ aduerſos ictus faciem mutabat; quales etiam lapidei Stoici aut erant, aut ſe eſſe ſimulabant,) multò tamen vehementiùs corripiuntur timidi, & ſtulti quàm audaces, & ſapientes: idcirco à Galeno eſt dictum, & nos ſuperius inſinuauimus. *Aliter cum ſapientibus, aliter cum timidis & ſtultis agendum eſſe.*

6. epid. ſect. 2. com. 43.

* Eſt Palpitatio, quæ à Græcis παλμὸς dicitur deprauatus cordis motus; fitque, vt Galenus ait, *vel per ſe adueniens, vel cum ſignificatione quadam, quod in humore cor moueatur: neque enim mirum videri debet tantam humoris multitudinem cumulari aliquando, in ambiente cor tunicâ, vt ipſum, ne attollatur, impedire poſſit.* Vidit ipſe in animalibus diſſectis plurimum humoris vrinæ ſpeciem referentis, in eo, qui cor inuoluit, panniculo contineri; refértque hiſtoriam de Simia, quam emortuam diſſecuit, quoniam negotiis diſtractus viuam aperire non potuit: hæc viuens emaciari in dies conſpiciebatur, & in diſſectione, illæſis vniuerſis partibus, inuentus eſt in ambiente cor tunicâ, tumor præter naturam, humorem, in ſe continens, qualem puſtulæ (Græci ὑδατίδας vocant) emittere ſolent. Narrat prætereà fuiſſe Gallum Gallinaceum, cui eadem tunica ſchirroſo humore erat infecta, perinde ac ſi plures craſſæ membranæ, altera alteri inuolutæ fuiſſent; verùm in hoc nihil humoris continebatur. Cùm igitur in palpitatione à causâ præternaturam, præter naturalis, hoc eſt, deprauatus, reddatur

5. de loc. aff. cap. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tur motus; sic affectus homo derepentè potest syncopizare, nec à syncope resurgere.

** Quemadmodum Palpitatio est deprauatus motus, ita lipothymia λειποθυμία seu Lipopsichia λειποψυχία diminutus; syncope ablatus. Differunt ergo lipothymia, & syncope, iuxta magis, & minus; vterque tamen affectus cordis est, nempe lipothymia virium defectus, syncope præceps virium lapsus. Idcircò Galenus *defectus* inquit *animi præcedere conuenit syncopem*; & alibi *eandē, ait posse esse causam lipothymiæ, & syncopis, sed maiorem causam requiri ad syncopem*. Non est igitur audiendus Christophorus à Vega, cum aliis, quorum opinio est lipothymiam pertinere ad facultatem animalem, syncopem ad vitalem. Persuadentur ex eo quod Galenus vbi mittendum sanguinem vsque ad deliquium animi docet, simul præcipit vt manum pulsui admoueamus ad cognoscendam pulsationum diminutionem. Et hinc colligunt non deesse pulsum in animi deliquio, sed animo deficiente, idest, animali facultate, vitales vires constare. Hippocrates etiam euacuationem admittit vsque ad animi deliquium, si vires possint id ferre; cúm igitur quispiam animo linquatur (inquit Vega) adhuc constant vires, nempe vitales, quia vis animalis deficit. Affert tandem verba Galeni dicentis *ob animalis facultatis imbecillitatem hoc patiuntur*. loquitur de exolutione. Propterea ab eodem Vega reprehenditur Fuchsius qui in eodem aphorismo pro animali facultate transtulit vitalem.

1. art. cur. ad Glauc. c. 14.

12. meth. cap. 5.

de rat. cur. per sang. miss. c. 12.

1. aph. 23.

2. aph. 41.

Cæterùm non est reprehendendus Fuchsius, quamuis enim in codice Aldino *animalis* legatur, nihilominus Brasauolus testatur in antiquo legi *vitalis* & ita emendauit Leoniceni translationē. Neque distinctio à Vega allata Galeno consona est: siquidem (vti dicebam) eandem vtriusque affectus causam, duntaxat secundum magis, & minus diuersam ita manifestè statuit, vt nihil manifestius dici possit. Quod verò ex libro de sanguinis missione in contrarium affertur, nullius est momenti: nam cum lipothymia sit virium diminutio, syncope verò ablatio, & sanguinis missio vsque ad lipothymiam sit facienda non autem ad syncopen; oportet Medicum ad pulsum attendere dum sanguis fluit, vt obseruetur virium diminutio ne ad ablationem accedat. Ob eandem causam dicitur ab Hippocrate mittendum esse sanguinem vsque ad animi deliquium, si æger tolerare possit, hoc est, si constent vires: nam ægro imbecillo non sunt copiosæ euacuationes moliendæ, tùm quia periculum est ne ab eis non resurgat, tùm quia in debili facilior est lapsus à lipothymia ad syncopen. Verum quidem est, neque hæc Vegæ negare possumus, in lipothymia operationes virtutis animalis ferè impeditas esse, vitalis autem facultatis functiones parum. Hoc tamen non arguit affectum in sua radice pertinere ad facultatem animalem, sed duntaxat trahi animalem in consensum vitalis, & animalem faciliùs quàm vitalem concidere. Neque est nouum, & inauditum, grauius laborare id quod per consensum laborat, quàm quod primariò: vt, leui ventriculi molestiâ, molestissimi fiunt capitis dolores, nec non & cordis palpitationes, atque defectus. Profectò tàm in lipothymia, quàm in syncope,

animalis virtus laborat; in syncope magis, in lipothymia minus; ita etiam & vitalis in vtroque affectu fatigatur: quòd si parum est quod in lipothymia patitur, id accidit propter nimiam naturæ solicitudinem in custodienda vitâ. Aëtius non ex diuersis facultatibus sed ex magnitudine lapsuum, separat inter se hos duos affectus *Differt* (inquit ille) *lipothymia à syncope, quòd lipothymia derepentè incidit, sensu, & motu hominem priuans, & omnino non sudant. Syncope verò & vigilantes, & dormientes inuadit, & omnino cùm sudoribus, qui syncoptici appellari solent.* Itaque nihil in syncope inuenies, quod eam à lipothymia differre faciat, nisi ea quæ maiorem mali causam, vehementiámque ostendunt. Prouenit vterque affectus ab immoderato sanguinis vndequaque fluore; si tamen fluor sanguinis fiat ab arte, & oporteat ad lipothymiam accedere; manu tangentes pulsum eam agnoscimus, quod accidit quia in pulsu fit mutatio; manu igitur pulsum tangimus, vt superueniente lipothymia, statim cessemus, nec vlteriùs progrediendo in syncopen dilabatur. Prouenit prætereà hæc facultatis vitalis imbecillitas, ab ea euacuatione, quę insensilis appellatur, fitque cum spirituum resolutione, vt in vehementibus doloribus, in animi passionibus, & similibus. Potest etiam prouenire ex angustia arteriarum in exortu à corde quæ vel propter tubercula, vel propter humorem obstruentem, vel aliter quomodocumque efficere potest, vt commeatus arteriarum ad cor non sit liber, & amplus, sed semper diminutus, aliquando fere impeditus. Facit huius rei fidem Dodonæus, qui narrat se obseruasse callum in arteria magna loco cordi proximò. Erat iste, dum in viuis permaneret, crebrò palpitationi obnoxius, sex verò ante obitum mensibus pulsum in sinistro carpo adeò exiguum habuit, vt nullus sæpè apparuerit.

tetrab. 2. serm. 1. c. 101.

in annot. ad Beneuen. de abdit. morb. caus. c. 35.

3. de loc. aff. & 3. de placit. c. 6.

*** Est irascibilis facultas in corde, quemadmodum rationalis in cerebro, concupiscibilis in iecore, quod Galenus accepit; *Vsus enim communis loquendi hoc docet: siquidem fatuum dicimus cerebrum non habere, timido, & pusillanimi cor deesse; Tityo vero iecur à vulture erosum, non solùm Poetæ, verùm etiam Pictores, Sculptoresque fingunt*: Sic Galenus, qui tamen aliquando argumentandi genus sumptum à communi loquendi more non recipit. Animositas, & timiditas ad cor pertinent, ac proinde vitalis potentiæ fortioris, aut debilioris sunt indices. Nec solùm à timore, sed ab omnibus aliis passionibus pusillanimes offenduntur, vt ex gaudio, & verecundiâ. Pusillanimis fuisse Diodorus Professor Dialecticę mihi videtur cuius Plinius meminit, is lusoria quæstione non protinus ad Stilbonis interrogationes dissoluta pudore expirauit. Non immeritò igitur superius est dictum cautè cum timidis, & stultis esse agendum. Nam vt Galenus ait, *animus eorum*, potius animulus, *naturaliter imbecillus vehemente passione detentus semel, & confestim extinguitur, & suffocatur.* Ex gaudio autem velut ex timore quàm plurimos interire constat ex historiis, quarum plurimas reperies apud Marcellum Donatum in sua historia medica.

Plin. lib. 7. cap. 57.

2. caus. symp. cap. 5.

lib. 3. c. 13.

PARTICVLA

PARTICVLA IV.

Mors repentina ex habitu athletico, & suppressis euacuationibus prædicenda.

AFfert etiam repentinæ mortis periculum optimus habitus, Athleticum appellamus; Athletæ enim, quorum vita segnis ferat; habitum summè bonum, summè tamen suspectum acquirebant, vnde Celsus *si plenior aliquis, & coloratior est factus suspecta habere bona sua debet.* Accepit hoc ab Hippocrate, quo auctore *bonum habitum statim soluere oportet.* Cur periculum extrema hæc plenitudo afferat ab Hippocrate est dictum, à Celso repetitum: si in extremo bonitatis constituantur saginati homines, ruinam expectare licet: *neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere, cùm verò non quiescant: neque posSint proficere in melius: reliquum est vt decidant in deterius.* Hoc ita ab Hippocrate vniuersim fuit prolatum, quod Galenus ad peculiaria reducit damna. Nam *cùm vasa cibis, & potionibus fuerint supra modum repleta, periculum est, ne aut ipsa rumpantur, aut calor natiuus suffocetur, extinguatúrve; sicut etiam subita morte interierunt athletæ quidam, cùm ad summam repletionem venißent. Hunc igitur bonum habitum soluere oportet nihil immorantes, sed anticipantes solutione periculum.* Adhuc etiam alibi peculiariter magis quomodo suffocatio & venarum ruptio proueniat, explicat. *Cùm enim ad satietatem edant, validéque ventriculus concoquat; ac facilè post coctionem distributio fiat, mox sanguinis generatio, appositio, agglutinatio, siuè adhærentia, ac nutritio subsequatur, periculum est ne admodùm impleantur, nullúsque naturæ, ad appositionem, locus relinquatur, propterequè venis immodico sanguine oppletis, innatus calor perspirationis inopia suffocetur, ac restinguatur. Quòd si calor iste obstiterit, quædam vel ex pulmonis, vel iecinoris, vel pectoris præcipuis vasis scinduntur: hæc enim ex molliore sunt tunicâ, quàm quæ habentur in longis membris, & priùs quidem hauriunt nutrimentum, atque ob naturalis caloris, qui est in ipsis, copiam, & aßiduas actiones, sanguis ob feruorē, bulliēti similis, non secus ac mustum dolia, conceptaculorum tunicas abscindit.*

lib. 2. cap. 2.

1. aph. 3.

libell. de bona habitud.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Tria itaque pericula in ſtatu athletico timentur. Primum putredo ob multitudinem: putreſcunt enim citò quæ multa,& conculcata ſunt; necnon etiam obſtruuntur meatus, & impeditur tranſpiratio. Secundum verò, ſuffocatio ob eandem multitudinem, quæ opprimit calorem, & arterias ita diſtendit, vt non poſſint contrahi, neque dilatari. Tertium, venarum ruptio ob feruorem, non aliter ac bulliens muſtum ſolet dolia abrumpere. Accedit alia non contemnenda ratio: quia nimirum à cauſis externis, citò,& grauiter offenduntur. Nam ſi perfrigerantur, ſuffocatur eorum calor, cohibita ſenſibili; & inſenſibili tranſpiratione. Si calefiunt, multus ſanguis fuſus per conſtipata corpora ſtrangulat. Exercitatio quoque pleno corpore periculoſa; ſimiliter otium, & aliorum eſt eadem ratio,ita vt periculoſa hæc diſpoſitio ſit, in qua nihil non periculoſum. Circa hoc videre expedit quæ Galenus ex Euripide affert in Paraphraſi ſuaſoria ad artes.

c. vltimo.

Ex tribus periculis, magis frequentem exiſtimat Cardanus eſſe venarum ruptionem, minùs frequentem, ſuffocationem. Et quidem minor copia ebulliens vaſa diſrumpet, quàm erit illa, quæ calorem opprimens ſuffocabit; ac proinde faciliùs rumpentur vaſa: ſiquidem minor cauſa ad id ſufficit. Nihilominus non eſt admodum infrequens ſuffocatio à multitudine, imò verò ſic mors magis repentina accidit, quàm per vaſorum ruptionem: quippe ruptio non derepente facit cadere, niſi ſanguis per os exiens, etiam ſua quantitate, reſpirationem intercludat. At ſuffocatio aliquando tanta eſt vt derepentè occidat: fortes námque apoplexiæ ideò non curantur, quia ſuffocatio præſto adueniens ad remedia exhibenda inducias non præbet.

Si tamen hæc pericula non adeſſent profectò Athleta aliis longæuior eſſet; nam athleticus habitus non damnatur propter aliud, niſi propter pericula, quæ ſecum affert. Hinc eſt quod in arte medicâ Galenus carnoſam temperaturam commendat: quia calido, & humido, in quibus vita conſiſtit,abundat. Tunc adiungit *ſi plurimum augeatur* (nempe calidum, & humidum) *citò à putredine corripitur morbus*: ex quibus verbis conſtat craſſum habitum per ſe eſſe laudabilem, damnabilem propter pericula. Inquit prætereà in opere de ſanitate tuenda: *quod*

cap. 56.

attinet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

attinet ad rationem temperamenti, qui calidißimi, & humidißimi sunt, iidem sunt longæuißimi. Dixit, *quod attinet ad rationem temperamenti*, quasi diceret, nisi præoccupentur à morbis ex putredine. Quod si Hippocrates dixit *eos qui naturâ admodum craßi sunt, citiùs interire quàm graciles*, nihil nostræ sententiæ aduersatur: cùm de crassis à naturâ sermonem habeat, quorum venæ angustæ sunt, & subinde sanguis paucus. Qui verò lauto victu crassum habitum compararunt, vt sunt athletæ, venas habent amplas, & propterea calorem natiuum minùs corruptioni obnoxium.

2. aph. 44.

Solitæ euacuationes, si supprimantur mortis repentinæ sunt causa atque signum. Hoc tamen sic intelligito vt si suppressa euacuatio sit magna vti sudor aut hæmorrhoidum, mensiúmve fluor, vomitus, & alia huiusmodi, poterit repentinæ morti occasionem præstare: quia scilicet materia quæ per vias assuetas non egreditur, in membrum princeps subito irruens occidit. Erit autem simul causa & signum: siquidem spontanea magnæ euacuationis suppressio ducit nos in suspicionem, & timorem latentis mali, & naturæ ab assuetis operibus propter impotentiam, aut propter impedimentum cessantis. Si verò euacuatio solita exigua sit vti ex cauterio, & sponte cessat non tàm causa quàm signum repentinæ mortis esse potest; neque enim tàm exigua materia suppressa non posset à natura emendari, si natura tunc sui compos esset; quare (vt in meo de meteoris microcosmi dixi) clauditur fonticulus quia homo est morti proximus; non est homo morti proximus quia fonticulus clauditur.

* Hæc omnia sequens series tibi ante oculos proponit.

*Mors repentina præcognoscitur.

- Ex respiratione vitio *siue magnum sit siue paruum, à quacumque causâ fiat, siue à tuberculo pulmonis, siue ab humoribus crassis, lentis, obstruentibus pulmonis bronchia, siue propter angustiam meatuum ab eisdem humoribus factam.*
- Ex catarrho qui destillationem suffocantem minatur.
- Ex pulsu
  - inæquali
    - ex inflammatione.
    - ex obstructione.
    - ex tuberculo.
  - intermittente
    - Naturaliter, *hoc est à primo exortu, & hic, vt plurimũ fit vitio instrumẽti, & nihilominus est timendus quia non rectè cordi inseruit.*
    - Accidentaliter, *qui si in duabus pulsationibus deficiat, apoplexiæ assimilatur.*
  - raro
    - Propter mollitiem arteriæ *& parum aut nihil prauus censetur.*
    - Propter vsum diminutus
      - modicè, *non prauus.*
      - immodicè, *prauus.*
- Ex palpitatione
- Ex animi deliquio
  - Si sit frequens
  - Si sit fortis
  - Si sit sine causâ manifestâ
  - Si facilè incidat *quod contingit timidis & stultis ex qualibet leui animi passione.*
- Ex habitu athletico ex quo fiunt
  - Putredo *propter multitudinem sanguinis, qui conculcatur non difflatur.*
  - Suffocatio *ob eandem multitudinem, quæ calorem opprimit & arterias distendit.*
  - Venarum ruptio *ob feruorem, sicut bulliens mustum dolia rumpit.*
- Ex suppressis solitis euacuationibus.
  - Si euacuatio erat magna *est signum & causa mortis repentinæ, timendum námque est, ne retenta multa materia interimat.*
  - Si euacuatio erat parua *est duntaxat signum repentinæ mortis: vix enim credi potest exiguum, quod euacuatur si supprimatur posse perimere vnde non moritur homo, quia occluditur fonticulus; sed occluditur fonticulus quia homo moritur, naturâ scilicet suorum operum iam præ debilitate oblitâ.*

Pars II.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Pars II. Continens PRÆSAGIA DVRATIONIS MORBORVM.

CAPVT PRIMVM.

De Morborum constitutione.

PARTICVLA PRIMA.

Quid & quotuplex sit constitutio.

MORBVM longum aut breuem dicimus (vt est apud Galenum) iuxta eius constitutionem, quam Κατάστασιν appellãt græci. Hoc nomine non intelligo collocationem cuiusque rei in suam sedem, in quo significatu accipitur ab Hippocrate, vt Galenus annotauit. Neque etiam temperamentum aëris præter naturam, quod constitutio temporis appellari solet; sed cuiusque rei formam, vt vocat Galenus in Epidemiis. Cum autẽ constitutionẽ morbi, formã dico, non eius essentiam, sed figuram intelligi volo, secundùm quã morbus vel longus vel breuis figuratur: quippe breuitas, aut longitudo * non variat speciem, essentiámve ęgritudinis. Tertiana notha per paucos dies durans, & per plures menses extensa, vtraque tertiana notha est. Phrenitis aliquando morbus acutus, aliquando non acutus est, quod colliges ex Hippocrate

1. aph. 12.

3. de fract. tex. 38.

3. epid. sect. 3. in princip.

1. epid sect. 2. tex. 77.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

crate; & longas phrenitidas se conspexisse narrat Galenus. Idcircò rectè Gorræus Καταςτασιν non formam, sed quasi formam nuncupat, nempe formam, secundùm quam morbus ex talibus, & tantis constituitur vniuersalibus temporibus. Similiter Galenus eandem vocat, qualemcumque, ex totius morbi temporibus, compositionem. Totius morbi tempora sunt quæ vniuersalia dicuntur, vt videre est apud Galenum, qui post libellum de morborum temporibus, alium scripsit, & inscripsit, *De totius morbi temporibus*, hoc est, de vniuersalibus, quibus circunscripta duratio est, quam constitutionem dico.

1.cris.c.4.

Constitutio diuiditur in longam, breuem, breuiorem, breuissimam. In longâ, morbi chronici, hoc est, longi constituuntur; in breui, acuti, siue sint exactè tales, siue minùs exactè, siue acuti, ex decidentia; in breuiore, peracuti; in breuissima, exactè peracuti, quos barbarè loquentes perperacutos appellant. Omnis autem constitutio, siue longa, siue breuis, breuior, aut breuissima, tunc ** legitima dicetur, cùm per ordinatos gradus ægritudo progreditur, ita vt nullum tempus intermedium, vel omnino præscindatur, vel saltem insensile reddatur; quod & à naturâ, & ab arte fieri posse inferius videbimus: illegitima verò constitutio est in quâ tempora arte, vel naturâ extinguntur; vel saltem decurtantur.

* Multoties morbi acuti intra suum terminum imperfectè iudicati vlterius procedunt, nec propriam naturam mutant. Phrenitis, v.g. quæ vltra acutorum terminos progreditur, figuram quidem mutat, nequaquam autem naturam, quod non poterit dici, vbi morbus in alium morbum degenerat, vti si phrenisis degeneraret in lethargum; aut pleuritis, in peripneumoniam, empyemáve transmutetur. Reperies apud Hippocratem quamplurimos ægrotos, qui acuto morbo laborantes vltra vigesimum sunt progressi, ita tamen vt omnes intra vigesimum crisim imperfectam habuerint.

1.epid.sect.3. ægr.5.

Epicratis vxor febre acutâ, Correpta, octogesimo die liberata fuit, sed multas priùs imperfectas iudicationes subiit, præcipuè die decimaquintâ, in quâ vomuit biliosa, flaua, subrubra, sudauit à febre libera; vnde iuxta Galeni opinionem die decimaquartâ primùm est iudicata, vt iam periculo libera esset.

ibidem ægrot..6.

Cleonactes acutè etiam ægrotans octogesimo die euasit. Verùm hunc priùs accessiones inuadebant decretoriis diebus maximè, adeò vt quot habuit huiusmodi inuasiones, tot imperfectas crises habuisse dicendus sit.

Clazomenius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Clazomenius, vſque ad quadrageſimum, qui terminus acutorum ex decidentiâ eſt, produxit morbum;attamen vigeſimo die à febre liberatus fuerat, & iudicatus,cæterùm (vt Galenus annotauit) non erat conſtans,& abſolutum iudicium. *ibidem. agrot.10.*

Hermocrates, qui ad nouum murum habitabat,vigeſimoſeptimo mortuus eſt,ſed tamen intra acutorum terminum bis iudicatus,nempe decimoquarto,& vigeſimo,quæ indicia, non ſolùm ex euentu,ſed ex præcedentis coctionis defectu, imperfectam fuiſſe ſatis conſtat. *3.epid.ſect. 1.agr.2.*

Qui in Dealcis decumbebat horto, quadrageſimo iudicatus eſt, verumtamen vigeſimo ſudauit,liber erat à febre; atque ita in illo vigeſimo, criſis ſaltem imperfecta fuit; ſed cur imperfecta,ſi liber erat à febre? nempe quia non ſecurè: deerant enim coctiones, quæ ſecuritatem ſignificant? *ibid.agr.3.*

Parius, qui ſupra Dianæ Ædes decumbebat, centeſimo vigeſimo die obiit, & morbus iam in chronicorum numero erat,ſed ſudauerat vndique vigeſimo,& (vt habet marginalis lectio) *fuit à febre liber*. *3.epid.ſect. 3.agr.1.*

Mulier, quæ apud frigidam in Thaſo habitabat, octogeſimo obiit,hæc vigeſimo prauam criſim habuit,& ſic de ſalute eius fuit hac die deſperandum. Nam vigeſima hac die, vrinæ erant aquoſæ, & multæ, & forſan propter magnum virium robur, potuit cum ſignis peſſimis tandiù in vita perdurare. *ibid.agrot.2.*

Abderæ virgo, quæ in veſtibulo templi decumbebat, vigeſimoſeptimo liberata fuit, cæterùm in vigeſimo,imperfectè iudicata: ſiquidem aliquantum ſanguinis è naribus erupit,ſudauit,febre fuit liberata. *ibid.agrot.7*

Anaxion, trigeſimo quarto euaſit, ſed hic quoque vigeſimo ſudauit febre liberatus eſt. *ibid.agrot.8.*

Nicodemus, vigeſimo quarto fuit liberatus, ſimiliter & hic vigeſimo multùm ſudauit, viſus febre liber eſſe. *ibid. agr.10.*

Annotatio.

Hoc vt plurimum euenit (ſic documenta in arte medica ſunt accipienda) nec eſt infallibilis veritatis: contingit námque aliquando, morbum acutum, non iudicatum intra vigeſimum, vlteriùs pergere, vt accidit Heropyto, qui centeſimo fuit iudicatus, neque prius criſim aliquam habuit. Similiter etiam Apollonius circa diem trigeſimum quartum obiit, neque eum in termino acutorum criſim habuiſſe comperio. *3.epid.ſect. 3.agrot.9.* *ibid. agr.13.*

* Inuenies apud Valleſium (neque memini me id apud alium vidiſſe) duplicem conſtitutionem,alteram legitimam, illegitimam alteram. Legitimam appellat, cum morbus, circa irritamentum aliquod, aut cauſam, quæ remoretur, ſuum peragit fatalem curſum. Hunc morbum proportionē ita,ſeruare ait vt principium totius morbi,æquale ſit duobus ſequentibus temporibus, & tempus principij duas habeat partes æquales, quas *lib.10.contr. cap.18.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſeparat dies in quo primùm apparent ſigna coctionis obſcuræ. Hæc quidem diuiſio, quemadmodum ingenioſa eſt, ita & inutilis, & falſa. Inutilem appello, quoniam in praxi vix vna conſtitutio quæ hoc modo legitima dicatur, in mille annis eueniet: quippe vix credi poteſt, contingere aliquando, vt morbus neque ab aëris intemperie, neque ab humoris peccantis, cum alio humore, concurſu, neque ab aliâ quapiam intrinſecâ, aut extrinſecâ causâ irritetur, aut retardetur. Oportebat autem eum, qui hanc introducere voluit doctrinam, eandem euentu comprobare, & innumeros inter ægrotos, quorum hiſtorias narrat Hippocrates, vnum, vel alterum proponere, cui legitima conſtitutio euenerit. Ex altera parte, falſam eſſe arbitror: quoniam non eſt rationi conſonum, longius eſſe tempus ab omnimodâ cruditate, ad manifeſtam coctionem, quàm illud, quod interiacet inter manifeſtam coctionem, & perfectam: ſiquidem id quod crudum eſt, magis coquenti cauſæ reſiſtit, quàm quod imperfectè coctum; motus enim à cruditate ad coctionem, eſt ſimilis motui grauium, & leuium, hoc eſt, in fine velocior: vtpote qui magis in fine diſpoſitum, quàm in principio, paſſum inuenit. Neque Valleſius dicere debuerat principium eſſe æquale duobus ſequentibus temporibus, ſed (quando ita volebat) principium æquale augmento: nam vt coctio manifeſta eſt finis principij, & principium augmenti; ita coctio perfecta eſt augmenti finis, & vigor morbi: quippe vigor in acutis, de quibus loquimur, aliquando momentaneus eſt vt non ſentiatur. *Et quidem* (vt Galenus ait) *ſæpe in morbis, nullum ſenſibile tempus inuenitur huiuſmodi, ſed habente adhuc quartâ (ſi ita contigerit) acceſſione, indicia augmenti, quinta ſuperueniet acceſſio, declinationis principium:* quod ſi ſenſibilem vigorem ſpectas, is teſte eodem breuiſſimus eſt; *contingit enim nonnunquam duas acceſſiones, vbi maximè factæ fuerint inuicem æquales, ſtatus tempus circunſcribere; nonnunquam verò vnam omnibus aliis præcedentibus, reliquiſque ſequentibus eſſe maiorem. Ad tres autem extendi acceſſiones, ſtatus tempus, in morbis acutis, non admodùm accidit.* Affert Valleſius in confirmationem ſuæ ſententiæ, ſententiam Hippocratis. *Quibus ſeptima indicatur, iis nubecula rubra quarta die, in vrinâ apparet.* Ait igitur, cùm quartus dies ſit medius principio, & augmento, fit vt tres dies durauerit principium, tres itidem ſuperfuerint, à principij fine vſque ad criſim. Hoc quidem ita eſt, non autem quia ſic legitima expoſtulat conſtitutio, ſed quia vt alibi ait Hippocrates *ſeptenorum quartus eſt index.* Cætera quæ in hanc rem proſequitur libens omitto, quia gratis dicta videntur.

1.criſ.c.3.

1.criſ. c.10.

4.aph.71.

PARTICVLA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

PARTICVLA II.

Singularum constitutionum duratio.

COnsulendus est Galenus, qui nos doceat constitutionum seorsim terminos. Iuxta cuius doctrinam, acutus simpliciter, aut est exactè acutus, & ad vsque * decimum quartum porrigitur diem; aut non exactè, & ad vigesimum vsque durat, qui tamen adhuc acutus est. Alius verò, qui ad quadragesimum vsque diem peruenit, ex delapsu, seu ex decidentia acutus vocatur: sic enim placuit Galeno appellare eum, qui intra vigesimum imperfectè iudicatus, vel non iudicatus, refractâ iam vehementiâ, suum residuum in quadragesimum producit diem. Si vlteriùs procedat, non ampliùs acutus, sed longus nuncupatur. Rursus peracutus est, qui ad septimum vsque diem extenditur, exactè peracutus, qui quartum diem attingit, siquis breuior fuerit, iam magis repentina mors, quàm morbus appellari meretur.

2. dier. decr. cap. 12.

Non est hoc loco prætereunda controuersia, quam Galenus agitat, & soluit; quæ, vt ipse ait, consolationem requirit. Quomodo Hippocrates terminum acutorum morborum diem decimum quartum constituit, & tamen alibi acutorum terminum dixit esse vigesimum. Vnde Herophon febre acutâ correptus, die decimâ septimâ fuit iudicatus; & Philini vxor, quæ filiam pepererat, in febrem ardentem similiter incidit, & die vigesimo obiit, & Chærion à febre acuta sanatus fuit die vigesimo. Soluit hanc quæstionem dupliciter. Primo quoniam *Hippocrates aliquando solum id, quod creberrimè oculis vsurpatum est, nihil faciens id quod rarò euenit, pronunciat.* Vnde cùm rarum sit vt morbus acutus decimumquartum transcendat diem, Hippocrates ad hoc respexit.

2. dier. decr. 2. aph. 23. 2. aph. 24. & li. 3. prog. tex. 3. 1. epid. sect. 3. tex. 20. tex. sequent. 3. epid. sect. 3. tex. 2.

Altera responsio est. Qui ad decimum septimum diem, aut vigesimum prorsus acuti morbi exciderunt, hi planè inceperunt tanquam submersi lento motu, grauíque. *Deinde alij in primo quaternione, alij in secundo exactè acutorum motum recipientes, ad decimum septimum & vigesimum exciderunt. Quamquam & hi ante decimumquartum suum iudicati sunt. Nam in primo dierum quaternione vehementiam accipientes, deinde decimoseptimo iudicati decimumquartum suum diem non excesserunt.*

Porrò, cum phrenitici (vt Diocles, & alij ferè omnes veteres existimarunt)

marunt) à primo statim die non admodum fiant, sed vt plurimum post transactos nonnullos dies, ex quo homo febricitare cœpit, sequitur vt *qui quinto die delirare cœperit, & septimo decimo indicatus fuerit: vel septimo, & indicatus fuerit vigesimo, hic intra decimum quartum suum diem crisim sustinuit:* nam à quinto ad decimum septimum duodecim excurrunt dies, ad septimum, ad vigesimum tredecim. Adolescens in Melibæa, die decimo delirauit modicè, quarto decimo desipuit, cuncta exacerbata sunt; vigesimo quarto obiit. Huic inita supputatione à die decimo, in quo delirare cœpit, vigesimus quartus, pro decimoquarto habendus est.

3. epid. sect. 3. tex. 87.

Annotatio.

Aliquando tamen phrenitici prima die fiunt, & isti intra terminum acutorum terminantur. Sic Hippocrates quemdam narrat primo quo decubuit die phreniticum, die tertio obiisse. At quoniam Dealcis vxor quæ in Leio decumbebat, vsque ad vigesimum primum producta est, & tandem obiit, cùm nihilominus Galeno videatur, eam primo statim die phreniticam fuisse. Hoc idemmet Galenus, quasi præter normam euenisset, excusat; tum quia modice febricitauit; hoc enim, vt insinuaret Hippocrates, scripsit in hac vna ægrotante. *Febres ad manum tenues.* Tùm quoniam fuit species delirij ex melancholia & phrenitide mixta: nam *aut multa loquebatur, aut perpetuo tacebat, in quo ostendebatur mixtio.*

3. epid. sect. 3. tex. 75. eodem 3. tex. 86.

Appendix.

Prædictam doctrinam extende etiam ad morbos exactè peracutos, quod addisces ex Galeno: Erasinus námque, qui ex febre valdè maligna obiit quintâ die ad solis occasum; debuit iuxta Hippocratis sententiam quarto die vel citiùs perire, quippe febrem pessimis firmatam signis habuit: quia tamen primum diem quietè transegit, quintus dies, fuit morbi quartus, factâ computatione à secundo die, in quo omnia exacerbata sunt.

1. epid. sect. 3. tex. 25. 2. progn. 2.

PARTICVLA III.

Quî differat morbus breuis ab acuto.

QVoniam quando morbum breuem dicimus, acutum dicere videmur, in hoc quoque commorari libet cum Galeno, ex cuius doctrinâ percipies non omnem morbum breuem,

2. de dieb. decret. c. vlt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

uem, esse acutum, licet omnis acutus sit breuis. *Est siquidem morbus breui tempore durans (græci brachychronion appellant) non tamen omnino acutus. Huic contrarius est morbus diuturnus, vel multo tempore durans (græcè chronios, vel polychronios, vel quomodocumque aliter quis vocare ipsum malit.)* Itaque brachychroniis, seu olychroniis, seu breuis temporis morbis, vt sunt febres ephemeræ, opponuntur morbi macrochronij, seu chronij, seu potychronij, nempe longum tempus durantes. Acuti verò morbi, aliquid præter breuitatem habent, hoc est, * (ex sententiâ Archigenis) *periculum*; dixit námque, morbum acutum, esse cum velocitate periculosum: Ex mente Hippocratis; *febrem neque qualemcumque, sed continuam interficientem*; siquidem post longum acutorum morborum catalogum, addit. *Et quicumque alij hos sequuntur morbi, quorum febres prorsus continuæ, interficiunt.* Quemadmodum verò morbo breui, opponitur morbus diuturnus, seu brachychronio, polychronius; ita acuto opponitur morbus, nullum nomen sortitus: Attamen & in aphorismis, vocabuli penuriâ Hippocrates, Galenus, cæteríque classici auctores, morbo acuto, longum opponunt. Sed tu, nè abusiuè loquaris, meliùs cum Galeno, morbo breuis temporis, morbum longi temporis; acuto verò, tardum opponi dicito. Et meritò, nam in morbis breuis temporis, consideratur exigua mora; in morbis acutis, velocitas motionis. Dices fortasse, nonne idem est, morbum velociter sua tempora pertransire, & eundem, nihil in eisdem temporibus, immorari? idem profectò, nisi Medicus in velocitate, vehementiam, quam morbus in sua motione habet; in breui morâ, solum spatium temporis consideraret. Adeò autem verum est, velocitatem non secundùm spatium temporis, quod motus consumit, sed secundùm vehementiam spectari; vt in vno, & eodem temporis spatio, febris continua, sit morbus acutus, intermittens verò longus. *Vides igitur*, (inquit Galenus) *nos hunc morbum acutum; illum minimè, esse vocaturos, licet vtriusque solutio eundem habeat præfinitum terminum.* Sic ille. Neque cuiquam dubium esse debet, quartanam, longum morbum esse; & tamen posse breuiter finiri; vt neque è contrario, febres continuas interimentes; posse ad longum tempus delabi, vt in exemplis anteà adductis licuit videre.

1. acut. tex. 8

2. de dieb. decret. c. 12.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Exceptio.

Quamuis Ephemeram in brachychroniis, non in acutis repoſui, excipere oportet ſudorem Britãnicum, quem non Ephemeram febrem, ſed peſtilentem eſſe, in meo de Meteoris Microcoſmi, ſatis probaui. Hæc cum breui tempore interimat, non eſt cur non inter exactè peracutos collocetur. Simpliciter autem Ephemera, licet magnitudinem caloris habeat (fit enim accenſis tenuiſſimis, calidiſſimíſque, & impetum facientibus ſpiritibus) non habet vehementiam: quippe ab aliis diſgnoſcitur benignitate caloris. De ſinocho, quæ ex ſanguine non putrente fit, & ad ephemeras reuocatur, poſſet aliquis dubitare; nihilominùs hæc cum ſymptomatibus careat, à quibus vehemens dici poſſit, eandem cum ſimplici Ephemerâ conditionem ſubit.

* Cùm in acutis, Archigenes, periculum; Hippocrates, continuitatem requirat, & vtroque tertiana exquiſita careat; merito dubitant auctores, an ex acutorum numero debeat excludi. Eam tamen, acutum morbum eſſe, placuit Galeno; cui aſſentitur Auicenna. Imò cùm Hippocrates (vt Galenus non ſemel animaduertit) in opere Prognoſticorum, de ſolis morbis acutis agat; & ibi tertianæ exquiſitæ bis faciat mutationem, locum nobis reliquit exiſtimandi, illius mentem eſſe, vt inter acutos morbos connumeretur.

3. aph. 29. Auic. 1. 4. tract. 1. c. 4. li. 3. tex. 33. & tex. 36.

Quod attinet ad periculum; licet illum in morbo acuto, Archigenes requiſiuit; non ita Galenus, ſed vehementiam: quippe cum velocitate magnitudinem, non periculum expoſtulat: pro magnitudine autem intelligito magnitudinem ſymptomatum, quæ vehementiam facit. Videndus omninò eſt Galenus; datur námque, ex eius ſententia, febris acuta, quæ nihil periculi habet, & quarto die iudicatur, reperiuntúrque febres ardentes, cum grauiſſimis ſymptomatibus, quæ nihil periculi, aut malignitatis habent: contra verò reperiuntur febres puſillæ, ſed valdè periculoſæ.

3. de dieb. decret. c. vlt. & 1. criſ. c. 6. & eiuſdem operis lib. 3. cap. 4.

Quod ad continuitatem ſpectat, quam Hippocrates in morbo acuto requirere videtur. Poſſet aliquis dicere, nec incongruè, morbum acutum, vel eſſe ſine febre, vt apoplexiam: vel cum febre; quæ febris, morbus ſit, non ſymptoma: aut cum febre, quæ ſymptoma, non morbus ſit; atque hanc vltimam eſſe, quam Hippocrates voluit eſſe continuam ſi morbus acutus dici debeat: febris námque accidens & intermittens, immeritò acuta dicitur. Placet tamen mihi aliter reſpondere. Nempe morbum magis aut minùs propriè acutum dici; ita vt morbus breuis, & vehe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

mens, sine periculo, acutus dicatur, minùs tamen propriè, quàm breuis & periculosus. Vtcumque tamen dicas, scito tertianam exquisitam esse causodem, hoc est, de genere febrium ardentium, vt constat ex Galeno: conuenit enim cum febre ardente, in materia, in magnitudine, in symptomatum grauitate, licet propter locum, in quo materia putrescit, intermittens sit, & subinde periculo vacet.

2. cris. cap. 3.

Sunt præterea aliqui morbi, de quibus videtur posse ambigi, num in acutorum catalogo sint reponendi. Apoplexiam Galenus videtur inter diuturnos morbos constituere, & dicunt aliqui, Galeni sententiam, de tota apoplectica constitutione, comprehendente plures inuasiones, intelligendam esse. Ne tamen ita sentias: nam apoplexia non est morbus periodicus. Dicendum potiùs reor, Galenum apoplexiæ vocabulo, comprehendisse apoplexiam, simul cum paraplexia, hoc est, cum resolutione vnius lateris, in quam, apoplexia, in iis qui saluantur, solet terminari.

6. aph. 47.

Conuulsio, si particularis est, diuturnus morbus dici potest, sin vniuersalis, acutus, propter dolorum vehementiam, & difficultatem respirationis, maximè si fuerit tetanus: is enim exactè peracutus dici debet; siquidem ex Hippocratis sententiâ, intra quatuor dies perimit.

5. aph. 6.

Circa Epilepsiam, multi multa dicunt, quod in meis disceptationibus, ex professo pertracto; Interim scire sufficit vnumquemque paroxysmum epilepticum, vnum esse morbum acutum. Nec propterea existimes, sicut singuli epilepsiæ paroysmi, singuli morbi sunt; ita & de tertianâ, & de quartanâ, dici posse. In his aliter res habet: nam propter frequentiam, & prolixitatem accessionum, tempus intermedium non habent omninò liberum; & quamquàm Galenus tertianarios, & quartanarios, in tempore integritatis, extra morbum esse dixerit, corrigenda est lectio: sunt extra pathon, hoc est, extra symptomata accessionis. Siquis quærat, quo morbo in interuallis laborat tertianarius? Respondeo peccare in temperamento partis mandantis, aut recipientis, aut in intemperamento mineræ cum materiâ. At verò in epilepsia, in arthritide, in morsu à cane rabido, aliter est censendum: hi enim quando sunt extra paroxismum, neutri dicuntur à Galeno; idcircò conuenit illis præcautio à futuro paroxismo.

5. de placit.

Exceptio.

Excipe epilepsias quæ pluries in eadem die inuadunt: tunc enim paroxysmorum frequentia, & intermedij spatij exiguitas, facit vt plures paroxysmi simul, vnus morbus acutus dicantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

* Omnes constitutionum differentias sequens tabella comprehendit.

- * Constitutio, hoc est Figura morbi
  - Legitima, *quæ per ordinatos procedit gradus; in quâ nullum tempus intermedium præscinditur, aut decurtatur.*
  - Secundùm Vallesium, *in quâ principium est æquale duobus temporibus sequentibus; & principij tempus, duas habet partes, quas separat dies, in quo, obscuræ coctionis notæ apparent.*
  - Illegitima *quæ stimulatur, aut retardatur ita vt in morbis, non peragat ordinatè suum fatalẽ cursum.*
  - Harum duarum quælibet vel est.
    - Longa, *chronicorũ; qui vltra 40. diẽ producuntur.*
    - Breuis, *acutorũ hæc comprehẽdit morbos,*
      - simpliciter acutos, seu exactè acutos: *terminantur 14. die.*
      - acutos, minùs ** exactè: *terminantur 20. die.*
      - acutos, ex decidẽtiâ: *terminantur die 40.*
    - Breuior, *per acutorum, qui 7. peraguntur die.*
    - Breuissima, *exactè peracutorum, seu (vt loquũtur Barbari) perperacutorum; quorum terminus est 4. dies.*

** *Non omnis acutus est breuis, sed cum periculo, & cum febre continuâ, si sit febris accidens; aut etiam cum intermittente, si sit febris morbus: dummodo habeat vehementiam.* Acuto opponitur morbus nullum nomen sortitus, abusiuè appellatur longus; Tu meliùs appellabis tardum, hoc est, qui lentè procedit, licet præstò finiatur.

Non omnis breuis est acutus: sic Ephemera breuis est morbus, non tamen acutus: quia sine periculo, sine vehementia symptomatum.

Breui morbo, seu brachychronio, seu olychronio, optimè opponitur polychronius, seu chronius, hoc est, morbus longum tempus durans.

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

CAPVT II.

De Morborum temporibus.

PARTICVLA PRIMA.

Quotupliciter morborum tempora dicantur.

NON solùm res permanentes, sed successiuæ etiam, suas habent partes, in quas, saltem cogitatione dissecantur; has ægritudinis duratio sibi vendicat, quas idcirco morbi partes dicimus. Et quoniam, eorum, quæ ortui, & interitui, obnoxia sunt, ætates imitantur, solent etiam communiter, morborum ætates nuncupari. Appellantur etiam morborum tempora: quoniam, quemadmodum tempora, ita & hæ partes, morborum, successione quadam transeunt. Galenus aliquando appellat eas, causæ morbi motiones; quia ex causarum morbum facientium motione, hæ partes, hæ ætates, hæc tempora comparantur. Itaque totius morbi durationem, his ætatibus mensuramus, quas, vniuersalia tempora solemus appellare, vt distinguantur à temporibus particularibus, ex quibus vnusquisque paroxismus constituitur. Suntque quámplurimi morbi qui & vniuersalia, & particularia habent tempora; nec inanis est vtrorumque cognitio.

PARTICVLA II.

Vtilitas ex morbi temporum cognitione.

TAm particularia, quàm vniuersalia tempora obseruare oportet; particularia quidem, quoniam, docente Hippocrate, * *in accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare nocuum* 1.aph.11.

 est:

4. de vict. acu: 39.

1. aph. 7. 8. 9. 10.

eſt: & alibi; neque cùm iam adſunt, neque cùm haud ita multò poſt futuræ ſunt acceſſiones, cibus dandus eſt; ſed cùm declinant, ac ceſſant. Vniuerſalia etiam, ad victum exhibendum, ſunt conſideranda; cum, eodem Hippocrate auctore ſint & ad auxilia citra præcipitis occaſionis iacturam miniſtranda; * * adeò vt nulla recte curatio peragi poſſit, ad quam nos temporum contemplatio non manuducat.

de tot. morb. temp c. vlt.

11. meth. cap. 11.

Totum circuitum Galenus bipartitur, nempe in acceſſionem, quam græci Αὔξιν vocant, & remiſſionis. Tempus ad cibum exhibendum opportunum eſſe ait illud, quod in opere de methodo medendi ex profeſſo docet, *ſiquidem vbi iecur, aut ventriculum phlegmone prehendit, pernicioſiſſimum eſt ante acceſſionem cibare: vbi hæc abeſt, quibus infirma eſt virtus, vtiliſſimum.*

* Hanc ægrum debito tempore cibandi doctrinam, paucis in ſeriem reductis tibi ſequens pagina ante oculos proponit.

* Tempus cibandi ægrum.
- Picrocolum; *huic paulò ante acceſſionem, vel initio acceſſionis, panem ex vino diluto exhibebat Galenus* 10. Meth. c. 3. c. 4.
- non picrocolũ *huic cibus offerẽdus eſt,*
  - reſpectu ad paroxyſmũ;
    - in vigore,
      - Si citra magnitudinem caloris, ſquallidus & ſiccus ſit, *humectetur cibo quamprimùm.*
      - Si citra ſquallorem vrens, *expectandum, donec plurimùm remittat calor.*
    - in principio,
      - Si corporis extrema frigeſcant, & magna fiat ſanguinis ad interna reuocatio;
        - Si cum phlegmone viſceris aut ſuccorum redundantiâ, *cauenda eſt ante acceſſionem cibatio, ceu res maximè noxia.*
        - Si abſque viſceris phlegmone, & ſuccorum redundantiâ; *nihil offendis, paulò ante acceſſionem cibans.*
      - Si corpus omnino non premat, *hoc ceu facile & manſuetum, contemni iubet Galenus.* 11 Meth. 21.
  - reſpectu ad vires;
    - Si non adſint, *omni tempore cibandum.*
    - ſi adſint,
      - vel ſpatium inter duos paroxiſmos eſt amplum; *tunc optimum nutriendi tempus eſt, quod maximè à declinatione præcedente, & principio ſubſequente diſtat.*
      - vel ſpatium eſt anguſtũ
        - vel morbus eſt duraturus; *tunc tempus eligatur ſicut in ancipite & nutriatur æger, vel adhuc calens vel in futura inuaſione.*
        - vel breuis eſt futurus, *continendus à cibo æger eſt.*

10. meth. c. 3. c. 4. & li. 11. meth. c. 21. cent. 4. cur. 98.

In ipsâ verò acceſſione, cibum eſſe exhibendum, apud Galenum inuenies. Quapropter Amatus Luſitanus qui iuueni tertianario, panem lo-

tum aliquali agresta respersum, initio paroxysmi præbebat rectè fecit; fecisset quoque rectè si ante initium paroxysmi præbuisset. Erat iuuenis, habitu gracilis, colore nigellus, & cùm primùm in paroxysmum incurrebat, multùm affligebatur; bilem meram vomebat, oris amarorem sentiebat, & syncopem patiebatur: ideò Amatus his occurrens malis, victum in accessione exhibebat. Cæterum huiusmodi picrocholos, cibis humectari voluit Galenus; non ita tamen, vt rectam, & ab Hippocrate traditam curandi rationem præuerteret: nam & hos balneandos docet, *non tamen quouis tempore sed in accessionis.* Satis igitur fuerat, vidisse primum paroxysmum affligentem in principio, vt in sequente, parum ante accessionem, cibum offerret; nec expectaret vt adessent mala, & tunc, malo etiam victus ordine, vti.

8.meth. c.2.

Appendix.

Habes ex Hippocratis, & Galeni doctrinâ, cibum in accessione non esse exhibendum; adde etiam, nec medicamentum purgans. Ad vtrumque probandum non desunt rationes, sed alibi opportuniùs afferentur: in re præsente extra rem esset, Prognosin non Therapeiam pertracto. At cibum extra accessionem exhibendum, omnes ne saltem ab Hippocrate discedant, fateri coguntur. Pharmacum dare non vetuit Hippocrates, ac subinde putant aliqui, licere, in accessione, purgante medicamento vti; imò (si diis placet) hanc esse optimam curationem; quippe in ea Medicus naturæ motum (quod in hac arte maximopere curandum est) sequitur. Motúmne naturæ? imò oppositum; neque enim solùm motui opponitur quies, sed vnus motus alteri motui. Isti quoniam humor in accessionum principiis est in motu, non quiescendum, sed pharmaco mouendum, putant; nec vident pharmaci motu, naturam à suo motu distrahi. Incipiente accessione humor, vel ad habitum corporis fertur, vel à venis maioribus ad minores, vel in vno & eodem loco ebullit, de hoc non disputo, satis nunc sit cognoscere, medicamentum aliorsum, nempe ad intestina humorem pellere, vt sciamas magnam fieri vtraque motione in corpore turbationem. De cibis, fateor, loquutus fuit Hippocrates, quoniam ibi victum instituere mens eius erat; sed tu ad medicamenta purgantia conuertito, & inuenies eandem imò validiorem esse rationem, quæ ab eorum vsu in paroxysmis prohibeat. Cibum medicamento hac in parte comparat Hippocrates in libello de medicamentis purgantibus, inquiens: *Non decet, vt quis pharmacis confisus, temere ea exhibeat. Quin & cibos, quorum nutricatu fruimur, pharmaca esse putandum est: non æquè tamen ac antè dicta.*

Hippocrates per validas febres medicamenta purgantia veretur, solis enematibus, & sorbitionibus, potionibúsque contentus, donec remiserit febris: Quo ergo iure nos peculiares accessiones, seu peculiares ebullitiones

lib. de medicam. purg. & lib. de affect.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

nes quæremus, vt purgantia, ſuapte natura, calorem inducentia in medio febrili calore exhibeamus? In tertianâ iubet idemmet Hippocrates medicamentum purgans exhiberi, verùm die quartâ, hoc eſt, extra acceſſionem; & manifeſtiùs ibidem: *Et in apprehenſione quidem, ſorbitione, & potu nutrito: interpoſito verò tempore cibis per aluum ſubducentibus.* Si ergo cibos ſubducentes ad tempus intermedium reſeruat, quantò meliùs & ſubducentia pharmaca. Stultè quidam, cibos, ait, prohibet Hippocrates in acceſſione, & eodem iure medicamenta, quæ ſimul ſunt alimenta inde colligit, poſſe in acceſſione, tutò ſcamonium, & Antimonium propinari: quippe hæc nullam habent partem, quæ nutriat. O præclaram interpretationem! Potionéſne, & ſorbitiones, quæ nutriunt, non ſunt medicamenta? imò maximè. Ergo Hippocrates in acceſſione, ſorbitionibus nutriens, non omnino abſtinet à nutrimento, abſtinet tamen ab omni aluum ſubducente. Ne expectes manifeſtius præceptum, de non purgando, in acceſſione: quippe medicinæ Proceres, adeò manifeſtam perniciem hac curandi ratione inuehi intellexerunt, vt non neceſſarium putauerint, circa hoc legem ſancire; quippe nullum adeò cæcum fore putabant, qui in hunc foueam incideret; incidunt tamen aliqui, hoc noſtro calamitoſo æuo, quo ars medica *proſtat, & in promptu pro meretrice iacet.*

de affection.

Exceptio.

de affection.

Quartanam excipito, quam Hippocrates, in ipſa apprehenſione, purgari iubet; imò, eo ipſo, quòd quartanæ meminit, alias febres excludere videtur: & hoc tanquam ſingulare præceptum appoſuit, ex quo generalem normam ne quis educat. At nec in apprehenſione ita accipito, vt medicamenti actio & acceſſionis tempus ſimul coincidãt; apprehenſionem dixit, pro die apprehenſionis, extra tamen acceſſionem; tunc enim humor admodùm rebellis, agitari incipiens, meliùs pharmaco obediet. Hac methodo vſi ſunt viri in arte celebres, vt videre licet apud Amatum luſitanum, ad quem lectorem remitto.

cent. 1. cur. 8.

4. meth. c. 4.
lib. de tot. morb. temp. c. vlt.
3. met. c. 10.

** Licet opportunum tempus, ex quatuor febrium temporibus captandum doceat alicubi Galenus, nihilominùs alibi, ex tempore indicationem curatoriam captari non patitur, cuius rei rationem reddit: ſi enim *tempus ſpectabitur, tanquam ab eo indicatio ſumatur, alteram omnino ſecundus; alteram tertius dies indicationem dabit, &c.* atque adeo multiplices temporum differentiæ, multiplices curationum differentias parient. Præterea, non ab affectu accipietur indicatio, quod tamen in arte medicâ primi principij obtinet locum. Si námque nobis tempora morborum ad indicationem ſumendam proponantur, *affectus, quos curamus, non vltra nobis ad curationem proponentur, nec ab his indicatio ſumetur, quo tamen, ne cogitari quidem magis alienum à ratione poteſt.* Proponantur enim nobis duo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

duo ægroti, quorum vnus primo die, alter ſecundo eandem affectus naturam habeat; iam curatio ratione temporis erit diuerſa, ab eâ, quam affectus natura poſtulat; ſiquidem affectus natura eſt eadem, tempus verò diuerſum. Longè plures rationes in hanc rem congerit in libro de optima ſecta ad Thraſybul. quam ſtudioſus ibi poterit percurrere. Cæterùm hæc apparens contradictio in concordiam redigetur; ſi conſideremus non tempora eſſe quæ indicent, verùm facultates; quod colligitur ex Galeno: *de optim. ſect.* 43. & quoniam in diuerſis temporibus, facultates magis, minúſve laborant, ad tempora reſpicimus, non tanquam ad indicantia, ſed tanquam ad indicantium ſigna. Tu (vt multorum nænias, & inanes reſponſiones effugias) dic tempus non indicare, ſed morbum tempore menſuratum, ad contrariorum menſuram accedere: Frigidæ e. g. potus indicatur à naturâ febris; ea tamen non in omnibus temporibus æquè vtilis eſt; in aliquibus vel nulla, vel pauciſſima conuenit, non quia tempus id indicat, ſed quia à tempore ſumitur ſignum eius rei quæ impedire, vel non impedire poteſt. Aquæ potus conuenit vbi adſunt ſigna coctionis, quare principium morbi, in quo ſigna coctionis nondum apparent, nos deterret ab aquæ potus exhibitione, non quidem quòd aliquid indicet, ſed quoniam ſecum fert id à quo indicatio ſumi poteſt.

Appendix.

Non ad ſolam curationem, ſed ad præſagitionem etiam, iſthæc temporum conſideratio confert, auctore Galeno: *de tot. morb. temp. c. vlt.* ex eâ enim addiſcimus, futurane ſit longa, an breuis ægritudinis conſtitutio, quod in præſente inquirimus. Nec verò te deterreat quòd morborum tempora, tunc cum adſunt, morbos conſtituunt, id verò quod ſignificat, ante rem ſignificatam, debet exiſtere; Ex quo videtur, non poſſe ex temporibus, futuram præcognoſci conſtitutionem: ſiquidem ſimul cum temporibus, præſens iam adeſt conſtitutio. Adeſt quidem conſtitutio, ſed cuius futuram durationem, prima ſtatim tempora præoſtendunt: ſeruant enim inuicem inter ſe proportionem, vixque ad longum principium; breue ſequitur augmentum. Imò ab initio coniicere ſignis poſſumus, quando morbi vigor futurus ſit, quod in ſuis prognoſticis Hippocrates non ſemel *præcipue 3. prog. 37.* inculcatum reliquit. Hæc præcognitio futurorum temporum à ſuis fontibus accipitur, v. g. à morbi eſſentiâ; an verò ſit morbus ex iis, qui ſuas partes cito aſſequuntur, à morbi causâ; vt ſi ſit bilis, an pituita: hæc enim longos; illa, breues facit mor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

bos: ab accidentibus, vt vehementia ſymptomata, quæ præſtò morbum augent: Ab excretis, vtrùm talia ſint, quæ breue, an quæ longum tempus ad coctionem expoſtulant: Ab anni tempore, ſic morbi æſtiui, hyemalibus breuiores ſunt: A cæli ſtatu, hoc eſt, ab impetu vulgarium morborum: A vita ante acta, ex qua cruditates multas, an paucas argumentamur: Tandem à viribus ægrotantis; fortior námque virtus celeriùs ad ſtatum, morbum perducit.

PARTICVLA III.

Particularium temporum ratio.

COnuenire aliquando tempora particularia cum vniuerſalibus docet Galenus, quoniam *vtraque ex certa quadam cauſæ motione iudicantur*; differunt tamen, quoniam vniuerſalia, vniuerſum morbum comprehendunt, adeò vt vnumquodque eorum poſſit plura particularia ſub ſe habere: Siquidem quilibet paroxyſmus ſua particularia percurrit tempora, & vnumquodque ex vniuerſalibus temporibus plures habere poteſt paroxyſmos. Galenus particularia colligens tempora, principium ſtatuit eſſe, quando accenſa in foco caliditas, ſanguinem, ex aliis partibus, illuc trahit, & partes ſanguine priuatæ refrigerantur. Quando verò vehemens caliditas materiam ſuperauit, vt non ſolùm, locum, in quo focus eſt, exurat; ſed etiam per vniuerſum corpus diſpergatur, augmentum appellatur. Cum ad ſummum feruorem deuenerint humores accenſi, vigor, ſeu ſtatus, ſiue conſiſtentia nuncupatur; quo tempore, extenſâ per totum caliditate, vniuerſum corpus igneum quodammodo redditur. Cum tandem ſiue humor tenuis, per meatuum raritatem in ſudorem, ſiue craſſus per anguſtiam eorundem, in tranſpirationem inſenſilem reſoluitur, declinatio dicitur, eſtque feruentium humorum quidam difflatus. Non placet Thomæ à Veiga iſthæc temporum applicatio: nam ſi humor pellitur in acceſſione ad partem, ſatius eſſet naturam ſuffocatam à nouo acceſſu praui humoris quieſcere (quod facit

de optim. ſect. c. 37.

differ. feb. lib. 2. c. vlt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

cit in aliis permutationibus) vt postea roborata melius coquat. Verùm, meo iudicio immerito hanc Galenianam temporum applicationem damnat. Nam confluere, dixit Galenus, non prauum humorem, sed sanguinem, qui ibi duplici de causâ, alteratur, *& quia aliis, quæ iam putrescunt, superfluitatibus permiscetur, & quia intrusus difflari non potest.* Nec verò natura suffocata quiescit, sed potiùs irritata, insurgit aduersus lædentem causam. Quod si in aliis mutationibus quasi sepulta remanet, hoc euenit propter multitudinem materiæ, at in singulis accessionibus non tantus confluit humor, qui naturam possit omnino opprimere, si autem aliquando tantus concurrat; profectò suffocatio, & subinde mors sequetur, vt in principiis paroxysmorum fieri nonnunquam solet, cui periculo, anticipatis euacuationibus, prudens occurrit Medicus.

PARTICVLA IV.

Particularium temporum numerus.

SEnario numero particularia tempora comprehendi, à Galeno accipimus. *Primum tempus est, quod integritati cohæret, frigoris sensum præbens, quod initium appellatur; secundum, quod frigus paulatim deponit, & vocabitur, compendij gratiâ, inæqualitatis tempus; ab hoc tertium, quod est incrementi: postea quartum, quod est consistentiæ: quintum, quod est imminutionis: postremò sextum, quod est integritatis.* Quare non est audiendus Mercurialis, qui tria duntaxat particularia tempora admittit, nec Galeni, cui aduersatur, vllam facit mentionem. Sed legislatorum more inæqualitatem aufert, & græcizando iubet declinationem expungi: ait enim παροξύνεσθαι esse, quod exacuit, & hoc in declinatione haud quaquam reperiri. Confirmat hunc suum errorem, Aëtij verbis, qui paroxysmum appellat, *motum morbi particularem, à remissione ad deterius.* Affert Galenum, qui accessiones vocat *stimulos, quibus natura excitatur ad pugnam.* Mirum est quod Galenum legerit, vbi nihil probat eorum, quæ ille probare contendit; nec eundem legit, vbi contrariam suæ

de morb. temp. c. 4.

3. dier. decr. cap. 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſententiæ, ſententiam ſtatuit. Sciat tamen dici paroxyſmum, morbi motum, & irritationem naturæ in ſenſu cauſali, quemadmodum dicimus, diem eſſe apparitionem ſolis, in noſtro Horizonte, & tamen cum adueſperaſcit,dies adhuc eſt. Græcè quidem παροξυσμὸς eſt irritatio,ex acerbatione,ſed nonne quãdiu durat paroxyſmus, etiam in declinatione, adeſt irritatio, & exacerbatio? Profectò dum integritas, & omnimoda ceſſatio non accedit, adſit licet declinatio, ſemper affligitur æger; ſed quis in eo, qui afflictione vexatur, negabit eſſe exarcerbationem, irritationem, pugnámque naturæ cum humore, ſaltem comparatione integritatis? Propterea iure optimo, à Galeno, quem à Mercuriali lectum non fuiſſe conſtat, *declinatio totius acceßionis pars* dicitur.

1.criſ.c.3.

Maiori iure, poſſet aliquis de integritate dubitare, & Galenum Galeno opponere: ſiquidem cum aliquando, inter particularia tempora, integritatem connumeret; alibi particularia tempora, appellat ea, *in quæ, ſingulæ acceßiones diuiduntur*; at integritas, extra acceſſionem eſt. Ideò Aëtius; vti diximus, acceſſionem vocat, *motum particularem morbi, à remißione, ad deterius*; quod forſan accepit à Galeno dicente, *acceßionem eſſe deterius tempus totius circuitus.* Circuitum, ſiuè periodum appellat idemmet Galenus, *ab eiſdem, ad eadem, per circulum, codémque ordine reuerſio*; itavt, in intermittentibus, non acceſſio, ſed circuitus, comprehendat tempus integritatis: in continuis, integritas coincidat, cum declinatione. Cæterùm, non eſt extra rationem,Galenum, in libello de morborum temporibus, ex profeſſo numeraſſe totius circuitus tempora, quæ ſenario numero comprehendi conſtat. In libris de criſibus,præcipua tantùm connumerauit tempora, quæ, ad iudicandos morbos, ſpectantur; ea ſunt tempora acceſſionis duntaxat. In libris de differentiis febrium, inæqualitatis tempus omiſit, quoniam tunc fluxui materiæ ſolùm erat intentus,neque peculiares temporum differentias, provt variant curationem, conſiderabat, quod tamen, in libro de morborum temporibus, erat ſuum inſtitutum.

1.criſ.c.2.

1.aph.12.

de morb. temp. c.2.

2.differ. feb. cap.9.

PARTICVLA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

PARTICVLA V.

Vniuersalium temporum, vniuersalis contemplatio.

SOla æterna, & alterationis, corruptionísque immunia, tempore non mensurantur; reliqua quæcumque alterantur, & corrumpuntur, incipiunt, augentur, consistunt, declinant: atque ita, ex multis ætatum diuisionibus, præcipua est illa, quæ quadrifariàm fit; ad cuius imitationem, quadrifariàm quoque ægritudinum ætates diuidimus; & quemadmodùm quatuor ætates percurrunt omnia, quæcumque generantur, & intereunt, quod pariter indicant animalia, & plantæ, sic etiam morbi, in quibus principium, augmentum, statum, & declinationem spectamus. Morbi principium, pueritiæ animalium correspondet; augmentum, adolescentiæ; iuuentuti, vigor seu status; senili ætati, declinatio. Rursus, quemadmodum diuersæ animalium species, diuersam habent vitæ durationem: quædam enim, breuem; alia longam vitam sortiuntur; eodem modo, & in morbis, durationes sunt adeò diuersæ, vt aliquis vix per horas, alius per annos possit permanere; nec est certum, & præfixum, cuiusuis temporis spatium; sed, vt Galenus ait, animalium ætates non circunscribuntur certo dierum numero, & eodem auctore, morborum ætas, non horarum, aut dierum numero, potest definiri. Prætereà quemadmodùm ætates accipiuntur, iuxta variationem innati calidi, in quo vita consistit; ita morborum tempora intelliguntur, iuxta causam morbificam, ex quâ eorum duratio constat. Neque verò existimes morbum, cùm primùm existit, non posse ampliùs per ætates discurrere, deceptus fortasse, quia morbus res est similaris, totam simul suam obtinens naturam, non sicut domus, (vt Galenus ait) in quâ prius fundamenta, deinde parietes, & tectum fit, neque (quemadmodum ab eodemmet Galeno est dictum) animalium in morem, quæ ex variis membris sunt composita. Est quidem morbus res similaris, nec propriam figuram, quæ per partes generetur, habet; sed totus simul existit,

6 san. tuen. cap. 2. 1. cris. c. 2. & 1. diff. feb. c. 9. de opt. sect. 37.

1. loc. aff. c. 2.

de tot. morb. temp. c. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſtit, tota tamen progreſſu temporis maior fit, deinde maxima, tandem ſi ſoluenda eſt, decreſcit.

Particvla VI.

Vniuerſalium temporum ſigillatim explicatio.

1. criſ. cap. 4. vſq; ad c. 9. & c. 18. in fine & 19. in princ. & 5. aph. 12 & 1. prog. 9.

PRincipium, accipitur à Galeno tripliciter; vno modo, pro primo morbi inſultu indiuiſibili, velut illud nunc quod caret latitudine: hoc non ſpectat ad Medicum, quoniam inſenſibile eſt. Si verò cum aliqua latitudine ſumatur, vt eſt illud nunc, quod dicimus nunc eſt ver, nunc æſtas &c. aut ſi ſumatur pro primâ acceſſione, confert * ad computandos dies decretorios. Secundo modo, ſumitur pro primis morbi diebus, quos primus definit quaternarius: in hoc ſenſu accipitur ab Hippocrate. *In acutis paſſionibus rarò, & in principiis, medicinis purgantibus vti*, & alibi *cum morbi inchoant, ſi quid videtur mouendum, moue.* Tertio modo, accipitur, pro tempore cruditatis, quod artificioſum eſt: principium hoc modo acceptum, magnam habet latitudinem; ſolet enim extendi per dies, per hebdomadas, per menſes. Solet è contrario, propter ſui breuitatem latere, tùm quando æger non animaduertit, & Medicus non fuit ſtatim vocatus, tùm quoniam propter virium robur, propter benignitatem, tenuitatem, & paucitatem humoris peccantis, breuiter apparent ſigna coctionis, & augmenti; tùm etiam quando ex diariâ celeriter tranſit in putridam; tùm enim prima die apparet febris in augmento.

1. aph. 24. *2. aph. 29.*

* Dies decretorij non computantur ab hora laſſitudinis, & diſplicentiæ, in quâ non adhuc morbus adeſt; ſed ſigna prænuncia morbi: ſumitur computatio à tempore decubitus, hoc eſt, ab eo tempore, in quo operationes ſenſibiliter læſæ apparent, vt Galenus admonet. In intermittentibus autem, ex eodem Galeno, in quibus per paroxyſmos fit computatio, ſumitur à paroxyſmo.

1. dier. decr. cap. 1. *1. epid. ſect. 3. com. 17.*

Corollarium.

lib. de morb. tẽp. in primis capitibus.

Ex his, colligês, quod etiam Galenus docere videtur, totum illud

illud tempus, in quo non apparet ſenſibile incrementum, principium nuncupari. In huius rei explicatione multi confunduntur: quidam enim dicunt, morbum in primo inſultu, totam eſſentiam acquirere materialiter, non formaliter; quia cum formaliter, morbus ſit affectus præter naturam, lædens ſenſibiliter operationes, requirit ad hoc certam magnitudinem, quâ inferat iniuriam naturæ. Iſti decipiuntur: nam morbus in primo inſultu, formaliter eſt morbus; nec tamen primum inſultum appellamus, niſi quando ſenſibiliter operationes læduntur. Alij dicunt, diſpoſitiones priores eſſe in principio, qui magis quàm priores, à veritate aberrant; ſiquidem dum non eſt morbus, non poteſt eſſe principium morbi. Oportet igitur dicere cum Auicennâ principium eſſe *totum illud tempus, in quo apparet ægritudo, & ſimiles ſunt diſpoſitiones ſine incremento*; quod vt intelligas ſcito, ex Galeno, *morbos ſingulos ex ſua quidem naturâ, magnitudinem quandam poſſidere.* magnitudinem autem in latiore ſignificatu accipito: quemadmodum enim homo, in prima infantiâ, habet magnitudinem ſpeciei humanæ debitam, poteſt tamen augeri, non vltra, id quod ſpecies humana poſtulat; ſic morbi varij, varias habent magnitudines: vnuſquiſque tamen habet præfixam, à qua incipiat, & ad quam progreditur. Rurſus, quemadmodùm homo, dum ſub eâ eſt magnitudine, quæ pueritiæ debetur, puer eſt; ita morbus, dum accedit, ad magnitudinem, quæ incremento debetur, in principio eſſe dicitur.

1. part. c. 7. de horis ægr.

de tot. morb.

Incrementum, ſiue aſcenſus, ſiue augmentum, eſt quando morbus manifeſtè augetur, in quo iam vel timor, vel ſpes manifeſtiora habet fundamenta: quemadmodum enim in ſaluandis ſigna fiunt ſalubria; ſic in perituris, augmentum *in lethalibus conſiſtit ſignis.* Sed Galenum forſan contradictionis reum facies: quippe alibi ſigna lethalia in primâ die apparere dixit, ne tamen accuſes: nam in prima die & augmentum, & ſtatus ſenſibiliter adeſſe poſſunt. Vigor, ſiue ſtatus, ſeu conſiſtentia; appellatur à Galeno, *vehementiſſimum totius ægritudinis tempus*, & alibi, *morbi, quantum ad caſus attinet, maximum*; nam *circa vigores omnia fortiora* dixit Hippocrates. Dicitur ſtatus hora pugnæ: nam licet in aliis temporibus, pugnet natura, cum causâ morbi

de tot. morb. temp. c. 3.

1. criſ. c. 11.

1. criſ. 1.

1. aph. 7.

2. aph. 30.

morbificâ, multo magis pugnat in ſtatu, præſertim quando morbus criſi debet terminari: quoniam tunc maximè irritatur natura; dicitur etiam hora victoriæ: quippe tunc apparet perfecta coctio, quod eſt victoriæ ſignum; nec tamen ſtatim declinat morbus, donec materia expellatur: dum enim non expellitur, commota, lædit ſua acrimonia, & caliditate, quam contraxit à putredine. Declinatio vniuerſalis eſt, quando morbus, & ſymptomata remittuntur, & humorum copia ceſſat: quia incipit vacuari, aut mutari in locum ignobilem ſic Galenus.

de tot. morb. temp. c. 8.

PARTICVLA VII.

Vniuerſalium temporum dignotio.

SI cauſam morbificam conſideras, vt agit in naturam, eámque offendit, duo ex hac conſideratione accipies: morbum, & ſymptomata. Vtrumque oritur ex actione cauſæ præter naturam, in naturam. Si conſideras, è conuerſo naturam, vt agit in cauſam morbificam, eámque omni ſuo conatu nititur ſuperare; emergunt tibi ſigna coctionis, aut cruditatis, quippe coctio ſuperantis, cruditas ſuperatæ, vel ſaltem nihil adhuc agentis naturæ eſt. Sic tres habebis temporum notas, primam, quæ ſumitur ex morbi progreſſu, alteram ex ſymptomatibus, tertiam ex coctionibus. Hanc triplicitatem, tanquam Barbarorum inuentum, non recipiunt Valleſius, & alij, quibus ſtatutum eſt, omnia, quæ à Barbaris ſunt dicta, ſiue iure, ſiue iniuriâ refellere. Hi quidem mihi videntur Philoxenum Eryxidis, & Gnatonem Siculum gulæ proceres imitari, qui conuiuiis adhibiti emungere ſe in pultariis ſoliti eſſent, vt abſtinentibus cæteris, ſoli epulis ampliter fruerentur. Video huiuſmodi auctores maledictis, & reprehenſionibus Barbarorum doctrinam quodammodo conſpurcare, vt aliis nauſeam pariat, ex quâ tamen ipſi non paucas ex ſui cartis implere ſolent. Igitur quemadmodùm animalium ætates vno duntaxat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

modo considerantur, ita etiam volunt, isti ægritudinum tempora non pluribus distingui modis, sed solis coctionis internosci signis. Oportet tamen considerare proprias animalium ætates esse, quibus eorum durationem metimur; hoc autem non impedit, quominùs ætates consideremus, iuxta temperamenta, aliter etiam quoad mores. Similiter morborum tempora, quæ considerantur, penes eorum progressum, sunt vera tempora, & veris animalium correspondent ætatibus, quid autem prohibet, considerari etiam morborum ætates, penes coctionum gradus, qui temperamentorum varietati correspondent; considerari etiam penes symptomata, quæ moribus respondent. At quemadmodum iuuenis potest habere senile temperamentum, aut seniles etiam mores, sic etiam in morbis fieri contingit. Vera igitur tempora quæ indicant morbi progressum, sunt ea, quæ iuxta eiusdem essentiam considerantur. Coctionis tempora, ad victum instituendum sumuntur, quæ etiam ad prædicendum sunt necessaria; sumuntur etiam symptomatum tempora ad cognoscendas mutationes malignitatis, & vehementiæ morborum. Nec verò triplex ista mensurandi tempora ratio Barbarorum est inuentum, sed Galeni, si Galenum attentè consulamus: cuius hæc sunt verba. *Potum solùm iis exhibet Hippocrates, quos acuti infestant morbi, vbi vires, ad morbi vigorem, qui interdum cum ipsâ coctione existit, veluti in morbis thoracis, pulmonisque, suffecturas sperauerit.* dixit *interdum.* denotans non perpetuò coctionis vigorem, cum vigore morbi coincidere; atque ita diuersa facit tempora, quoad morbi essentiam, à temporibus coctionis. Addit prætereà. *Sæpius affectio ipsa, quâ laborant, mitior quidem existit, sed symptomata augentur.* Ecce morbi tempora, & tempora symptomatum diuersa; quod etiam alibi confirmauit inquiens: *Dispositio, ex quâ casus generantur, quam & morbum nominamus, non omninò in vigoribus est fortior. Verùm in iis, qui saluari debent, multò meliùs quàm in principio.* His respondent Vallesius, & Valleriola, non debere intelligi Galenum, quasi dicat morbum esse minorem in vigore symptomatum, sed mitiorem, Hanc tamen responsionem vnusquisque per se poterit redarguere quare non est cur in ea refellenda immorer. Nec aliunde quàm

3. acut. vlt.

2. aph. 29.

ab experimento has tres temporum differentias edocebo. * Contingit sæpiùs morbum quoad suam essentiam esse in augmento, aut in statu; quoad coctionem verò in principio. Nonne vides aliquandò febrem valdè acutam, imò ad tantam magnitudinem perductam, vt maior esse non possit, in quâ tamen signa coctionis omnino latent? in hâc quid dices, nisi febrem esse in augmento, aut statu quoad essentiam; in principio quoad coctionem? Contingit rursus morbum in suâ essentiâ, esse in declinatione; iuxta alterationem verò materiæ, in augmento e.g. In pleuritide, aut peripneumonia, quando paulatim spuitur, declinatio est morbi in suâ essentiâ, propter diminutionem materiæ, nihilominus coctio adhuc imperfecta est: siquidem non perfectè educitur, ac proindè in augmento coctionis. Quod attinet ad symptomata, ea quæ sequuntur morbum, velut vmbra corpus, non efficiunt quidem diuersa tempora, à temporibus essentiæ morbi; sunt tamen symptomata maligna, quæ spectantur quoad mores ægritudinis; hæc possunt differre ab aliis temporum differentiis; siquidem in principio, & augmento morbi, potest malignitas symptomatum esse in statu. Hanc differentiam inter tempora symptomatum & tempora essentiæ morbi, agnouit Galenus, qui in hunc modum scriptum reliquit. *Quod si qualia oportet, solùm spuere cœperint, in neutro adhuc modorum, neque in affectuum, neque in symptomatum, morbus augebitur.* Si quæras diuersitatem inter tempora coctionum, & tempora symptomatum, eam inuenies apud Hippocratem. *Dum pus conficitur, dolores, ac febres fiunt magis, quàm postquam confectum est.* Vide quàm manifestè hæc temporum differentia colligitur: *dum pus conficitur,* hoc est in augmento, quando adhuc fit suppuratio: *dolores ac febres fiunt magis*, hoc est, symptomata sunt maiora; *quàm postquàm confectum est*; nempe, quàm in statu, quando adest perfecta coctio. Si igitur maiora fiunt symptomata in augmento coctionis, quàm in statu eiusdem, profectò in coctionis augmento; erit symptomatum status, & in statu coctionis, symptomatum declinatio. Iacotius statum dicit esse dum pus conficitur, in quo deceptus mihi videtur: nam dum coctio fit, nondum perfecta est, at statum perfectæ coctionis tempus dicimus.

3. de vict. acut. vlt.

2. aph. 47.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

cimus. Addit ille, *si verò fluxio ad ſuppurationem ducatur, aut per halitum digeratur, tumórque minor euadat, tunc eſt declinationis initium.* Sed non conſiderauit pus confectum, & adhuc non euacuatum, ita vt non adhuc tumor minuatur, eſſe in ſtatu. Marſilius ait *dum pus conficitur*, hoc eſt, dum abſceſſus tendit ad ruptionem: hoc placet Braſauolo, nempe ſimul, & ſemel intelligi puris generationẽ, & abſceſſus ruptionẽ. Cæterùm ita ſenſiſſent ſi cõſideraſſent febres & dolores, pure in abſceſſu iam confecto, licet non adhuc abſceſſus ſit ruptus, iam ceſſare, quia ceſſat ebullitio. Auicenna ait *cum fit generatio puris, tunc iam fortitudo febris, doloris, & pulſus ſedatur* in quo miſerè eſt lapſus: neque enim cum fit generatio puris, ſed cum facta eſt, ceſſat fortitudo febris; excuſatur tamen ab aliquibus, qui culpam in tranſlatores referunt. Vt vt ſit dictio illa & Hippocrati patri veritatis, & veritati repugnat. De Auicennâ ne ſollicitus eſto, quem varium in hac re inuenies ſi alibi eius dicta conſideres.

2.1.doct.3. c.1.& 3.4. c.de ſig. & apoſtomatũ.

2.4. tract.1. cap.23.

Circa declinationis cognitionem emergit controuerſia. Valleſius, vt pote qui ſolis coctionibus tempora diſtinguebat, vult eam coctionis ſignis comprehendi: exiſtimat enim vrinam, ſi appareat flaua, & multo contento albo, læui, & æquali plena, ſignificare ſtatum, at talem vrinam in ſanitate integra non conſpici: differt quippe optima ægrotantis, ab optima ſani: quia ſanus, nec tantam in vrina contenti copiam habet, nec colorem igneum, ſed ſubrufum, ſubflauum. Ergo neceſſariò ab ea diſpoſitione, quæ in ſtatu dicitur, verſus ſalutem, toto tempore declinationis, copia contentorum minuitur; & color ad mediocrem accedit. Nam quamquàm optimæ coctionis ſigna in ſtatu ſint, tamen dum contentum appareat album, læue, & æquale, etiam ſi color naturalis non ſit, eſt ſtatus. Hæc Valleſij opinio falſo nititur fundamento: in primis enim non eſt perpetuum minorem contenti copiam in ſanitate, quàm in ægritudine apparere. Nam optime ſanus cum optimo victu, ſedimentum habebit in quantitate moderata vt Galenus eſt teſtis, quod etiam ex Actuario poteris colligere. Diſtinguenda præterea ſunt temperamenta: nam bilioſus tenue, & paucum habet, maximè ſi exercitio vtatur, vt Galeno placet, pin-

lib.10.controu.c.6.

2.de præſ. ex vrin. & 1. criſ.c.2.

Act.de iud. vrin.c.4. & de prouid. vrinar.c.1.

1.criſ.12.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

guis, & otiosus, plurimum, crassum; medius medio modo: & obseruantur hæc eadem in morbis. Aliud etiam fundamentum falsitatem includit; quippe ait statum dici cum contentum est album, læue, & æquale, licet eiusdem vrinæ color naturalis non sit. Cæterùm prius color, & substantia in vrina emendatur, quàm deueniat sedimentum ad summam perfectionem. Et quis, quæso, imaginabitur, in vrinâ alteratâ, in colore, & substantiâ, perfectam hyposthasim: idcirco Auicenna pronuntiauit, *non esse credendum sedimento, nisi præcesserit coctio, primò in colore, posteà in substantiâ; quia natura, ordine procedit: qui ordo, si non obseruatur, præternaturalis erit progressus.* Tandem experimento reluctatur; quippe in declinatione morbi, maior solet apparere sedimenti quantitas. Profectò si sedimentum, est pars materiæ morbum facientis, maior eius quantitas, in declinatione, quàm in quouis alio tempore, debet euacuari. Cæterùm demus Vallesio, vera esse omnia, quæ proposuit; non tamen adhuc, signa declinationis afferet, sumpta à coctione, sed à materiæ diminutione, & remissione morbi: siquidem ille, ex minore sedimenti quantitate; declinationem arguit: at minor sedimenti quantitas fit propter minorem materiæ quantitatem. Rursus ille colorem in statu magis accensum esse ait, quàm in declinatione; at hoc non fit, quòd materia in declinatione sit magis cocta, (in statu enim summam habuit perfectionem) fit igitur minùs ignea propter minorem calorem febrilem; atque ita declinatio, non ex coctione, sed ex morbi essentiâ, & diminutione materiæ accipitur. Neque apud Galenum, signa coctionis, sumpta à signis coctionis reperies vnquam; declinationem aliquando agnoscit, ex tarditate, breuitate, & debilitate accessionum. Alibi eandem colligit, quòd symptomatum magnitudo, & humorum copia cessauit, & in inflammatione, quia tumor, & tensio fit minor; quod non contingit, nisi saltem per insensilem transpirationem materiâ eductâ. Quod si alio in loco declinationem subsequi, ait, quando materia est exquisitè cocta; non idcircò ex solâ coctione, declinationis signa arripit; sed multa alia iis adiungit, hoc est: *si materia sit exquisitè cocta, & sine molestiâ educta, & multitudo minuta fuerit, dolórque non ampliùs affuerit.*

de vrin. c. 6.

1. crif. c. 3.

de tot. morb. temp. c. 3.

1. crif. 18.

Ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Ex quibus agnoſces, in declinatione, debere coniungi cum coctione, materiæ diminutionem, ſymptomatúmque remiſſionem. An verò ex ſymptomatibus, declinatio cognoſcatur, poſſet aliquis dubitare. Cæterùm ea ſymptomata, que ſequuntur eſſentiam morbi, remittuntur & declinant non aliter ac ipſe morbus; alia quæ malignitatem ſapiunt nunquam dicuntur eſſe in declinatione; ſiquidem, quantumuis remiſſa, periculum habent, declinatio verò, vt dicemus, periculo caret.

* Agitanda eſt hoc loco controuerſia, quam agitant multi, & de qua variæ extant Auctorum ſententiæ, videlicet in quo tempore morbus dicendus ſit maior. Turiſanus exiſtimat, morbum ſalubrem quoad eſſentiam, & quoad ſymptomata in ſtatu eſſe minorem, in ſtatu inquam coctionis. Adducit Galeni verba dicentis *Diſpoſitionem, ex qua caſus generantur, quam & morbum nominamus, non omninò in vigoribus eſſe fortiorem.* Nempe in vigoribus coctionis. Sic in pleuritide, cùm ſputum apparet coctum, tunc eſt optimæ coctionis vigor; ſymptomata autem apparent remiſſa, & morbus in ſua eſſentiâ eſt minor: quippe, ſaluber cum ſit, mouetur ad ſanitatem, in ſtatu autem magis quàm in prioribus temporibus, eſt ſanitati propinquus; Ergo & in ſua eſſentia minor. Verùm animaduertere debuerat duplicem terminum in morbis conſiderari, vehementiæ vnum, alterum durationis; in ſtatu morbus eſt proximus termino durationis, nempe declinationi, ac proindè magis quàm antea proximus ſanitati; eſt tamen in termino vehementiæ, in quo neceſſariò eſt maior, quàm in reliquis temporibus. Obiicit deinde ſibi duas difficultates, quarum ſolutione calumniam euadere conatur, ſed meo iudicio dum eas perperam ſoluit in maiorem incidit calumniam. Prioris difficultatis vis videtur eſſe, quia pleuritis, cùm adhuc ſuppuratur, eſt in augmento, & tunc ſunt fortiſſima ſymptomata; maiora tamen debuerant eſſe in principio; ſiquidem augmentum magis propinquum eſt vigori, ac proinde ſanitati: Reſpondet pleuritidem, quæ ſuppuratur, non eſſe ſimpliciter ſalubrem, velut illa, quæ per reſolutionem terminatur; ac proinde terminus eius, eſt per nouum morbum, nempe per ſolutionem continuitatis. Sed in hoc decipitur; nam ſolutio continui, non accedit denuò, ſed fuit à principio; quippe pleuritis, inflammatio cum ſit in ſuâ eſſentiâ, ſtatim ac exiſtit, includit continui ſolutionem. Reſpondet aliter, ſuppurationem non eſſe à calore naturali tantùm, ſed à calore præter naturam, vnde intenduntur accidentia, velut in morbo lethali. Hæc etiam reſponſio deceptoria eſt: Omnis enim inflammatio, à calore præter naturam eſt, imò & omnis febris etiam ſaluberrima; nec tamen omnis habet accidentia, perinde ac ſi lethalis eſſet. Præterea ſuppuratio, ſiue fiat à calore naturali, ſiue à præternaturam, ſiue ab vtroque, ſemper fa-

3. regn. com. 32.

1. aph. 29.

cit cessare putredinem; quare, non potest secum afferre accidentia similia, accidentibus morborum lethalium. Altera difficultas quam posset quispiam obiicere, est, morbum acutum, siue sit saluber, siue insaluber, velociter properare versus statum, hoc est, versus vltimum incrementum. Respondet, in saluandis, morbum vsque ad statum non intendi, sed symptomata, quæ tunc ratione crisis accidunt. In hoc etiam miserè labitur. Nam morbus acutus statim à principio velocitatem habet; symptomata autem, quæ ratione crisis accidunt, non fuerunt à principio. Denique vanum est existimare, morbum quantumuis salubrem, non incipere minorem, deinde sumere incrementum: quippe etiam febris Epacmastica, quæ semper decrescendo progreditur, sua habet, quoad essentiam tempora, vt infra videbimus; cùm, percurrántne morbi omnes, omnia tempora; pertractabimus. Atque hæc quoad Turisanum.

Sunt alij, qui maiori cum distinctione loquuntur. Morbus inquiunt, quando est in coctionis statu, si respiciamus causam coniunctam, maior est secundùm essentiam, maior etiam quoad symptomata, maior denique comparatione factâ ad vires. Si verò respiciamus causam antecedentem, tunc temporis dicetur minor. Reddunt huius rei rationem, quoniam in statu coctionis, materia est magis putrefacta, vnde accidentia sunt maiora; est & maior quantitas materiæ coniunctæ & sic morbus in suâ essentia est maior. Verùm inanis est isthæc probatio. Nam materia non est putrefacta, putrefactione, quæ morbum augeat; imò suppuratione, quæ eundem minuat; hæc est illa, quæ perfecta morbum in statu coctionis, sed in essentiæ & symptomatum declinatione constituit. Deducunt illi ex accessionibus, auctam esse materiam coniunctam, in qualitate & quantitate, quia tunc anticipant, & longiores sunt. Non tamen vident anticipationem & longitudinem non esse maiorem in statu quàm in augmento; sed in augmento maiorem, quàm in declinatione: Galenus enim accessiones, statum indicare, dixit; *si in eisdem permaneant ac persistant.* Præterea anticipatio & longitudo, non arguit maiorem materiæ coniunctæ quantitatem: siquidem diminuta quantitate, vel medicamentis, vel insensili euacuatione, adhuc in augmento anticipant & durant, quod referendum iudico, ex Galeni doctrinâ, ad mineræ auctam caliditatem, membri mandantis intemperiem, naturæ ad pugnam solicitudinem. Cum enim hæc tria in morbi progressu augeantur, augentur, & anticipant paroxysmi. Quòd verò morbus sit in statu maior, comparatione ad vires, probant, quia virtus tunc languet magis quàm in principio: quippe necessariò in progressu morbi, plurimum sanguinis, & spiritus, & humidi substantifici absumptum est, propter durationem morbi, vehementiam symptomatum, inediæ prolixitatem, & propter euacuationes factas ab arte, quæ vires resoluunt: & rarissimum est, vt Galenus ait, vt in principio vires langueant, nam fere semper constant. Hoc idem possent probare duplici

1. cris. 3.

2. differ. feb. c. vlt.

10. meth. c. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

duplici comparatione; vnâ Luctatoris, qui vincit simul, & defatigatur; alterâ, aquæ, quæ ignem extinguit, & ab eodem calefit: vnde in victoria, quam morbus saluber in statu habet, vires languidiores sunt. Ita sanè est, sed quemadmodùm vires tunc debiliores sunt, ita morbus est minor, ac proinde nulla manet improportio, iuxta quam morbus possit dici in statu maior. Quòd morbus quoad causam antecedentem, in statu sit minor, probant; quia in statu, coctio facit cessare putredinem; & vt putredo cessat, sic minuitur morbus. In hoc quidem vera dicunt, sed cum priùs dixissent, causam coniunctam esse magis putrefactam, in statu, & propterea quoad illam, morbum maiorem, sibimet contradicunt: nam eadem est putredinis conditio in coniuncta; quæ in antecedente.

Tertia sententia videtur esse Galeni, morbum scilicet salubrem, in statu, semper esse minorem; hanc aliqui non stabilibus stabiliunt rationibus. Prima ratio. Causa morbi in statu, tum in quantitate, tum in qualitate est minor; effectus ergò necessariò minor erit: est minor in quantitate, quoniam in principio tota erat integra; in progressu dissoluitur à calore febrili, ab inediâ, à vigiliis, ab euacuationibus, artis & naturæ ope euenientibus: est minor in qualitate, quia est perfectè cocta coctione, quæ facit cessare putredinem auctore Galeno, imò quæ corrigit putredinem auctore eodem; nam bilis, dum cruda est, rufa appareret, acris, fætida; quando autem cocta, fit pallida, mitis, & parum fætida. Hæc omnia vera quidem sunt & morbum efficerent minorem, si solam respiceremus materiam; sed quoniam pugnam respicimus, & tota morbi natura, consistit in pugna naturæ, cum humore; cùm pugna sit maior in statu, morbus iuxta suam propriam naturam, in statu erit maior. Altera eorundem ratio. Morbus, & natura pugnant veluti duo contraria: nam virtus opponitur morbo, velut aduersatrix, vt Galenus ait, sed ex lege contrariorum, quando vnum vincit, aliud victum apparet; ergo in statu minor esse debet morbus, & virtus maior, quia tunc vincit morbum: adest enim tunc signum victoriæ nempe coctio. Hoc quidem aliquâ ex parte admitti debet, vt mox dicemus, quando cum distinctione loquemur; absolutè tamen, non est, cur admittatur. Nam prædictæ rationis veritas, duntaxat locum habet, in morbo, qui nullum habet perniciosum symptoma. Tertia ratio. Sicuti motus naturalis in fine est velocior, & vehementior quàm in principio; sic motus violentus velocior, & vehementior est in principio, quàm in fine: morbus autem cum sit violentus, minùs vehemens erit versus finem, hoc est, in statu. Huic argumentationi respondet quidam, morbi motum naturæ quidem esse violentum, at verò respectu suæ causæ naturalem, atque ideò in statu causam habebit maiorem, eritque maior. Hæc tamen responsio dupliciter peccat. Primò quia si naturæ est violentus, saltem respectu naturæ, erit minor in fine, hoc est, in statu, atque ita aduersariis condonabitur, id quod nequaquam

art. med. c.89.
2. acut. 44.
11. meth. in princip.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

quam condonandum ratio dicta: secundò quia supponit causam, in statu, esse maiorem, quod ex superius dictis falsum esse constat. Vera responsio est, motum grauium, & leuium, esse in fine velociorem; quoniam adiuuatur à termino ad quem, sibi iam proximiore, cum quo habet sympathiam, & à quo conseruatur. Morbi motus non ita se habet, sed tendit ad terminum ad quem, in quo perit, & cum quo antipathiam habet.

Quarta adhuc opinio est aliorum qui morbum semper in statu maiorem esse dicunt, quod in primis docere videtur comparatio sumpta ab animalium ætatibus: siquidem in consistendi tempore summum corporis habent augmentum. Docet & alia comparatio sumpta à plantis, quæ dum pusillæ adhuc è terra pullulant, vix agnoscuntur. Nec est extra rem comparatio ducta à reliquis omnibus qualitatibus; omnis quippe qualitas incipit, intenditur, viget, & retrocedit. Verùm istiusmodi comparationes non conuincunt. Non prima, quoniam ætatum animalium vna duntaxat est consideratio, multiplex morborum, vt mox declarabimus. Non secunda, quia planta in dies magis innotescit, propter figuram quam acquirit; morbus autem propter documenta ex præcedentibus accepta; vnde in statu cognoscitur magis, quia tunc iam signa considerauimus, in principio, & augmento; & tanto clariora sunt, quanto pluribus temporibus apparuerunt. Non tertia, quoniam qualitas progreditur, per suos gradus superans contrariam qualitatem; Morbus autem, naturam oppugnat pluribus modis. Adiungunt insuper aliam rationem: Nempe morbum in statu esse maiorem, quia tunc tota causa antecedens transiuit in coniunctam. Transiuit quidem, sed cocta, ita vt minùs irritet, minùs noceat.

1. loc. aff. c. 1.

In prædictarum opinionum auctoribus non tam veritas, quàm diligentia desideratur: omnes enim aliquâ ex parte, vera loquuntur; propterea si cum distinctione loquerentur, admittendi quidem forent. Distinctio autem non meliùs intelligitur, quàm ex sequenti serie.

Morbus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Morbus tripliciter dicitur magnus, *ex Galeno* 4. *met. c.* 6. *& li.* 7. *met. c.* 12.

- Propter partis præstātiā; — *hæc manitudo semper est eadem.*
- Propter magnitudinē essentiæ:
  - aut est saluber,
    - materialis *& cōsideratur*
      - quoad vires,
        - In statu est minor, quoad alteratricem: quia tunc est cocta materia; *in hoc sensu, dixit Galenus* 2. *aph.* 29. *morbum in statu esse minorem, hoc est morbum salubrem, materialem in statu habere materiam concoctam.*
        - in statu est maior, quoad alias facultates: *quia nempe iacent fatigatæ ex pugnâ.*
      - quoad essentiam,
        - si materia mouetur per partes, erit in statu
          - maior
          - minor
          - æqualis

          Iuxta quantitatē materiæ, quæ putrescit. Nam in hoc morbo causa antecedens sensim transit in coniunctam: quare si ea pars, quæ denuò putrescit, est maior, cùm magnitudo morbi, sequatur magnitudinem suæ causæ; morbus etiam erit maior: si minor est pars, quæ putrescit, quàm ea, quæ fuit resoluta, morbus decrescit, & in statu coctionis erit minor. Si pars quæ denuò mouetur, semper est æqualis, seruat morbus in omni tempore eandem magnitudinem. Ob hanc causam Galenus 9.met. c. 3. *constituit tres Synochi differentias, de quibus alibi. Hæc eadem causa, in cōtinuis proportionalibus, & in intermittentibus obseruari potest.*
        - si materia seruatur ad vnā criticam expulsionem — in statu morbus est maior, *iuxta essentiam & iuxta symptomata.*
    - Immaterialis sēper in statu est maior & quoad essentiā, & quoad symptomata.
  - aut est insaluber, & in statu semper est maior, *si tamen ad statum accedat: potest enim æger mori in principio, aut in augmento, vt suo loco dicemus.*
- *Hæ duæ magnitudines variantur*; quoniā morbus,
- Propter cachoetian, hoc est, malos mores:

PARTICVLA VIII.

Tempora salubrium an omnibus omnia.

lib. de tot. morb. temp. cap. 3.

MOrborum, qui saluantur, nullum esse, qui * quatuor tempora non percurrat, scriptum reliquit Galenus. Hæc tamen sententia duabus est limitationibus circumscribenda. Prima *vt intelligamus quatuor ista tempora quoad morbi essentiam.* Nam vt suprà diximus, neque quoad coctionem, neque quoad maligna symptomata, datur declinatio; symptomata verò, quæ sequuntur essentiam morbi, eandem cum morbo incurrunt sortem. Altera, vt si *pendeat à materia, sit materia alterabilis*; neque enim sextus digitus, neque lapis tempora habet: licet enim hæc tempore augeantur, auctio hęc magis ad materialem, quàm ad formalem morbi rationem spectat, siquidem semper eadem requiritur curatio.

Annotatio prima.

De synochis febribus posset aliquis dubitare: est enim quædam ὁμότονος seu ἀκμαστικὸς quæ semper eundem seruat tenorem, & vt inquit Hippocrates, *statim incipiens effloreſcit; ac viget:* Et hæc semper videtur esse in statu. Alia ἀναβατικὸς seu ἐπακμαστικὸς, semper decrescens, & hæc tota videtur esse declinatio. Tertia est παρακμαστικὸς, quæ semper augetur, & hæc videtur esse semper in augmento. Cæterùm respondeo, quoad illam priorem (*statim*) accipi ab Hippocrate, non pro primo insultu: *neque enim* (inquit Galenus) *cogitatione accipi potest, febrem acutam, statim in primo insultu consistere, ac si fulmine foret homo percussus.* Neque accipitur pro principio propriè dicto; (propriè dictum principium appellat idem Galenus, principium coctionis) sed accipitur vt idem met accipit, pro eo quod vt plurimum ad tertium extenditur diem. Atque ita benè potuit Omotonos vsque ad tertium diem, percurrere vsque ad statum, remanere autem in statu toto reliquo tempore. Simile quid est dicendum

1. epid. sect. 3. tex. 10.

1. cris. c. 17.

1. cris. c. 8.

1. cris. c. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

de ſecundâ & tertiâ; nam ſecunda Epacmaſtica, quæ ſemper decreſcit, breuiter ad ſtatum acceſſit; deinde longiſſimam habuit, in tota ſua duratione, declinationem. Tertia Paracmeſtica, quæ ſemper augetur, incepit quidem, & augmentum habet diuturnum, reliqua tempora breuiſſima: nam neceſſariò habuit principium, quantumuis breue; neceſſariò etiam declinationem: neque enim repentino, & momentaneo caſu euanuit. Cæterùm ſi declinationem habuit, in vigore fuiſſe (quamuis breuiter) dicendum eſt; ſi verò tempora coctionis ſpectemus, etiam omnes hæ tres febres, omnia quatuor habent tempora: non enim à materiâ coctâ incipiunt, ſed ab eâ, quæ, per ſuos gradus, elaborationem ſuſcepit.

Annotatio ſecunda.

Febris Ephemera, habet quidem tempora omnia, quoad eſſentiam morbi; quoniam incipit calor, augetur, ad ſummum accedit vigorem, poſteà declinat. Quod quamuis viginti quatuor horarum ſpatio, perſæpè fiat, nihilominùs vnumquodque ex his temporibus, in ſuis horarum terminis, eſt ſenſibile. Tempora coctionis nulla habet: non quod ſit morbus immaterialis (vt quidam falsò exiſtimarunt) neque quòd pendeat à materiâ, quæ non alteratur; ſpiritus námque alterantur, hoc eſt, inflammantur; ſed quia materia huius febris, nempe ſpiritus, coctionem non admittit. Tempora, quoad ſymptomata, nulla etiam peculiariter habet; quoniam ſolis iis ſymptomatibus, quæ ſequuntur eſſentiam morbi, eſt ſtipata. Si tamen febris Ephemera peſtilens ſit (quam dari poſſe, in meteoris microcoſmi demonſtraui) tunc, ſecum habebit maligna ſymptomata, iuxta quæ, varietatem patietur.

Annotatio tertia.

Febris hectica, vtpote quæ immaterialis eſt, temporâ non habet, quoad coctionem; nec ei adſunt ſymptomata, quæ ab eſſentia morbi euarient; proinde, nec habet tempora ſymptomatum: habet tamen duntaxat tempora quoad morbi eſſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tiam. Verum tamen ista tempora in hac febre autogena sunt, idest sui generis: neque enim progressus temporum, sumitur in eâ, à progressu caloris, sed ab eiusdem maiore radicatione in subiecto, seu potiùs à diuersitate subiectorum, quæ occupat, vt colliges ex Galeno. Incipit febris hectica (à quacumque oriatur causâ) eo tempore, quo quædam veluti efferuescentia fit innatæ humiditatis, dispersæ in spatiis intermediis consimilium particularum; Deinde consumptio quædam efferuescentiam sequitur: vbi verò non tantùm humor in corpore cordis contentus, & carnosæ, seu adiposæ partes eiusdem consumptæ fuerint, verùm etiam ad fibrosas, & membranosas, siccitas peruenerit; tunc febrem hanc consistere dicemus. Declinat verò nunquam, quoniam in hoc gradu insanabilis est. Itaque, hoc etiam habent particulare, febrium hecticarum tempora, vt in saluandis pauciora sint, quàm in morituris. Producitur quippe moriturus homo ex hectica febre, nisi aliud superueniat, vsque ad tertium tempus. Qui verò saluatur, in primo, aut primâ secundi parte, sanitatem recuperat.

* Quatuor tempora, in morbo salubri, intelligo, siue sensibilia, siue insensibilia. Fateor tamen insensibilia non pertinere ad Medicum. Idcircò Galenus varius esse videtur, modò omnia quatuor tempora necessariò admittens; modò aliqua ex iis posse deficere concedens. Nam aliquando adeò scrupulosè se gerit, in admittendis omnibus, vnicuique morbo, temporibus; vt non solùm in apoplexiis ea obseruet, sed etiam (quod risu excipi potest) in iis, quibus ceruix detruncatur; in quibus ait, dari primum aliquod tempus, & secundum, & tertium, & quartum. At quando tria priora tempora ei concedamus; quartum, nescio cur dabimus, neque enim à ceruice detruncatâ, quispiam sanatur. E contrario alibi: *potest præterea*, inquit, *remediis adhibitis, morbus deleri, atque ita cætera morbi tempora prauerti, atque succidi, contingit.* Vallesius explicat illud *prauerti atque succidi*, id est, ita contrahi, vt sine sensu effluant. Hoc si ita intelligatur, Galenus quidem liberabitur à contradictionis notâ; nondum tamen habebimus in morbis, tempora, quæ ad Medicum spectent: siquidem sine sensu effluunt. Ego verò existimo, Galenum, tempora verè deleri, existimasse: ducebatur enim œstro reprehendendi eos, qui quemlibet morbum per quatuor tempora transire existimabant. Cæterùm dicat mihi Vallesius, siquidem morbus est effectus suæ causæ, & causâ auctâ augetur morbus; cur non eadem diminutâ diminuetur? Quod si diminuitur, quomodo potest, vbi in principio facta fuerit euacuatio, augmentum, & statum habere. Itaque copiosam in principio euacuationem, vel à naturâ,

de tot. morb. temp. c. 4.

de opt. sect. cap. 47.

lib. 10. contr. cap. 7.

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

vel ab arte, fieri posse non est dubium. A naturâ in primis;ea fit euacuatio, quæ symptomatica appellatur: hæc quamuis ratione signi sit praua, potest nihilominùs interdum, ratione causæ, iuuare,dum causam morbum facientem expellit; & tunc vel morbus soluitur, vel saltem remittitur; ac propterea morbi cursus reprimitur, neque morbus ad eam magnitudinem, ad quam accedere aptus erat, accedit; subindeque, vel incremento, vel statu destituitur. Ab arte; vel sanguinis missione; vel medicamento purgante detruncatur ægritudo. Sic Galenus dictus est febrem iugulasse,dum eam, sanguinis missione vsque ad animi deliquium, subitò extinxit: sic idem, phlegmonas oculorum, cathartico medicamento exhibito, vna die sanauit: sic Auicenna, interdum febrem quartanam, in principio fuisse sanatam affirmat, medicamento forti; quod quia non est ex arte, appellat *rectum ex errore*. In his casibus delentur quidem tempora quoad essentiam morbi, & fortassis quoad symptomata. Verùm quoniam euacuatio in principio, rarò totam materiam exhaurit, ea quæ relinquitur est adhuc inconcocta, & sua posteà coctionis tempora percurrit. Declinatio autem semper remanet, hoc est,declinatio quoad morbi essentiam; nam quoad coctionem, iam diximus non dari. Remanet, inquam, declinatio, quoniam, vt dicitur à Galeno: *si per sanguinis fluorem, vel sudores, aliquis acutè iudicetur, tempus certè declinationis, & huic est manifestum.* Hoc ipsum declarat alibi, exemplo ligni calefacti, quod licet ab igne separetur, caliditatem impressam seruat, magis quidem,aut minùs, provt maiorem, aut minorem accepit.

9.meth. c.4.
13. meth. cap.11.
l.4. tract. 2.c.de quartana.
de tot. morb. temp. c.4.
2.prorrh. com.17.

PARTICVLA IX.

Lethalium morborum tempora.

POtest morbus lethalis,habere * tria tempora; potest duo; ** potest aliquando vnum, nonnunquam etiam minùs; cum scilicet, in principij principio, hoc est, in primo insultu suffocatur æger. Quòd possit in principio mori non dubitat Galenus: siquidem in hunc modum scriptum reliquit. *Quod si neque vsque ad statum sufficere possit, necessarium est ægrotantem, ex hoc morbo interire; non tamen omnino prope statum: contingit enim & multò celeriùs, & statim circa morbi totius initia. Crisis enim, vel in statu, vel parum ante ipsum fit. Mors autem in tribus temporibus, Principio, augmento, & statu.* Opponit tamen

3.cris.c.6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

lib. de tot. morb. temp. cap. 6.

Argenterius Galeno, Galenum ipsum, qui ascensum in lethalibus signis constituit; vnde non videtur mors posse ante signa lethalia accidere: signum enim non est posterius suo significato. Sed inanis est isthæc obiectio; signa quippe lethalia auctæ putredinis, aut adustionis, sunt, quæ in augmento apparent: signa verò succumbentis naturæ, initio apparere quid prohibet? Profectò natura debilis à grauissimo morbo insultante, in momento temporis opprimitur; & à morbo, perit æger veluti fulmine percussus; quod euenire posse addisces, si consideres multoties accessiones incipere cum syncope. Syncopizet ergò quidam debilis, in principio primæ accessionis, & à syncope non resurgat, hócne impossibile? imò facile, si ergo ita fiat mors in principio aderit.

3. cris. c. 5. c. 9. & sæpe alibi.

* In numero lethalium morborum, repono eos, qui commoriuntur. Hi omnes, teste Galeno, declinatione carent. Neque deducas argumentum à declinatione particulari, in quâ mors contingit, vt probes in vniuersali posse idem accidere: neque enim est par vtriusque ratio. In declinatione particulari, licet materia coniuncta superetur, (alias non diceretur declinatio) materia antecedens est adhuc insuperata; In declinatione vniuersali, coniuncta, & antecedens est victa: In declinatione particulari, materia resoluta est, non tamen omnis, ideò est continua; (de hac námque loquimur, siquidem intermittens periculo vacat) In declinatione vniuersali, materia est concocta, & saltem pars eius euacuata; quæ verò remanet coctionis beneficio dedit naturæ manus: In declinatione particulari, calor est adhuc expansus, & reduci ad interna postulat; hoc, si natura fatigata efficere non possit, æger moritur, non aliter quàm ex lætitiâ: In declinatione vniuersali victoria est parta, neque habet natura quid agat, sed omnino requiescit. Neque rursus dicas posse materiam perfectè coctam si non expurgetur, interimere. Posse quidem non expurgari, licet perfectè sit cocta, non negabo, præcipuè in morbis thoracis, in quibus coctio potest fieri à naturali facultate, non valdè infirmâ, expulsio tamen ab animali languidiore; non præstabitur quod etiam, vbi tàm coctrix, quàm expultrix, naturalis est, contingere potest: siquidem in ventriculo manifestè alterantem facultatem, expellente fortiorem experimur. Et propterea,* ex Galeno, vt ante coctionem irritata natura euacuat, ita coctione absolutâ, adhuc immoratur. Hoc tamen quamuis ita se habeat nihilominùs materia perfectè concocta, vel est ex parte euacuata, vel saltem domita, quæ non potest amplius recalcitrare. Euacuatam esse contingit in abscessibus, qui concocto pure minores fiunt propter insensilem euacuationem, cui simile quid euenire potest in

3. dier. decr. cap. 8.

humore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

humore febrili, cuius coctio, suppurationi, quæ fit in abscessibus comparatur. Si verò non sit adhuc euacuata, non dicitur declinatio. Quippe declinationem definimus per diminutionem materiæ. Neque præterea dicas, virtutem posse cum morbo, simul dissolui: nam hoc est impossibile; si enim in statu, dum pugnabat, non fuit dissoluta, cur in declinatione, dum recreatur, dissoluetur? Neque tandem dicas, ex Hippocrate, *febres iudicari iisdem numero diebus, & ex quibus supersunt homines, & ex quibus intereunt*; ac proinde sicut supersunt in declinatione; ita poterunt in declinatione interire. Hoc non sic est accipiendum, sed, quamuis crisis & ad salutem, & ad mortem, si quarto die v.g. indicetur, septimo die fiet, tamen morbi solutionem, non in eo morbi tempore contingere, in quo contingit interitus: quod latiùs suo loco explicabitur.

3. *prog.* 1.

** Sunt, qui dicant, mortem semper in statu, & non aliter contingere: neque enim possunt esse symptomata grauiora, quàm, quæ hominem interimunt. Propterea posse quidem dicunt hominem in principio, aut augmento coctionis interire, dummodo in statu symptomatum non audiuisse dicatur. Respondent quidam hominem eo tempore, quo moritur, grauiora symptomata quàm toto morbi tempore pati; non tamen grauiora, quę ægritudo illa habere potest. Nam sine eo, quòd morbus perueniat ad magnitudinem, quam consequi poterat, mors, propter virium debilitatem, anticipabit: atque adeò erunt symptomata grauissima illius hominis, non tamen illius morbi. Vtcumque tamen eueniat, nihil prohibere censeo, vt morbus, neque perueniat ad statum coctionis, neque ad statum magnitudinis iuxta essentiam suam, possit tamen, vel virtus deficere, vel ab aliquo forti symptomate suffocari.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

* Tempora morborum hâc serie disponuntur.

Morborū tempora

- **Particularia.**
  - Principium: *tempus, quod integritati cohæret, quando accensa in foco caliditas, sanguinem, ex aliis partibus illuc trahit, & partes sanguine priuatæ refrigerantur.*
  - Tempus inæqualitatis: *in quo frigus paulatim deponitur.*
  - Augmentum: *quando vehemens caliditas, materiam superauit, vt non solùm locum, in quo est, exurat, sed etiam per vniuersum corpus dispergatur.*
  - Status, seu vigor, seu consistentia: *cum ad summū feruorem, deuenerint humores accensi; quo tempore, extensâ per totum caliditate, vniuersum corpus igneum quodammodo redditur.*
  - Declinatio: *cum, vel humor tenuis per meatuum raritatem, in sudorē; vel crassus per angustiam eorundem, in transpirationem insensilem resoluitur, éstque feruentium humorum quidam difflatus.*
  - Integritas: *quæ, in intermittentibus, non continetur in accessione; sed in toto circuitu; (est enim circuitus ex eisdem ad eadem, per circulum reuersio) in continuis coincidit integritas cum declinatione.*
- **Vniuersalia.**
  - Salubrium; *vel sensibilia; vel insensibilia,*
    - qui pēdent à materiâ
      - alterabili: & cōsiderantur
        - Secundùm essentiam, *hæc sunt propriissima.*
        - Secūdùm symptomata, *scicet maligna, non quæ sequuntur morbum, vt vmbra corpus.*
          - (both the above:) principiū. augmentū. status. declinatio.
        - Secundùm coctionē: *non datur declinatio.*
      - non alterabili: *non habent tempora; sic ephemera non fit ex materia coctibili.*
    - qui non pendēt à materiâ
      - quoad essentiam morbi; quoad symptomata, si adsint; — habent quatuor tempora.
      - *declinatio in his non spectatur.*
  - Insalubrium,
    - Lethales;
      - possunt non habere tempora, *si moriatur æger in principij principio.*
      - possunt habere vnum, *si moriatur in fine principij.*
      - possunt habere duo, *si moriatur in augmento.*
      - possunt habere tria, *si moriatur in statu.*
      - *In declinatione nemo moritur.*
    - qui comitantur ad mortem, habent, ad summum, tria tempora, *quia isti non declinant.*

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

CAPVT III.

Duratio morbi ex Idea, ex causa, ex superuenientibus.

PARTICVLA PRIMA.

Morbi Idea, vt durationem ostendit.

MORBI species, seu idea, seu differentia, forma, vel natura, idem sunt apud Galenum: cognita verò morbi ideâ, seu specie, seu quomodocumque aliter appellare velis, facili coniecturâ assequemur, quàm longus futurus sit. Morbi naturam cognoscimus, euidenter quidem, ex signis pathognomonicis, quæ eandem constituunt: verùm, quoniam hæc signa, non semper dantur; minùs euidenter, ad artificiosam coniecturam recurrimus. Pleuritis, suis pathognominicis signis cognoscitur, quâ cognitâ, cum duratio pleuritidis sit quatuordecim dierum, iam scimus ægrotum illum, si saluetur, ad decimamquartam ire debere. Febris ardens similiter, septem durationis dies habet: cognitâ ergo, ex suis pathognomonicis, hâc febre; iam constat, septem dierum morbum esse. Quotidiana, non habet signa pathognomonica; sunt tamen aliqua, ex quibus artificiosè possumus eius naturam venari; cúmque huius febris terminus sexagesimus sit dies, ex cognitâ quotidianâ, durationem præcognoscimus. Eodem modo præscimus, quartanam duraturam per annum. Hæc est doctrina Galeni: si quis enim in tertianâ v.g. non aduertat ad id quod formam ipsam febris constituit, sed duntaxat consideret, quòd tertio quoque die, ad infebricitationem accedit, hoc multoties te fallet: siquidem duas tertianas videbis, quotidie inuadere,& putabis esse vnam quotidianam; duas etiam quintanas inuenies, tertio quoque

11.meth.c.1. lib.ad eos qui de typis scripser. c.4. 1.epid.sect.1. com.1.

2.cris.2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

die repetere, & vnam tertianam existimabis; quod fusiùs explicat Auicenna. Porrò ideam morbi cognoscere docemur à Galeno, toto secundo crisium.

1.4.tract.2. cap.16.

Appendix Prima.

3.cris.c.4. 4 meth. c.6. & 7.met. cap.12.

Ad morbi ideam, adiungito cum Galeno, morbi magnitudinem; quam & vehementiam appellat; adiungito etiam motum, & mores. Verùm mores aliquando cum magnitudine confundit. Si tamen separatim spectentur, cognosces mores ex superuenientibus symptomatibus. Magnitudo, siue vehementia, durationem morbi ostendit: quò enim vehementior est morbus, eò breuior, quò verò mitior, eò magis lentè procedit Motum à vehementiâ; forsan aliquis non distinguet: siquidem motus, quò vehementior, eò est velocior. Ita est, attamen multoties, ea quæ, paruam, aut nullam inter se, ex naturâ rei, differentiam habent; solent ad significandum, diuersas habere vias. Propterea licet vehementia, celerem morbi motum, idest, breuitatem durationis significet, nihilominùs motum à vehementiâ seorsim consideramus; quia peculiaria quædam sunt, quibus velocitatem, tarditatémve motus, citra vehementiæ considerationem, possumus aucupari. Ea sunt ex Hippocrate, *circuitum ad inuicem incrementa*; & vt alibi, si accessiones *citiùs fiant, aut non*; *si in longius tempus, vel non, si denique magis vel non.* Ex quibus verbis, vt Galenus notat, intelligetis differentiam inter vehementiam & motum: siquidem, *citiùs vel non*, celeritatem, tarditatémve ostendit; *magis aut non*, magnitudinem, & morem morbi; & superuenientia symptomata, eorúmque insuper numerum. Nec solùm accessiones, sed & tempus intermissionis, quod interuallum appellatur, considerare oportet. Idcircò dixit Hippocrates, *circuituum ad inuicem incrementa*: quippe circuitus, (vt iam diximus,) complectitur cum accessione intermissionem. Quando igitur accessiones anticipant, súntque longiores, & vehementiores, maligniorésque, & tempus intermissionis grauius; tunc morbus ad statum appropinquat; videlicet est in augmento; quando postea contrarium euenit, adest declinatio: status verò est quando morbi *in eisdem permanent*, & *persistunt*.

1.aph.12. 2.epid.sect. 1. tex.8. 1.cris.c.3.

Appendix

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Appendix Secunda.

Non ſolùm ad anticipationem, aut poſtpoſitionem attendere oportet, vt de morbi longitudine, aut breuitate, iudicium feramus; ſed etiam, cum Hippocrate, ad ſtabilitatem paroxyſmorum: inquit enim, *quibuſcumque acceſſiones fiunt, quâcumque hora febris dimiſerit; ſi eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile.* Dixit *iudicium difficile* (vt Galenus optimè animaduertit) hoc eſt, non eſt febris facile ſolubilis: dupliciter enim iudicium difficile dicitur; vel quando morbus difficile ſoluitur, vel quando perniciem affert; ſed in hâc ſententiâ; difficultatem iudicij, pro difficultate ſolutionis accipere ſatius eſt.

4. aph. 30.

Aliqui, quos Galenus commemorat, in hunc modum interpretabantur. *Si prima die acceſſionem ægrotus habuerit, e. g. horâ tertiâ, & (ſi ita contigerit) hora duodecima febris deſierit. Rurſus die ſecundo, horâ duodecimâ cœperit febricitare; morbus difficile habebit iudicium.* Licet tamen hæc expoſitio Galeno diſpliceat, vtpote nulla ratione, experimentóve comprobata; non deſunt peruicaces quidam, quibus hęc via potior videtur, quàm alia, à Galeno demonſtrata, decepti verbis aphoriſmi; quoniam in eo termini fit mentio; quaſi videatur Hippocrates, velle in ſequente paroxiſmo, rationem habendam eſſe horæ in quâ præcedens deſiit.

Galenus parum de fine acceſſionis ſollicitus, *ſupponatur*, inquit, *quempiam, primo die cæpiſſe ægrotare hora tertiâ, & quieuiſſe quauis alia hora; & tertiâ rurſus die, hora tertia cæpiſſe; mox rurſus quouis tempore finitâ febre, cæpiſſe iterum quintâ die eadem hora tertiâ, & iam deinceps, ſeruari quidem ſemper horam tertiam, in quâ acceſſio ſuum facit initium, non ſeruari autem alias, in quibus finitur: hunc qui tali laborat morbo, neceeſſe eſt temporibus longioribus ægrotare, iis qui habent horam initij aceſſionis inordinatam.* Sic Galenus, qui exemplum in pluribus diebus multiplicauit: quia non ſufficit, quòd vnus aut alter paroxiſmus ordinatè procedat, ſed requiritur vt hic ordo reperiatur in pluribus.

Accedamus ergo ad cauſam, cur febres ordinatè proceden-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tes, diutiùs prorogantur: eam Galenus, ad materiæ stabilitatem, refert, causa enim accessionum, vbi non fuerit fixa, ac stabilita, non seruat eundem terminum, aut circuitum, vbi verò firmata fuerit, seruat, atque adeò difficile solubilis est causa, quæ fixa & stabilita sit, facile verò solubilis, quæ non ita se habet. Nam, *quæ firmata sunt, magnam vim, vt quispiam diceret, demolientem exposcunt, quæ longo tempore, & per fortiora, ac plura auxilia comparatur.* Hæc causa, quàm Galenus affert, ab aliquibus non recipitur: Nam etiam febres, quæ anticipant aut postponunt: dummodo ordinatè id fiat, idem exigunt tempus, ac proinde difficilè solubiles erunt. Præterea materia stabilis facilius coquitur, quàm instabilis; si facilius coquitur, facilius soluitur: solutio quippe per coctionem fit.

Cæterùm, in tanto arguentium numero, vnum non reperio, qui mihi, quid Galenus, stabilitatis nomine, velit significare, explicet. Nam impossibile est, vt causam stabilem, vocet eam, quæ loco non mouetur: siquidem in febribus, quæ per circuitus fiunt, maximè si sint intermittentes, materia non quiescit, sed mouetur de loco ad locum. Si verò intelligat stabilitatis nomine, firmam caloris actionem: hæc potiùs deberet morbum facilè, quàm difficilè solubilem reddere. Ego existimo, Galenum, causam stabilem, appellasse eam, quæ ita est rebellis, vt maximopere alterationi, coctionique resistat: sic stabilem scopulum, aduersus vndas stabilem: quercum, aduersus ventos, stabilem: hominem, aduersus fortunæ ictus, solemus appellare stabilem.

Itaque Galenus, immeritò taxatur ab Argenterio, Galeni mentem non comprehendente: nam quod dicitur, febres, quæ ordinatè postponunt, aut ordinatè anticipant, stabiles esse: respondeo, in his spectandam esse causæ magnitudinem, quam arguunt: si enim postponunt, ob paucitatem materiæ, breuem morbum significant: si anticipant, ob multitudinem eiusdem, longitudinem pollicentur. Quod adiungitur, ea, quæ stabilita sunt, meliùs concoqui, quoniam ad coctionem quies opportuna est, esto: sed nos, stabilitatis nomine, iam diximus, non quietem in loco, sed resistentiam significari. Sed dices, febres erraticæ, nihil habentes stabile, longissimæ censentur: ita est, non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

non tamen longitudo erraticis prouenit, ex varietate paroxyſmorum, ſed ex multiplicitate materiæ, & ex diuerſorum membrorum obſtructionibus, quas arguunt. Obiicies vlteriùs, Hippocratem non reſpicere ſolùm, ad horam, quâ paroxyſmus ingreditur, ſed ſimul cum hoc, ad eiuſdem paroxyſmi durationem, & vehementiam. Non negamus breuiores paroxyſmos, breuiorem morbum portendere; longiores, longiorem: nihilominùs ſi incipiant, ſemper eadem hora materiæ contumaciam præ ſe ferunt. Itaque ſi diutiùs durent, repetendo eadem horâ, pertinaciæ humoris tribuendum eſt; ſiquidem progreſſu temporis, nihil de cruditate mutat, ſed adhuc eam naturam, quàm habuit à principio ſeruat.

1 *criſ. cit.*

Annotatio prima.

Adeò paroxyſmorum longitudo, aut breuitas confert ad cognoſcendam morbi conſtitutionem, vt ſi ex tertianâ ſimplici fiat duplex, & paroxyſmi breuiores reddantur, pro bono omine habendum eſt; ſiquidem breui ſoluendum morbum ſignificat: materia enim diuiſa, duplicatam facit febrem; cæterum ita diuiſa, faciliùs ſuperatur, & hoc in praxi tibi paſſim occurret.

Annotatio ſecunda.

Ex Galeno aduertite, anticipationem, per ſe ipſam, non eſſe ſufficiens augmenti ſignum,* quoniam ſæpè morbi proprietatem ſequitur magis, quàm eius incrementum: ſunt enim aliquæ febres, quæ vſque ad ſolutionem anticipant, appellántque Medici has formulas, typóſve, anticipantes; ſicut tardantes vocant alias, quæ ab initio, futuri temporis aliquod poſterius aſſumunt. Cæterùm Galenus ipſe, quando anticipatio, etiam in anticipantibus, augmentum oſtendat, nos docet: quia nempe *in his, pluſquam proportio exigit, vel anticipare, vel ſubſequi; alterum incrementi; alterum declinationis videtur eſſe indicium: ſimpliciter autem anticipare, vel ſubſequi; neutrius.* Itaque quando morbus ſuapte naturâ anticipat; adhuc in augmento

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

plusquam proportio exigit, anticipat: Barbari vocant *anticipationem anticipationis*. Quod si suapte naturâ postponit; postpositionem habebit, plusquàm proportio exigit, & vocabimus barbarorum more *postpositionem postpositionis*. Eas, quæ suapte natura postponunt, existimat Cardanus esse breuiores; forsitan, quia postpositio sequitur materiæ paucitatem. Dic tamen postpositionem, vel fieri propter crassitiem materiæ, vel propter paucitatem, vel propter vtrumque. In febribus quæ non postponunt naturâ sua, quando eo deueniunt, vt postponant, declinatio est: quia vtrumque materia habet, nempe crassitiem, & paucitatem; crassitiem, ob coctionem; paucitatem, ob dissipationem. In aliis autem, quæ, naturâ suâ postponunt, potest materia esse vel crassa vel pauca: si pauca, breues sunt; paucam autem esse cognosces, quoniam semper paroxysmi, non solùm postponunt, sed simul etiam minùs quàm priùs durant: si verò materia crassa est, & difficilis motionis, postpositio quidem, non est signum declinationis: crassities autem, longitudinem morbi pollicetur.

* Quæ toto progressu anticipant, id faciunt, vel propter dispositionem, & multitudinem materiæ, vel propter robur partium transmittentium, vel propter exactum partium sensum, vel propter errorem in uictu, vel propter influxum cœlestem. Dispositio materiæ anticipare cogit, si acrior, si tenuior, si calidior fuerit: nam tunc citiùs mouetur. Multitudo materiæ, quia, quò illa copiosior est, eò magis naturam irritat, & concitat accessiones. Partes validæ citiùs mouent humores, quam languidæ. Præterea, quantò eædem sunt acutiori sensu præditæ, tantò etiam facilius irritantur; è contrario, si obtusum habeant sensum; e. g. si febris cum paralysi, vel cum sopore coniungatur, quorum vtrumque sensuum hebetudo comitatur, dum hæc curantur pars sensum recuperat, & accessio, quæ tardior erat fit velocior. Error in victu causa etiam anticipationis est: quoniam vel causam morbificam auget, vel eandem commouet. Influxus cœlestis similiter, potest anticipationis causa esse, aut postpositionis; præcipuè si ad lunam respicimus, quæ, propter viciniam in hæc inferiora, magnum habet imperium, & commouet maximè res humidas, & humores, auctore Galeno; quod etiam in conchiliis, & aliis huiusmodi vulgo innotescit. Quando igitur plenilunium est, nempe quando luna soli è diametro opposita, ab eo lumen accipit; tunc humores auget, & commouet, ac proptęrea facit anticipare accessiones. Quando verò soli coniuncta, ab eo non illuminatur, tunc humores minuuntur, nec admodum turgescunt. Hoc Auicenna annotauit agens de cucurbitulis.

3. dieb. decr. cap. 3.

l. 4. cap. 21.

Annotatio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Annotatio tertia.

Insuper notandum est, anticipationem aut postpositionem; sic etiam longitudinem, & reliqua, debere attendi, comparatione factâ inter ægritudines eiusdem speciei: Si quis enim diuersarum specierum ægritudines conferat, nihil inde acquiret, e.g. conferto tertianam, cum epilepsia; * nonnè epilepsia breuiores habet paroxysmos? & tamen est longior.

* Est epilepsia longior, quàm febris tertiana: quoniam causam habet difficiliorem, & crassiorem; habet tamen breues paroxysmos: quia occupat membrum princeps, quod non potest longo tempore læsionem tolerare; Idcirco natura conatur celerem moliri expulsionem. In tertianâ autem licet causa sit tenuior, & acrior, aliter res habet: natura enim non adeò vrgetur, vt vehementissimum, quem potest, conatum adhibeat. Sed dices, in apoplexiâ, eadem est materia, quæ in epilepsiâ, idem etiam locus affectus, & tamen paroxysmus apoplecticus, epileptico longior est. Respondendum reor, in apoplexia moueri totam materiam; in epilepsiâ, partem eius dumtaxat: quare magis, apoplectitus paroxysmus durat, quoniam pugnatur cum maiore quantitate materiæ. Durat etiam magis: quia licet magis epilepsia, quàm apoplexia naturam stimulet; tamen apoplexia magis eandem premit, & sui compotem esse non finit. Quapropter, licet in causam morbificam insurgere debeat, non tamen potest. At in epilepsiâ, cum facultas non sit omnino ligata, insurgit quidem, pro indigentiæ ratione; ac proindè paroxysmus fit breuior.

Annotatio quarta.

Aduerte præterea, quod attinet ad longitudinem, quod si inter diuersa tempora eiusdẽ ægritudinis comparationẽ facias, nihil indè habebis: quoniam semper in * principio, longiores accessiones, quàm in statu. Vt igitur, ex breuitate aut longitudine accessionum, possis totius morbi breuitatem, longitudinémve cognoscere, compara duos eiusdem speciei morbos, & attende quisnam eorum, longiores, aut breuiores, in vnoquoque tempore accessiones habeat.

** In principio cruda adhuc est materia, ac propterea exigua pars antecedentis, transit in coniunctam. In statu, magna portio antecedentis, est apta transire in coniunctam; sic longiores accessiones fiunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Annotatio quinta.

Nec etiam eſt facienda comparatio, inter continuam, & intermittentem: nam intermittens, breuiores acceſſiones habet; quoniam in eâ virtus eſt fortior, materia in minore quantitate, & quæ extra vaſa mouetur, & extenuatur. Durat tamen tota conſtitutio intermittentium, longiore tempore; quoniam ad vnamquamque acceſſiònem, mittitur minus de materiâ antecedente, plus de eadem reſeruatur. At in continuâ, manet materia intra venas, éſtque craſſior, magis abundat, & virtus non ita valet: propter eà acceſſiones fiunt longiores, morbi tamen conſtitutio breuior: nam in vnâquaque acceſſione minus de antecedente materiâ remanet, plus de eâdem tranſit in coniunctam.

Exceptio prima.

Etſi ex acceſſionum anticipatione, longitudine, & vehementiâ, conſtitutio morbi, longáne an breuis futura ſit, comprehendatur: hoc nihilominus, non habet locum, in magnâ eterogeneitate materiæ, cuius aliqua pars eſt valdè tenuis; alia valdè craſſa: ſiquidem pars tenuis faciliùs mouetur; & ſicut faciliùs, celeriúſque putreſcit, ſic faciliùs, celeriúſque concoquitur, & expellitur, & excitat breuiores acceſſiones; at verò propter partem craſſiorem prolongatur febris.

Exceptio ſecunda.

Quando etiam materia valdè craſſa eſt, ſed exigua; acceſſiones propter craſſitiem materiæ, longiores fiunt; ſed propter paucitatem eiuſdem, tota conſtitutio eſt breuis: quod in quartanâ aliquando apparet. Sunt igitur omnia inter ſe conferenda, & quando ſigna adſunt, paucitatem materiæ indicantia, magis ex his, quàm ex paroxyſmorum longitudine, totius morbi duratio eſt petenda.

Exceptio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Exceptio tertia.

Quamuis in morbo ſalubri, virtus potentior, breuiores faciat acceſſiones, breuiorem etiam morbum; virtus inualida, diutiùs in vnaquaque acceſſione duret, diutiùs producat etiam morbum: tamen in morbo lethali, aliter ſe res habet. Nam virtus debilis, (ſiue fuerit debilis ante morbum, ſiue debilis facta à morbo) celeriter ſuccumbit & interficit; licet paroxyſmi producantur. * Quando verò virtus valida eſt; (intelligo validam in ſe, non reſpectu morbi; nam in morbo lethali, ſemper reſpectu morbi eſt inualida) tunc propter virium robur, morbus prolongatur; licet acceſſiones aliquando ſint breuiores. Hoc obſeruauit Galenus in hiſtoria Sileni; qui, cum in acuto morbo, exitialia, continenter ab initio, habuiſſet ſigna, & ſymptomata: tamen propter virium robur, ad diem progreſſus eſt vndecimum: idem obſeruauit in muliere; quæ, decumbebat in Mendacium foro. Eſt tamen non leuis obiectio, ſumpta ex Galeno: vbi agens de febribus, quæ pueris, ante pubertatem ſuperueniunt, acutas eſſe ait; & cauſam reddit, quia alterantur puerorum diſpoſitiones citiſſimè, propter corporis humiditatem, & naturalis potentiæ imbecillitatem. Vnde poſſumus inferre imbecillitatem virtutis, tàm in lethalibus, quàm in ſalubribus eſſe breuitatis cauſam. Aliqui, hanc difficultatem vt ſoluant, recurrunt ad emendationem literæ, nec legendum eſſe contendunt, potentiæ *debilitatem*, ſed potiùs *firmitatem*. Sic legit Laurentianus; & hæc lectio eſt ad mentem Galeni, qui in quamplurimis locis, docet facultates naturales, præſertim alteratricem, validas eſſe in pueritia: quoniam ea ætas, calore abundat, & humiditate. Verùm, quoniam *debilitatem* legit Leonicenus, dicendum eſt in pueris, febres eſſe breuiores, quàm in aliis ætatibus: quoniam in eâ ætate, citò humores coquuntur, citò etiam reſoluuntur: ſunt enim pueri paratiſſimi ad reſoluendos humores, propter corporis mollitiem, laxitatem, & raritatem, quæ prouenit ex humiditate, & calore. Hinc eſt quod pueri celeriter reſoluuntur, & debilitantur: propterea Galenus, in illis metuit, à ſanguinis miſſione; non

1. epid. ſect. 3. com. 19.

3. epid. ſect. 2. com. vlt. 3. aph. 27.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

4. acut. 19. & 1. eiusd. 45.

propter præsentem debilitatem; sed propter futuram, quæ celeriter ob resolutionem aduenit. Sic colligitur ex eodem.

5. de loc. aff. cap. 3.

li. de pulsf. ad tyr. c. de pulsu pleurit- cor. & de caus. pulsf. lib. 4. c. 8.

* Meritò, à Galeno est dictum, inconcoctas esse pleuritides, (sic appellat eas, in quibus nil spuitur, quas etiam siccas vocare solet) quæ vel celeriter, hominem rapiunt, vel longo temporis spatio finiuntur. Quoniam, vt idemmet aduertit, quando pleuritis cruda, & inconcocta, coniuncta est cum debilitate virium, præsens habet periculum; & celeriter interficit: quando tamen virtutis robur adiunctum habet, vel longo tempore terminatur, vel mutatur in empyema, aut tabem.

PARTICVLA II.

Duratio morbi, vt cognoscitur ex causâ.

NOn agam de causâ formali: neque enim cum Capiuaccio, in vnoquoque morbo, causam formalem inquiram; in quo ille ineptire mihi videtur; & dum formam morbi se inuenisse putat; symptomata morbum, concomitantia nobis offert. Nec rursus de causâ finali, quam Vallesius in morbis negat: quippe ea, quæ habent essentiam suam in aliquâ perfectione, hæc fiunt proptèr finem, atque sua perfectio est finis, & causa, quæ in plerisque (vt inquit Aristoteles) est idem cum formâ. Sed quod habet essentiam in imperfectione, cuiusmodi morbus est, non fit propter finem, sed ex defectu contrariæ perfectionis pullulat. Alij tamen eam admittunt, in eo contemnendi, quod causam finalem, quam afferunt, contemnunt; eámque nullius in medicinâ vtilitatis, esse aiunt. Agam solùm de materiali & efficiente; imò verò in morbis, efficientem, à materiali, nequaquam separabo. Loquor de efficiente internâ: scio enim causam procatarcticam, ita esse efficientem, vt materialis non sit; At verò interna, siue ea antecedens sit, siuè coniuncta, vt morbi materia est proxima, aut remota, sic & morbum proximè, aut remotè efficit. Causa igitur, siûe substantia, siue accidens, calida, morborum breuem; frigida longum efficit, quod ex agendi vi, & efficaciâ percipitur. Hoc nos docet Galenus inquiens:

lib. 4. contr. cap. 3.

2. crisf. c. 11.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

inquiens: *nunquid morbus diu durabit, an citò finietur: nam si humor pituitosus fuerit, necessariò diuturnus erit:* * *longè verò magis si atræ bilis naturam referet. At si ad flauam bilem pertinebit non erit diuturnus.* Hoc tamen intelligito, in morbis simplicibus: si enim compositi fuerint, humorum, ex quibus componuntur, naturam sequentur.

Appendix.

Præsagiis, quæ sumuntur ex causâ, addite ea, quæ ex loco affecto accipi possunt: quippe locus, aliquomodo, vim causæ obtinet. Igitur ex Galeno, si patiens locus, motu multo exercetur, calidúsque sit, ac rarus, & principatum gerat, acutiorem morbum futurum portendit, qui verò, neque in motu continuo est, frigidúsque, ac densus, & sine principatu, ad longius tempus extendi significat.

2. cris. c. 11.

* Morbos ex pituitâ, longos fieri, rationi est consonum, & à Galeno sæpius inculcatum. Sed cur ex atra bile, morbi etiam erunt longi, cum tamen atra bilis fiat, eodem auctore, ex parte sanguinis fæculentâ, cùm immodicè incaluerit? Scito atræ bilis nomen, confusè à Galeno accipi, nunc pro melancholico humore frigido, & sicco, qui est fæx sanguinis, nunc pro eo, qui ex aductione fit flauæ bilis. Quòd, pro fæce sanguinis accipiatur, reperies apud eum, cum agens de liene, sic ait: *Ex quadam veluti fæce sanguinis, ex quâ, atra gignitur bilis, hoc viscus alimentum habet.* Quòd, pro adusto humore accipiatur, apud eundem legitur, vbi dum loqueretur de fæce sanguinis, adiunxit: *Ergo hic humor, vbi ampliùs incaluerit, aut propter putredinem, aut febrem phlegmonodem; nigram efficit bilem, quam nullum animal, nec ipsi quidem mures gustauerint, terra quoque raditur ab ea, ac partes, quæ raduntur, omnes in altum attolluntur, vocaturque is effectus, vt Plato quodam loco inquit, tùm feruor, tùm fermentatio.* Quòd autem, hæc duo vocabula, *melancholicus humor, & atra bilis*, apud Galenum inter se confundantur, argumento esse potest, quòd apud eum, aliquando quartanam legimus, ex melancholico fieri succo: aliquando autem ex atra bile. Nihilominùs, si eundem Galenum consulamus, vbi exquisitè rem hanc voluit pertractare, duplicem statuit atram bilem, inquiens: *Rectâ igitur ratione, bilis atræ meminit: ipsam enim dupliciter contrahi didicistis, ex crasso sanguine, & ex bile flauâ combusta.* Propterea exactè loquutus alibi, inquit: *nonnullos tractu temporis crassum, ac melancholicum sanguinem, postremò atram quoque bilem & quidem sinceram deiicere.* Hoc etiam alio in loco declarat magis, dum addit: *dictum autem est, quòd eam,*

2. aph. 19. & alibi sæpè. 2. cris. 11. & 2. acut. 30. 9. de compos. med. secund. loc. c. 2. 14. meth. c. 9. 3. alim. facult. c. 2. lib. de cib. bon. & mal. suc. 14. & 4. aph. 2. 2. diff. feb. 2. 2. de cris. 3. 6. epid. sect. 6. com. 23. & 11 prorrh. c. 4 & com. 10. li. 3. prog. 27. & 3. aph. 22. & 6. aph. 53. 5. de loc. aff. cap. 7. 6. aph. 53.

quæ est veluti fæx sanguinis, cum volumus exquisitè loqui, nondum atram bilem nominamus; sed humorem melancholicum. Nominibus verò abutentes & atram bilem aliquando vocamus, quoniam si non prius euacuetur, paulò post atra futura est. Itaque ex humore melancholico, aut, si impropriè loquamur, ex atra bile, quæ fæx sanguinis est frigida, & sicca, elemento terræ respondens, fiunt morbi longi. Sed oppones, ex eodem Galeno, qui longos morbos fieri ait à pituita, & atra bile similiter, vel copiosioribus quàm naturæ modus exigit, vel in acerrimam qualitatem mutatis. Vnde videtur velle, non melancholium humorem frigidum, & siccum esse, qui morbos efficit, sed atram bilem acerrimam. Respondet posse atram bilem, dum adhuc humor frigidus cum siccitate est, suâ quantitate longos morbos efficere; posse & eosdem efficere sua qualitate accerrima, non quando præ calore furit, sed quando, licet ex adustione acredinem accipiat, remanet tamen magis acredinis, quam feruoris particeps. Et hinc est, quod ex humore per adustionem facto, fiunt propter erodentem, & acerrimam qualitatem cancri, & Elephantiases, qui sunt morbi longi. Propter feruorem autem, carbones, qui febrem valdè acutam habent adiunctam, necnon etiam insaniæ, quæ acuti sunt morbi. fieri verò adustione atram bilem, quæ tamen feruoris non sit particeps, addiscito ex Galeno, qui atram bilem exulcerantem aceto similem esse, non in tenuitate, sed in qualitatibus affirmat.

introduct. cap. 13.

lib. de atra bile c. 3.

PARTICVLA III.

Ex superuenientibus, durationis morbi dignotio.

INter multa, quæ febricitanti superuenientia, malum significant, est sudor; qui, si superueniat, febre non deficiente, signum est, morbum prorogari, vt Hippocrates inquit, & multam subesse humiditatem. Hanc tamen prognosin non nisi in morbo salubri facito: in lethali enim, aut in ambiguo, poterit quidem longitudinem, sed aliquando mortem portendere. Sunt sudores inter decernentia commemorandi, quod si non decernant, (non decernunt autem, *febre non deficiente*) significant, teste Hippocrate, aut mortem, aut difficile iudicium. Prætereà si sudores, vt Hippocrates vult, multam significant humiditatem; multa humiditas, multo indiget tempore, vt concoquatur: si igitur, in omni morbo hoc accipias, etiam multa humiditas poterit suffocare. Accipe igitur in solo salu-

4. aph. 56.

2. epid. sect. 1.

bri,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

bri, si vis solam longitudinem significari hoc signo. Tandem in morbo lethali, multoties sudor adest, & paulò post æger moritur, non ergo in iis morbis longitudinem significat. Sic Philiscus frigidum sudauit die sextâ; & eadem die mortuus est: & Silenus, octauâ die, frigidum sudorem sudauit, & vndecima periit. Nec soli sudores frigidi, sed calidi etiam, ante mortem eueniunt, vt Cratino; qui calidum sudauit, & die quinta obiit. Dum ergo manat Sudor, *febre non deficiente*, vel morbus, si saluber est erit longus, vel si lethalis, interimet. Oribasius, *si sudor*, ait, *non soluat ægritudinem, signum est crassos humores, in altitudine permansisse, & tenues ad superficiem expulsos.* Quod quidem longitudinem, in morbo salubri portendit.

1. epid. sect. 3. tex. 18.

Superueniunt etiam in toto corpore mutationes, vt si corpus refrigeretur, vel rursus calefiat; vel color alter, ex altero fiat, & hoc etiam, longitudinem significare docet Hippocrates. Mutationes tamen intelligito repentinas: hæc enim vox additur in libro de iudiciis; nec est cur eam expungas, quam codex Aldinus etiam in aphorismo habet. Brasauolus, præter omnem rationem excludit, solùm fretus authoritate Celsi, qui hanc sententiam imitatus prædictam vocem non adiunxit. Sed meliùs Cardanus, non solùm *repentinas*, sed *inordinatas* etiam adiunxit: quippe, in febribus intermittentibus, cum corpus paulatim ordinatímque frigescit, & incalescit, non hoc est longitudinis signum: neque enim febris intermittens, eo quòd has habeat mutationes, est in sua specie longa.

4. aph. 40.

lib. 2. c. 5.

Galenus, mutationes, longitudinem, significare existimat, quia varias significant dispositiones: *non potest enim natura, in paruo tempore, multas conficere, vel destruere dispositiones.* Sed quænam sunt istæ dispositiones? nempe humorum: varij námque humores simul mixti, longius tempus, quàm simplex quidam humor, ad coctionem postulant. Mihi verò hoc neutiquam perpetuum videtur. Imò aliquando, mixtione coctionem iuuari, quando nimirùm humor frigidus est, & calidioris permixtione, celerior fit coctio, bile, e. g. pituitam frigidam, crassam, difficilem, attenuante, coquente, & motus tarditatem accelerante, vt Galenus docet. Neque verò, cum Argenterio, dixerim, hanc mutationem prouenire, ob inflammationem,

2. differ. feb. cap. 9.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

quæ ſuppuratur; nam ſi idemmet fatetur, hanc inflammationem, durare non poſſe, quomodo ſignificabit diuturnitatem? Meliùs mihi videtur, mutationes has referre, ad naturæ conatum, in humore valdè reſiſtente: cum enim natura, vno ſimplici conatu, non poſſit humoris reſiſtentiam ſuperare, multiplicat inſultus, & in vnoquoque inſultu, ſpiritus acceduntur, & homo inflammatur; poſteà finito inſultu, ſpiritus diſſipantur, & quieſcunt, inflammatio ceſſat, colórque rubedinem amittit. Ideò exiſtimo dictum, *mutationes fieri toto corpore*, vt ſignificet Hippocrates, tunc longitudinem morbi portendi, quando natura vniuerſim ægrotantē alterat, ita vt toto corpore alteratio ſentiatur. Et hinc intelliges, cur Hippocrates, libello de oſſibus, dixerit, *laxatis venis ex corde, colores fieri rubicundos; aſtrictis, virides cum pallore, & liuido*: hæc námque mutatio, afflictæ naturæ motū ſequitur; laxatis quippe venis, hoc eſt, calore innato influente ſparſo, rubicundi colores apparent, vt in verecundiâ; Eodem, ad interna reuocato, (hoc enim eſt, quod dicit *aſtrictis venis:*) pallidus, liuidus, viridíſque fit, velut in timore. Verùm ſi mutationes, longitudinem morbi ſignificant; cur in Coac. 125. *colores, qui in calore mutantur vtiles*? Profectò in huius ſententiæ lectione, non omnes conueniunt: quidā enim legunt χρήσιμον, hoc eſt vtile; alij, Κρίσιμον, hoc eſt, criticum. Ego exiſtimo vtrūque in idem coincidere: ſi enim quæras, quorſum iſthæc mutatio eſt vtilis; reſpōdebo quia criſim futurā indicat: ſi enim eſt indiciū pugnæ, eſt indiciū criſcos. Si igitur nō eſt vtilis ad criſim oſtendendā, ad alia ſine dubio eſt inutilis: ſiquidē, vti diximus, ex aphoriſmo, & libello de iudiciis, longitudinē ſignificat; è contrario autē ὁμαλῶς θερμὸν τὸ σῶμα, *corpus æquabiliter calidū*, commendatur in Prognoſticis. Eſt & alia obiectio; ſi mutationibus, longitudo morbi ſignificatur, cur ab Hippocrate eſt dictum *in alui profluuiis, mutationes excrementorum iuuare, niſi ad malum mutatio fiat.* Galenus exiſtimat excrementa multiformia, multas humorū formas educere, ac ſubindè exquiſitè corpus purgare, *niſi ad malum mutatio fiat*, hoc eſt, niſi habeant ſigna colliquationis, & putredinis: nam pinguia, vitioſa, & malè olentia excrementa, in prognoſticis damnātur. Cæterùm non videtur Galenus rectè Hippocratis mentem percepiſſe; vel enim intelligit de euacuationibus, quæ fiunt ab arte; vel de iis, quæ à naturâ; forſitan diceret ſe intelligere, de iis

2. aph. 14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

quæ fiunt ab arte. Siquidẽ ab Hippocrate deiectiones cum medicamento, quò magis versicolores, eò meliores dicuntur. Esto; sed cur erunt bonæ, eâ conditione, *nisi ad malũ mutatio fiat*. Profecto cum medicamento plures, variósque humores educi, nihil absurdi habet. Si verò intelligat, iuuare mutationes factas à naturâ, quoniam his corpus exquisitius expurgatur, Hippocratem sibimet aduersari fatebitur; quippe in prognosticis, deiectiones versicolores damnat. Neq; verò mutationis vocabulo, variegatæ deiectiones significantur: siquidẽ mutatio successiuam vnius in alterum translationem significat. Tandem hæc explicatio, non veram redderet sententiam. Estne semper exquisita purgatio, ea quâ multi variique educuntur humores? At profecto quando vnus humor peccat, multos educi non est secundũ rationis normam, neque tunc, talia purgantur, qualia purgari oportet. Alij, mutationes quidem successiuas excrementorũ intelligunt; quæ si fiant ad melius, iuuant; si verò ad deterius (hoc enim est quod ait Hippocrates, *nisi ad malum mutatio fiat*,) tunc tẽporis nocere poterunt. Verumtamen hæc explicatio, inartificiosã reddit sententiã: quis enim dubitabit bonũ esse in lienteriâ, diarrhæâ, aut dysenteriâ excretiones tendere ad bonũ; è contrario malum, si ad malum tendant? Existimo Hippocratẽ omnes excrementorũ mutationes, vniuersim in morbis, præcipuè acutis, laudasse: quia si euacuatio boni mutetur in euacuationẽ deterioris bonum est vt causa; siquidẽ excernitur, id quod prauum est: & bonum est vt signum; quia quò deterius est quod excernitur, eò meliùs causã morbi superatã, & eiectã dicimus: quippe è contrario, præsente morbo, non est bonũ excerni id, quod bonũ est: si verò mutatio fiat à malo ad bonũ; bonum similiter est, vt signũ; quia significat materiã iam esse ad meliorẽ frugẽ redactã. Itaque aut vt causa; aut vt signũ; aut vt vtrumq; sẽper mutatio excrementorũ iuuat. Cur verò addit Hippocrates: *nisi ad malũ mutatio fiat*? At ne hoc accipito de mutatione humorũ, sed de mutatione ægroti. Quasi dicat mutatio qualiscumq; excrementorũ iuuat, nisi dum isthęc mutatio fit, fiat simul in ægroto mutatio ad malum, hoc est, nisi mutatio excrementi afferat secum difficilem tolerantiam, & nullam conferentiam imò pro conferentia ruinam.

4. aph. 21.

2. prog. 23.

Non negare possum, imò cum Hippocrate fateri teneor * variegatas deiectiones, diuturniores quidem nigris esse: nihilominus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

lominus exitiales: quoniam natura,cum multis inimicis pugnatura, multum temporis consumat necesse est: (nam vt Galenus ait) *excrementum varium, variis corpus affectibus detineri significat; & ob hoc diuturnum, malignúmque existit: multi enim, variíque affectus, ad coctionem longiore indigent tempore, periculúmque afferunt multitudini æquale.* Porrò varietatem deiectionum,multipliciter intelligito;vt tibi sequens indicat tabella:

Varietas deiectorum.
- in pluribus deiectionibus;
  - Vel quando eadem die, diuersæ apparent *v. g. manè nigræ, vespere cruentæ, postridie flauæ.*
  - Vel quando singulis diebus, mutationes inconstantes fiunt.
- in vna deiectione;
  - Vel humores sũt omnino impermixti.
  - Vel magis permixti *vt in collo columbæ & caudâ pauonis.*
  - *huius differentiæ causa est; quia, quò ex longiore parte, hoc est, ex intestino superiore, fæces deducuntur: eò meliùs permixtæ sunt, vt animaduertit Galenus* 1. de loc. affect.

* Diluenda est hoc loco apparens quædam contradictio. Superiùs exclusimus Galeni expositionem, nempe ideò variegatas deiectiones, longitudinem significare, quia varios significant humores; & diximus posse, cùm multi variíque sint, vnum ab altero corrigi. Nunc autem admittimus. Non admittimus quidem simpliciter, sed diuturniores variegatas, nigris comparatiuè admittimus. Cùm enim tàm hæ, quàm illæ sint exitiales; in exitialibus quicquid diuturnius est, id meliùs: siquidem non ita citò interimit: cùm itaque deiectiones nigræ interitum afferant, nimium damnandæ sunt; cum verò variegatæ propter pituitosi, & sanguinei humoris miscellam, non ita promptè interimant; minùs quàm nigræ veniunt damnandæ, seu, vt melius dicam, comparatione ad nigras laudandæ. Damnantur tamen, cum adiungat *nihilominus exitiales sunt.* Atque versicolores significant non diuturnitatem morbi; sed potius dilationem mortis, & quandam temporis prorogationem. Diuersæ autem dispositiones diuersæque humorum species, possunt quidem magis naturam affligere;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

affligere; non tamen eam in pugnâ retardare: cur enim tardiùs concoquet natura pituitam bile permixtam, quàm per se solam.

Multi, qui cum Galeno variegatas deiectiones simpliciter diuturnitatem significare contendunt; obiiciunt sibimet hemitritæum, qui breuior est, quàm febris quotidiana, vt patet ex Galeno; & tamen ex causis fit diuersis, videlicet ex humore pituitoso, atque bilioso; quotidiana autem ex sola pituita. Respondent in hemitritæo coniungi causas contrarias ac diuersas, quarum vna corrigit malitiam alterius, vt est bilis, quæ corrigit frigiditatem & crassitiem pituitæ, & coadiuuat ipsius coctionem, & resolutionem. In excrementis autem, de quibus loquitur Hippocrates, tanta existit prauitas, vt nullum possit alterum corrigere; sed potius addere supra malitiam ipsius. Hæc responsio, quæ Vegam authorem habet, inanis est, & nullo modo recipienda. Nam si in hemitritæo, vnus humor emendat malitiam alterius, cur hemitritæus est periculosior, quàm tertiana, aut quotidiana. Rursus, si in deiectionibus permixtio humorum, maiorem prauitatem arguit; cur variegatæ sunt diuturniores; deberent quidem citiùs interimere vtpote magis malignæ.

2. different. feb. c. 9.

Aliud signum diuturnitatis morbi, statuitur ab Hippocrate: nempe *in febribus abscessus, qui ad primas iudicationes non soluuntur.* Alij legunt, *non soluunt.* Fuchsius verbum græcum λύομαι interdum significare ait, idem, quod λυτρόω, idest, libero, soluo; atque ita legit *non soluunt*, & Leonicenum aduersus Musam defendit. Foësius, Cornarius, Mercurialis, & alij legunt *non soluuntur.* Imò in codice communi, ex translatione Leoniceni, habetur; *non soluuntur*; forsitan, quia Martianus Rota, Augustinus Gadaldinus, & Musa, suo palato lectionem accommodarunt. Igitur si legas, *non soluunt*, non differt hæc sententia, ab ea, in quâ Hippocrates ait; decretoria non decernentia, aut mortem significare, aut difficile iudicium. Neque est alia differentia, nisi quòd in aphorismo, longitudinis tantùm, non mortis fit mentio; verùm facta longitudinis mentione; manifestè colligitur, cum virium imbecillitate, in eodem morbo mortem esse timendam. Est ergo sensus: Abscessus qui ad primas iudicationes non soluunt morbos, hoc est, qui cum sint decernentes, non decernunt, longitudinem significant.

4. aph. 51.

Quid, per primas iudicationes, intelligi debeat, non minùs ambiguum est. Philoteus quartam, aut septimam diem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

primas iudicationes appellat. Musa vsque ad vigesimam transcendit. Alij vsque ad quadragesimam, quæ est prima chronicorum iudicatoria: & profectò, hoc vltimo modo intelligere, est satius; siquidem, abscessus vt plurimum, non nisi post vigesimum accidunt, teste Hippocrate. Ergo qui tunc accidunt abscessus, significant, vel multitudinem humorum (vt inquit Oribasius) quæ tanta fuit, vt abscessum mouerit, cum ægritudo permanserit: quippe facultas magnam materiæ copiam ferre non potuit, ac proindè expellere tentauit, neque quicquam effecit: vel significat materiam, talis esse naturæ, quæ superari nequeat, propterea occasionem longitudini morbi præbet.

3. prorrh. 25.

Qui verò, *non soluuntur*, legi volunt: Aliqui ad febres quidem referunt, neque à prioris expositionis sensu recedunt, siquidem aiunt, in febribus, quæ abscedunt, si primis iudicationibus non soluantur, morbi longitudinem significant. Alij ad abscessuum, non ad febrium solutionem respiciunt: quod mihi magis placet. Iuxta eam igitur lectionem, sic explico aphorismum. Si abscessus febri superueniet, iam vt plurimum, ea febris, longæ constitutionis est: siquidem in longis frequentiùs abscessus fiunt; si verò isti abscessus, non statim soluantur, nempe in primis iudicationi bus, non computando dies febris, sed abscessus, signum est materiam abscessuum, esse difficilem; cúmque materia febris, & materia abscessus eandem habeant naturam, difficultas materiæ febrilis, ex difficultate materiæ abscessus indicatur.

Ex vrinâ etiam longitudo morbi cognoscitur. Quatuor autem sunt gradus vrinæ longum fore morbum significantis. Primus, ex Hippocrate, *si intermittit*, hoc est, si interdum candidum, læue, æquale; interdum diuersum habeat sedimentum: id enim (inquit Galenus, & in praxi obseruatur) sæpissimè euenit, vt aliquis emittens vrinam secundâ die inculpabilem; tertia die prima luce, postea vespere culpabilem; in talibus vrinis alius concoctus, deuictúsque à natura, conditus in receptaculis humor; alius incoctus apparet.

2. prog. 26.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Annotatio.

Aduerte non neceſſarium eſſe, vt hæ mutationes fiant de extremo ad extremum; ſed ſufficere, vt ab vno ad aliud deflectatur: neque enim coëunt ſimul contrariæ omnino affectiones, coëunt verò ſæpe diſſentientes inter ſe, à quibus ſemicocta materia indicatur. Quippe varietas ſignificat aggreſsũ naturæ imperfectum. Idcirco Galenus, *ſi alternatim*, inquit, *mingatur pura vrina, in ſubſidentibus; ſemicoctum eſſe morbum oſtenditur.* Sed dices ſemicoctum morbum ſignificare breuitatem: breuis námque eſt via à ſemicocto ad coctum. Ita eſt ſi ſemicocti humoris ſigna tranſire videas vlteriùs; ſed in retroceſſibus, obſtinatio apparet materiæ cum cocta eſſe deberet, ſemicocta perſeuerat. Vnde in Coacis: *In febribus aliæ ex aliis vrinæ producunt morbum.* Alij vt non ad mutationem vrinarum, ſed ad varietatem in vnaquaque vrinâ referant, ſic legunt: *In febribus interdum varias reddi vrinas, longi eſt morbi.* Phraſis autem græca ἄλλοτε ἀλλοίων, vtrique lectioni præſtat occaſionem. Secundus gradus eſt vrinæ ſubrubræ, de quâ Hippocrates: *ſi autem vrina fuerit ſubrubra, & ſedimentum ſubrubrum, & læue; diuturnior hic morbus, quàm primus, ſed admodum ſalutaris eſt.* Sanguinis ſuperfluitas has vrinas tingit; oportet autem, non ſolùm hanc ſuperfluitatem, ſed etiam aliquid rufæ bilis admiſceri. Quod ſi calor naturalis adeò eſt imbecillus, vt neque rufam generet bilem, neque ſanguinem ſatis concoctum; ſed adhuc aqueum, & ſeroſum; manifeſtum eſt longiore ad coctionem tempore indigere. Tertius gradus eſt vrinæ rubeæ, cuius meminit Hippocrates, in hiſtoriâ Hermocratis, qui morbum produxit vſque ad vigeſimum ſeptimum: in quo tandem obiit. Galenus has vrinas diuturnitatem ſignificare probat, à minore ad maius: ſi enim ſubrubræ producunt morbum, quantò magis rubræ. Mors autem huic accidit, propter alias cauſas, nempe propter phrenitidem, quam genuit bilis abundans, in cerebro putrefacta. Porrò *ſanguinem abundare incoctum, & paulò ſeroſiorem, rubra indicat vrina.* Quartus gradus eſt vrinæ prærubræ, quaſi valdè rubram dixeris; & hæc eſt quam cruen-

1. criſ. 12.

2. prog. 27.

3. epid. ſect. 1. tex. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

1.*pror*.31. tam ſolemus appellare; huius etiam meminit Hippocrates. Galenus per has vrinas renum affectus ſignificari affirmat: ſicut enim ventris valdè rubra proluuies, affecti iecoris: ſic vrina prærubra, renum malè affectorum indicium eſt. Atque hæc, (niſi adſint alia ſigna lethalia) poteſt cum ſignis ſalubribus diuturnitatem morbi indicare.

4 *aph*.71. Sed his quæ diximus opponi poteſt Hippocrates, qui nubeculam rubram in quarto die, iudicationem futuram in ſeptimo ſignificare ait. Cui Galenus etiam conſentire videtur: ſiquidem hanc nubeculam, iudicationem citò futuram polliceri, ſcriptum reliquit. Cæterùm contenta rubra, vt Actuarius eſt auctor, ſola quantitate nocent; at vbi ſola quantitas eſt cui tribuitur noxa, quò minor fuerit quantitas, eò noxa minor erit, cúmque nubecula minorem oſtendat quantitatem, quàm enæorema, aut ſedimentum; minùs natura offendetur, quando apparet nebula; quàm quando appareat ſedimentum. Si igitur minùs offendetur, citiùs morbum finiet; atque ita manet vera vtraque ſententia, ſcilicet & nebulam, breuem morbum: & ſedimentum, longum ſignificare.

2. *de iud. vrin.c*.8.

7.*aph*.31. Eſt aliud ſedimentum, longitudinem ſignificans, nempe quod eſt craſſius, veluti farina, ex Hippocrate. Cæterùm, intellige, dummodo alia ſint, ex quibus ægrum conualiturum poſſis ſperare. Nam cum ſedimentum farinaceum, aſſato ſanguine Craſſiore, vel conſumptis æqualiter carnibus contingat; eo quòd à calore igneo, quæ tenera eſt, & nuper concreta caro, in ichorem reſoluitur: duriuſcula verò iis quæ friguntur in ſartagine, ſubſimilis exſiccata conſiſtat: à tantâ conſumptione, ſi æger liberandus eſt, non niſi multo labore, vigilantia, & tempore eueniet: ſi verò adſint ſigna quælibet, quæ Medicum perterreant, mors citò conſequetur. Vndè hoc ſedimentum in prognoſticis malum dicitur, & in Coacis lethale: Et profectò Silenus cum hoc ſedimento breuiter periit. Ille verò qui in Dealcis decumbebat horto, cum eodem ſedimento die quadrageſima iudicatus eſt. Ex his duabus hiſtoriis, didicit Galenus, ægrum cum ſedimento farinaceo, ſi perire debet, citò periturum: magna námque conſumptio citum pollicetur interitũ; ſi verò eſt ſaluandus, tempore longiore, vt reficiatur, indiget.

2.*prog*.28. 1.*epid.ſect*.3. *tex*.18.

Breuitatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Breuitatem morbi, colligit Hippocrates, ex sedimento bilioso, supernè tenui: & meritò; nam biliosa materia, acutos semper morbos parturit. Galenus, parum abest, quin falsitatis hanc sententiam arguat: neque enim eam aliter recipit nisi, ex aliquorum opinione, *supernè* intelligamus, non de loco, sed de tempore; quasi velit dicere vrinarum sedimenta, quando ab initio tenuia sunt, posteà verò biliosa fiunt, acutum morbum significare. Philoteus ferè eodem modo progreditur, inquiens: *quibuscumque biliosa sedimina, hoc est, à bile colorata; superiùs autem, hoc est à principio tenuia in modum aquæ, breuẽ morbum significant: nam cepit & concoctio fieri, & extrudi materia.* Eandem viam suscepit Fuchsius; eandem Christophorus à Vega, qui Galenum aduersus Vallesium vendicat à calumnia. Sed cur Galenus, si *supernè* referatur ad locũ, falsam sententiam iudicat? nempe quia tunc idem est, quod aquosum; (sic enim tenuis appellatione Hippocrates vti consueuit) at vrina aquosa cruda est, & diuturna: nec vnquam visa est vrina cuius sedimen biliosum sit; pars verò superfluitans aquosa. Triuerius non patitur, *supernè*, ad tempus referri: nam vicissitudo vrinarum potiùs longum, quàm acutum morbum minatur, vt pote ex variis compositũ; & multò acutior est morbus syncerè biliosus, quàm pituitâ permixtus. Magis illi placet, intelligi vrinam biliosam, quæ primis diebus sedimen ostendit, sed biliosum, hoc est, admodum tenue, & supra, hoc est in supremâ vrinæ parte, per modum nebulæ sublatum: id enim admodum biliosum morbum ostendit. Nam in pituitoso contrà, sedimen in fundo quasi sedentarium sedet; reliquis, per modum sublimamenti, circa medium attollitur. Proindè hoc sedimen, quod nunc describitur, omnino est cõtrarium illi, quod in priori aphorismo est definitum; & contrarium quoque morbum significat, id acutum, illud verò longum. Hæc expositio licet veritatem contineat, nihilominùs non potest aphorismo adaptari: neque enim Hippocrates dixit, biliosum, hoc est, tenue, sed biliosum supernè tenue: quasi diceret, sedimen biliosum tunc significat morbum acutum, cum supernè est tenue. Vallesius *supernè* ad locum etiam refert, ita tamen sententiam interpretatur. Quibus ea, quæ continentur in vrina, biliosa sunt, colore scilicet bilem flauam referentia, nõ autem in fundo, sed *supernè*, & tenuia,

7. aph. 32.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

acutum morborum significant. Quod constat esse verissimum: nam valde biliosi morbi est ea vrina, in quâ pendet nubecula tenuis, colore bilem referens, valdè tamen biliosi morbi sunt etiam acuti. Hoc quidem ita est sed oportuerat Vallesium declarare id, quod Mercurialem ita anxium reddit, vt sine declaratione reliquerit, videlicet cur potius supernè, quàm in medio, vel imò contentum, acutiem morbi significet.

Cardanus in hunc modum exponit. Cum biliosa sedimina fuerint, & etiam tenuia suprà, idest biliosa ratione contentorum, & substantiæ, acutum morbum futurum decernunt. Sed vellem mihi diceret, quid vocat ille biliosa sedimina ratione contentorum: nam sedimina sunt contenta phantastica, ergo est isthæc expositio, vt multa alia eiusdem. Mihi facilis videtur huius aphorismi sensus; nempe contentum ex pituitâ, si aliqua bile tingatur, posse biliosum dici & tunc subsidebit, & erit crassum. Si verò sit tenue & in superiori parte, tunc est totum ex bile, & quemadmodum significat bilis prædominium, sic etiam morbi acutiem.

Bullas etiam, quæ in vrinis supernatant, longum morbum significare dixit Hippocrates. * Non tamen omnis bulla longitudinem significat, verùm ea, quæ difficile soluitur; & eò longiorem fore longitudinem significat, quò difficilius euanescit; quod Actuarius annotauit: spumæ enim permanentia, fit propter crassitiem & lentorem materiæ; ea autem, quæ crassa, lentáque est, longos efficit morbos.

7. aph. 34.

* Spumam vel propter caliditatem, vel propter frigiditatem fieri existimauit Galenus, quod probat exemplo eorum, quæ efferuescunt, & in lebete elixantur. Rursus idem probat, in aquis vento agitatis. Ego nec ad calorem, nec ad frigiditatem, sed ad solam agitationem spumam refero: siquidē eorū quæ ebulliunt, attenuitatis quibusdam particulis, & in aërem conuersis; dum aër exitum quærit reliquias agitat. Bullæ igitur efficientem habent causam, agitationem; materiam verò humidam flatulentam, quæ si crassa sit & lentorem habeat, perseuerabunt, sin minùs euanescent.

3. acut. 12. & 1. pror. 21. 7. aph. 30. 2. aph. 43. 2. prog. 47.

Appendix Prima.

Non solùm longitudinem morbi significant bullæ, sed etiam renalem esse morbum: sic enim habet aphorismus, *Quibuscumque*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

que in vrinis bullæ supernatant morbos renum significant,& longum esse morbum. Dicunt aliqui, vrinas bullosas, non prouenire ab altiore,quàm renes,regione: quoniam & in renibus, & in longo itinere, anfractibúsque discuterentur. Si quis verò opponeret,ob eandem rationem,posse bullas in vesicæ morbis fieri, admittunt; Hippocratem autem,dicunt, renum duntaxat meminisse;quoniam ex obseruatione fuit loquutus. Sed fatua est excusatio. Alij sunt qui dicunt bullas significare humores crassos, quibus renes obstruuntur; quippe ex crassis humoribus, fiunt flatus,qui agitant vrinas,eásque reddunt spumosas. Huius sententiæ videtur fuisse Actuarius; inquit enim: *quin etiam eadem motione,circa renes,& vesicam,factâ, ab aliqua contingente locorum angustiâ,spiritus generantur, & spumæ excitantur.* Mihi aphorismus iste,cùm non alibi reperiatur, in hanc modum videtur explicandus. *Quibus in vrinis bullæ supernatant,morbum renalem longum significant.* Hoc est,in morbis renalibus, qui dolore,& grauitate illius partis se produnt, considerandum est,vtrùm appareant bullæ non euanescentes, sed diutius permanentes: hæc enim fiunt à materia tenaci;materia autem tenax,longitudinem pollicetur. Et hoc videtur faciliùs,quàm cum Oribasio pro nephritide,phrenitidem scribere:Etenim significare phrenitidem & simul significare morbum longum, contradictio est: quippe phrenitis inter valdè acutos numeratur.

2. de caus. vrin.c.14.

Appendix Secunda.

Significant præterea bullæ capitis dolorem. Nam qua ratione vrinæ veluti iumentorum dolorem capitis adesse, vel affuturum significant; eâdem etiam & bullæ: quippe Galenus fieri ait, vt in vrinis subiugalium multus propter ebullitionem flatuosus spiritus feratur ad caput. Flatuosus autem spiritus est,qui bullas excitat. Bullæ in modum coronæ,superficiem circundantes,totius capitis dolorem arguunt, si verò medietatem duntaxat occupent,hemicraniam significant; quod Fernelius accepit ab Actuario, diuidente bullas in eas,quæ in totâ coronâ, & in eas quæ in dimidietate apparent.

4.aph.70.

lib.3.c.6.

Substantiam quoque vrinarum,si tenuis sit,morbi longitudi-

nem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

1.epid.sect.3. agr.5. nem significare Galenus est testis, quia multum spatium temporis requirit ad coctionem.

Annotatio.

Considerare oportet, nihil meliùs in vrinâ, significare, quàm eius substantiam. Tria sunt quæ optimam constituunt vrinam; color subrufus, vel subflauus; substantia mediocris, contentum parum eleuatum è fundo vasis, album, læue, & æquale. Sine contento potest vrina esse bona in senibus, in hominibus biliosis, præsertim cum multum laborauerint. Color bonus aliunde, quàm à coctione, potest comparari: Maior ergo fides habenda est substantiæ; ea enim quæ laudatissima censetur, non nisi per coctionem acquiritur.

7.aph.72. A colore ita sumito signum longitudinis. Alba perspicua cruditatem significat, & subinde longum fore morbum, ex Galeno. Albam perspicuam appellare solet Hippocrates aquosam: si enim sit alba & non perspicua, dicetur lactea. Rubra etiam vrina, longum fore morbum significat, ex eodem.

3.epid.sect.1. com.5.agr.2. & 1.cris.12. & alibi sæpè. Considera quoque corporis habitum in febricitantibus, in febricitantibus, inquam febri, nec admodum exiguâ, nec valdè magnâ: si námque tunc membra non extenuantur; morbum longum prædicito: quod non siluit Hippocrates inquiens: *Febricitantium non omninò leuiter, corpus sibi constare nec minui; aut etiam plus æquo colliquefieri malum. Illud siquidem morbi longitudinem; hoc verò imbecillitatem significat.* Quòd leuis febris habitum corporis non minuat, nihil mirum; si verò febris sit mediocris, necesse est non permanere corporis habitum in pristino statu: quòd si permaneat, plusquam ratio exigit; cruditas, crassitiésque humorum, & corporis densitas significatur: quæ duo ad morbi longitudinem faciunt: si verò in eadem mediocri febre, extenuetur corpus vltra terminos rationis, videlicet perindè ac si febris esset ardentissima; tunc & corporis raritas, & humorum tenuitas, agnoscitur; ex quibus virium imbecillitatem arguimus.

(2.aph.28.)

Præcedentis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Præcedentis capitis compendium habes in hâc tabellâ.

Duratio morbi cognoscitur,

- Ex Ideâ *seu specie, seu differẽtiâ seu formâ, seu naturâ*: hæc cognoscitur,
  - signis pathegnomonicis; *euidenter.*
  - artificiosâ cõiecturâ, *minus euidenter.*
  - *Ad morbi ideã reducito*
    - Magnitudinẽ, *quæ etiã vehemẽtia dicitur*; hæc cognoscitur,
      - Ex magnitudine pathognomícorum, vel assidentium signorum; *quæ si magna sint acutiem significant,*
      - Ex accessionibus; *si longius tempus, an non.*
    - mores; cognoscuntur
      - Ex accessionibus; *si magis affligant, an non.*
    - motum; cognoscitur
      - Ex accessionibus; *si citius, an non.*
    - *Hæc tria nempe longitudo, vehementia, & anticipatio, si simul concurrant; statum præsto fore significant.*
- Ex causâ efficiente *internâ; quæ est eadem cum materiali:*
  - Si calida, *breuem morbum significat.*
  - Si frigida, *longum morbum significat.*
  - *Ad causam reducito* locum affectum, qui vim causæ habet
    - Si patiens locus multo motu exerceatur; Si calidus sit & rarus; Si principatum gerat; — *acutum morbum portendit.*
    - *è contra.*
    - Si nullo modo exerceatur; Si frigidus sit & densus; Si sine principatu; — *longum morbum portẽdit.*
- Ex superuenientibus:
  - Sudor superueniens, febre non deficiente. *Denotat.*
    - in morbo salubri, *longitudinem.*
    - in morbo insalubri,
      - *interdum longitudinem.*
      - *Interdum mortem: est enim decretorium non decernens; quòd vel mortem significat, vel difficile iudicium.*
  - Mutationes
    - in excrementis, *de quibus præcedens tabella.*
    - in toto corpore; *ut si corpus refrigeretur & rursus calefiat: significat enim conatum naturæ non potentis.*
  - Abscessus, qui ad primas iudicationes non soluuntur, vel non soluunt: *si legas non soluunt, idem est ac decretoria non decernentia; si non soluuntur, tenacitatem materiæ & subindè morbi longitudinem significant.*
  - Vrina
    - Si intermittat, *longitudinem pollicetur.*
    - Si in colore sit subrubra, rubra, prærubra — *longitudinem denotat.*
    - in substantiâ: si sit valde tenuis, *longum fore morbum significatur.*
    - in contentis
      - sedimentum farinaceum
        - in morbo salubri *longitudinem significat.*
        - in morbo lethali *præsto fore mortem denotat.*
      - sedimentum biliosum *acutiem denotat.*
      - bulla diu permanens *longitudinis est signum.*
  - Habitus corporis *si non extenuetur, longum morbum significat.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

CAVPT IV.

Duratio morbi ex anni tempore & Ægrotantium ætate.

PARTICVLA PRIMA.

Quæ constitutiones, quos pariant morbos.

TVM Hippocrates in libro de naturâ humanâ, tùm Galenus alibi non semel, in hyeme vt plurimùm longos fieri morbos scriptum reliquerunt; tunc enim * pituita dominatur, quæ frigida, & humida cùm sit, longo tempore concoquitur. Fiunt præterea morbi longi Hippocrate auctore, *in multitudine pluuiarum.* Cuius rei rationem Galenus reddit, quoniam ægri ad morborum solutionem, coctione egent; plures autem humiditates, non nisi longo tempore concoqui possunt. Accedit etiam, quod frigidiores, & magis pituitosi generentur humores, multitudine pluuiarum, sicvti è contrario in siccitatibus biliosiores. Quare in temporibus pluuiosis, febres erunt diuturniores; in siccioribus acutiores.

3.aph.16.

Dixi in hyeme morbos fieri longos, *vt plurimum*, quoniam negare non possumus id quod Hippocrates nos docet, hyeme fieri morbos laterales, & peripneumonias. Cæterùm morbi ex pituita magis eo tempore fiunt, & difficilius coctionem admittunt quàm in aliis temporibus.

3.aph.23.

Autumnales morbos, Hippocrates, acutos, & maximè exitiosos dixit, ac proindè breuis durationis: & tamen alibi autumnales quartanas, & sub quartanarum nomine (teste Galeno) reliquas ægritudines longas esse pronunciauit. Nulla tamen hic subest contradictio. Autumni námque temperies omnium est pessima; tùm quia sequitur æstatem; quæ vires resolutas

3.aph.9.

2.aph.25.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

resolutas reliquit; tùm quia inæqualis est: ita vt vnâ, & eâdem die, plures conspiciantur temporum mutationes. Itaque in hâc pessimâ constitutione, morbi aut lethales sunt, aut difficilis iudicij. Hinc crediderim ortum prouerbium: *Morbi autumnales, aut longi, aut mortales.* Morbi suaptè naturâ periculosi, in autumno periculosiores sunt; sin salubres longiores. De Aestiuis nihil est quod dicam: quippe & calor, & multa discussio, & bilis tunc temporis prædominium, breuitatem ostendunt. Ver morbos parturit salubriores: abundat enim tunc sanguis benignior inter cæteros humores; virésque constant, & aëris temperies indulgens est.

* Dicitur pituita abundare in hyeme, quæ à deficiente calore fit; & tamen eo tēpore calor naturalis, coctionis opifex, abūdat. Ad hanc difficultatē, Galenus tribus respondet rationibus. Prima, vētres hyeme & vere naturâ calidissimi sunt idest tēperatissimi; reliquę particulę corporis, magis frigescunt, imò nonnullis etiam ventriculus; vel ex itinere, vel ex indumentorum penuriâ, vel ex vitæ studiis, vel ex alia quapiam simili re. Itaque aëris ambientis vniuersum frigus, ad penitiores vsque partes penetrat; adeò vt in aliquibus, ad regionem ventriculi pertingat: vnde etsi probè assumpti cibi in ventriculo conficiantur, non tamen in iecinore, dum in sanguinem mutantur, illius exquisitè cultum assequuntur, sed ab eo aliqua ex parte aberratur. Secunda, quia venæ per vniuersum corpus dispartitæ, quæ refrigeratæ sunt, nequeunt illum similiter transmutare. Tertia est; ciborum copia, oblatorum in hyeme; qui suis qualitatibus pituitosiores sunt.

1. de natur. hum. com. 36

Hæ Galeni rationes non omnino satisfaciunt. Nam prima supponit, ventres ob hyemis frigiditatem frigescere. Quomodo igitur stare potest, vt ventres hyeme sint naturâ calidissimi, & proptereà plurima expostulent alimenta? Secunda, Galeno indigna videtur: coctio enim, quæ fit, post factam in iecinore transmutatiorem, est tertia coctio, in qua pituitæ generatio non fit. Vnde licet venæ per corpus dispertitæ, ob frigiditatem, non transmutent perfectè sanguinem; non ideò in ventriculo, & cerebro pituita abundabit; in quibus, tamen locis abundare conspicitur. Præterea si ex alimento per venas distributo, non fieret bona transmutatio, corpus in hyeme redderetur macilentum; neque appetentia vigeret; neque copiosioris cibi necessitas, quam Hippocrates agnoscit. Tertia ratio, vt vera sit, supponit homines in victus tùm quantitate, tùm qualitate errare: sed quid, si parcius viuatur? nónne ita adhuc magis in hyeme, quàm in aliis temporibus, pituita generabitur? Imò maximè.

Vallesius tres alias adducit rationes. Prima coincidere videtur cum Galeni tertiâ: Ea est voracitas, quæ in pueris, alioquin calidissimis, accumulat pituitam. Voraciores autem essę homines in hyeme, quàm in æstate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ex eo accidit, quod hyeme paucissima fit resolutio. Secunda, in hyeme vacuationes consuetæ reprimuntur, saltem transpirationes, & ita datur maior accumulandis excrementis occasio. Tertia ob frigiditatem aëris qui respiratur. Hæ Vallesij rationes nullum habent pondus. In primis enim non solùm voraces sed frugales etiam homines pituitosiores sunt hyeme, quàm reliquis temporibus, errauit etiam inquiens, voraciores esse homines in hyeme, quia tunc paucissima fit resolutio; imò multa resolutio voracitatem affert. Secunda ratio similiter claudicat: Nam etsi in hyeme supprimatur transpiratio, augetur vrina; reliquæ autem euacuationes, non video, cur in hyeme suppressæ dicantur. Tertia similis farinæ est. Nam vbi frigiditas ambientis ad ventres accedat, iam non erunt calidissimi, & expostulantes plura alimenta.

Cardanus calorem ventriculi ait hyeme non esse maiorem qualitate, sed sola quantitate. Vndè in hyeme plus de pituitâ generatur, æstate de bile: perfectior enim coctio fit in hyeme, quàm in æstate, & tamen pituita hyeme, bilis æstate generatur. Non enim perfectio coctionis ad qualitatem, sed ad substantiam refertur: plus enim de calore innato est in pituita, quàm in bile, quæ ob calorem æstiuum abundat, seu in ventriculo, seu in iecore: Galenus námque docuit qualitatem caloris ad coctionem minimè conferre; imò qui eam habet intensam, naturales operationes tanto habet debiliores. Quid per quantitatem caloris Cardanus intelligat, manifestum est, nempe sanguinis spirituúmque copiam. Sed dicat ille, vbi calor quantitate viget, idest, vbi sanguis, & spiritus redundant nónne fiunt perfectæ coctiones? fatetur. Quis ergo dixerit, perfectas coctiones esse illas, in quibus pituita redundat? Respondet ille perfectiores esse, quæ pituitam, quàm quæ bilem efficiunt: quia in pituita plus caloris innati inest. Esto: sed tamen vtraque peccat; vna, infrà subsistens; altera, vltrà progrediens. Verùm si quantitas caloris abundaret, nullo modo vitiosa coctio esse deberet. Quippe calor, dum naturalis est, mediocritatem qualitatis habet: multus ergo cum mediocri qualitate, perfectissimè operatur. Si quis verò dicat augeri calidum innatum, augmento pituitæ: quandoquidem ex sanguine, & pituita calidum innatum constare dixit Galenus. Sciat errorem esse in cõtextu facili lapsu Φλέγματος pro πνεύματος. Vndè malè Donatus ab Altomari, calidum innatum ait in sanguine, & pituita subsistere, cùm tamen citet loca Galeni in quibus ait calidi innati substantiam esse in spiritu, vnà cùm sanguine.

1. de sanit. tuend. c. 2.

3. de placit. cap. 7.

6. epid sect. 4. com. 25.

1. aph. 15.

Plures, plura dicunt; sed mihi videtur dicendum, ventrium nomine, quos calidissimos esse naturâ dixit Hippocrates, intelligi duntaxat ventriculum, non cerebrum, & thoracem, quæ sunt duæ cauitates, maximè obnoxiæ alterationi, quæ respirando fit. Hæ autem, quando aër frigidus respiratur, frigidiores sint oportet. Igitur in cerebro, & thorace accumulatur pituita, quæ tusses, grauedines, raucedinésque excitat. Nec verò etiam Ventriculi superior pars immunis est ab hac refrigeratione, cuius rei signum esse potest, quod in hyeme minùs sitimus, & magis famescimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

mus. Sitim, & famem, in ore ventriculi fieri, si naturalis est, nemo negabit. Præterea Hippocrates, & Galenus in hyeme pituitam iubent purgare per vomitum. Si verò adducas Hippocratem dicentem æstate, per superiora; hyeme per inferiora. Respondet Galenus, Hippocratem, cùm ait æstate per superiora; hyeme per inferiora; loqui de purgatione totius corporis, cùm verò ait hyeme per vomitum pituitam esse purgandam, intelligere de eâ, quæ ori ventriculi adhæret.

de salub. diæt. tex. 15.

4. aph. 4.

PARTICVLA II.

Duratio morbi ex ætatibus.

INter ætates, senilis est diuturnis morbis magis, quàm reliquæ, obnoxia, vt Hippocratis decreto constat; nec immeritò: nam ætas illa, tota scatet cruditatibus; & tùm ob eas, tùm propter caloris coquentis imbecillitatem; vel nunquam, vel tardè materias concoquunt: ægrotant verò minùs quàm iuuenes; quia maiorem in victu habent continentiam, vt Galenus interpretatur.

6. aph. 6.

Annotatio.

Cùm Hippocrates, libello de Diæta dicat, senes maximè esse morbosos, præ cæteris ætatibus; non sibi contradicit, inquiens; senes iuuenibus minus ægrotant. Morbosi sunt, hoc est, longis affectibus continuò apprehensi; minus tamen ægrotant, hoc est, minùs morbis denuò accedentibus corripiuntur, præsertim acutis; siquidem illis bilis deest.

2. aph. 20.

Corollarium.

Hinc colligito longos morbos, vti sunt catarrhi, podagra, & similes, ita esse proprios senectutis, vt senex his apprehensus, non dicatur ægrotare: quoniam, Hippocrate teste, ij morbi in senili ætate, ***magnâ ex parte comitantur ad mortem.*** Intelligito non de primo senio, sed de vltima senectutis parte.

2. aph. 34.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Duratio morbi colligitur;
- Ex anni tempore:
  - Hyeme,
    - in multitudine pluuiarum.
    - in ſiccitatibus.
  - Vere, breues, & ſalubres.
  - Æſtate, breues,non omnino ſalubres.
  - Autumno,
    - breues & lethales.
    - longi & ſalubres.
- Ex ætate:
  - Senes, longis morbis maxime obnoxij.
    - ægrotant minùs.
    - ægrotant magis.
  - Reliquarũ ætatum breuiores ſunt morbi.

CAPVT V.

Morbi ſalubres, diuturnitate fiunt Lethales.

PARTICVLA PRIMA.

Propter vnum ex tribus, degenerat ſaluber in Lethalem.

IN longo itinere, tria ſolent viatorem in periculum deducere; tria quoque in longo morbo, ſolent ægrotum in vitæ diſcrimen trahere. Primum eſt, viatoris negligentia; cui ſimilem facio tùm ægroti tùm aſſiſtentium incuriam. Alterum; viæ incommoditas, cui reſpondent ea in quibus forinſecus peccatur, inter quæ reponendus eſt Medicus errorem committens, qualis erat Prodicus, qui, vt ait Hippocrates, interficiebat febricitantes, curſibus,luctis & calidis fomentis: hoc Galenus à latronibus, in eo ſolo differre ait, quod illi in vrbibus, hi in montibus inſidiantur. Tertium eſt, ſarcinæ, quam viator portat, magnitudo,

6.epid.ſect.3. tex.31. de prædict.ad Poſth.c.4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tudo, & pondus: similiter est in ægroto, virium ad ægritudinem proportio. Nam, vel quia onus est magnum, vel quia vires paucæ, miser ægrotans in longitudine viæ succumbit. Galenus hæc tria complexus est his verbis. *At longiore temporis serie, multa quoque alia absurda accidere solent, tùm ægri culpâ, & administratoris; tùm etiam vitio aliorum, quæ inopinata forinsecus accidunt; necnon interdum Medici commisso. Quod si nihil ex his accidat; periculum, antequàm concoquatur morbus, exolutionis virium imminet.* 2. prog. 10.

PARTICVLA II.

Culpa ægri, & assistentium.

TRipliciter ægros, peccare contingit; primò, quia morosi sunt, hoc est, (vt dixit Critias referente Galeno) *Qui vilibus de rebus stomachantur, & de magnis plus cæteris mortalibus, diutiúsque.* Hi etiam à Galeno tetrici appellantur: eosdem possumus insuaues dicere, quibus cuncta displicent, cúmque omnia renuant, & in nulla re, aut voluptatem, aut fiduciam habeant, parum à Medicis auxiliis adiuuari possunt: imò prætermittunt multa, quæ si accepissent, salutaria experirentur. 3. epid. sect. 3. com. 82.

Secundum genus est hominum, qui suâpte naturâ, etiam in sanitate, sunt inappetentes. His etiam superueniente nouâ inappetentiâ, (præcipuè cum diuturnitas omnibus actionibus langorem adducat) eam patiuntur auersionem à cibo, vt Medicus cibos qui non conueniunt, offerre cogatur. Multi etiam fiunt ἀσιτοι, vt vocabant veteres, hoc est, appetentia carentes; qui propterea in extremam incidunt perniciem.

Tertium est, eorum, qui delicati appellantur; nec circa ea, quæ assumenda, aut peragenda sunt, sibi vim aliquam inferri permittunt. Tales diuites esse solent, de quibus Galenus conqueritur: ij námque sanguinis copiam, & excrementorum, plusquàm pauperes, & serui, habent; & tamen rustico timore perculsi, & propriæ voluptati indulgent, & à purgantibus medicamentis prorsus abhorrent: qui si interrogarentur (vt Galenus 11. meth. c. 15. & 16.

de præsag. ad Posth. c. 1.

3. comp. med. per gen. c. 2. post medium.

nus ait) Quisnam potior esset, Medicúsne an coquus? non minimùm præferendum Medicum coquo censerent. Huius generis homines, vt Galenus vult, optimum fuerit non curare. Miseranda profectò Medici est calamitas: siquidem vel inuitus aliquando vel aliquando vltro, nescio quomodo, alius ob aliam causam, istorum mollitiem tolerare cogitur. Hoc facit, vt non liceat seriò medicari, sed veluti blandiendo, & à veræ medicinæ Methodo aberrando; vt aliquid facere videatur, leues duntaxat inunctiones, & alia huiusmodi moliri. Meliùs de pauperum re agitur. Nam pauperes obtemperantes & curantur meliùs, & felicius sanantur: non sicut immorigeri potentes, propter quos ars medica sæpè opprobrium subit. Iam verò assistentium errores grauissimi esse solent, vel quia parum Medicorum mandata percipiunt; vel quia, posse se aliquid proprio marte facere præsumunt. Nec toleranda est muliercularum temeritas, quæ sibi adeò sapientiam arrogant, vt Medico tenuem victum imperanti, nullo pacto, velint obtemperare.

PARTICVLA III.

Medici & externarum rerum culpa.

1. epid. sect. 3. tex. 5.

HÆc silere satiùs iudico: non enim hic criticum Aristarchũ agam; sibi quisque consulat, scio Medicum, ad sanitatẽ conferendam, præstare se debere, opportuna facientem; scio ad id concurrere etiam exteriora. In his quandiu peccatur, tandiù ægritudo producitur; producta magis alterat, tandémque corrumpit. Et hinc procedere arbitror, quod Hippocrates scriptũ reliquit, eos scilicet, qui longis detinentur morbis, tandem in hemitritæos incidere. Causa huius rei est: quia per facultatum debilitatem, congeruntur cruda, & per longam febrem aceruatur bilis. Atqui ob diuturnitatem ægritudinis contingit, varia membra variè laborare: ex duplici autem hoc succo, in variis membris redundante fit hemitritæus.

PARTICVLA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

PARTICVLA IV.

Improportio virium ad morbos.

VIres, non sunt facultas: hæc námque, sicut anima, cuius est facultas, nec augetur, nec minuitur. Vnde, si oculus iuuenis, in sene posset collocari; senex vt iuuenis videret. Licet autem facultates languidæ dicantur, ita videntur esse, quia à causis præter naturam impediuntur; si impedimenta auferas, ad priscum redeunt statum. Itaque facultates deficere, vulgaris est loquutio, sicut & animum dicimus ætate consumi: Vnde poëta.

Omnia fert ætas; animum quóque.

Actiones * perfectiores, aut imperfectiores, signa sunt perfectioris, aut imperfectioris agentis, atque eatenùs significant, quatenùs arguunt à potentiori, aut minùs potente causâ fieri. Quapropter neque facultates, neque actiones, sunt vires, quarum robur exigitur in morbis: sed quemadmodum artifex non poterit se excellentem præstare, nisi instrumento vtatur accommodato; sic natura, suam præstantiam quodammodo occultam habebit, & ipsius actiones fient, vel diminutæ, vel deprauatæ, si instrumentum fuerit vitiatum. Instrumentum naturæ est calor, (hoc est sanguis, & spiritus,) qui operibus naturæ conuenienter inseruit, (vt Galenus nos docet) cuius curam habendam censet. Cum aliquando dicat *siue vires siue naturam dixero, idem te nunc intelligere oportet:* dixit naturam pro calido innato.

2. ad Glau. c. 1. & 12. cap. 5.

3. crisi. c. 5.

* Cum innati calidi robur, sit robur facultatum, & earum cognitio pendeat ex actionibus, quoties vires ægroti volumus mensurare, respicimus ad actiones. Sunt autem actiones tres, trium facultatum: tot námque, statuunt Medici, (de quibus sæpe Galenus.) Vna est, quæ animalibus, plantísque communis esse dicitur; hanc naturalem siuè altricem appellant, & hæc residet præcipuè in iecore, necnon in singulis particulis

præcipuè 9. meth. c. 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

particulis: non enim per influxum communicatur, habétque canales, hoc est, venas, per quas aliturus sanguis, non facultas demandatur. Altera, cuius origo est cor, & dicitur vitalis: hæc demandatur per arterias. Tertia animalis, quæ in cerebro domicilium habet, & sensationibus, voluntariisque præsidet motionibus; communicatur per neruos: an verò sola irradiatione; an spiritibus, non constat apud omnes, sicuti multa alia circa harum facultatum diuisionem, essentiam, & officia, quæ in disceptationibus ventilantur. Ab his tribus, quarum vnaquæque alias sub se habet; procedunt actiones, ad quas respicit Medicus, sed præcipuè ad vitalem: siquidem omnium trium instrumentum est calor naturalis; cuius origo est cor, in quo vita consistit. Idcircò cæteris non neglectis, vires ex arteriarum pulsatione contemplemur. Habent tamen omnes tres mutuum inter se consensum, tùm quia vnum, & idem est omnium instrumentum; tùm etiam, quia ita postulat vnitas animæ, tres facultates continentis.

Pars III.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Pars III. Continens
PRÆSAGIA
SALVTIS AVT MORTIS.
CAPVT PRIMVM.
Præſagia quæ ſumuntur à facultate naturali.

PARTICVLA PRIMA.
De præſagiis ex coctione.

QVONIAM vnamquamque facultatum, alias ſub ſe habere diximus; & ea quæ naturalis appellatur, quaſdam complectitur, quæ communiter, miniſtrantes appellari ſolent, Coctricem, Attractricem, Retentricem, & Expultricem: ex ſingulis poſſunt præſagia accipi, & in primis à coctrice, quæ præcipua eſt in ſignificando. Nam, *coctiones*, inquit Hippocrates, *celeritatem iudicij, ſecuritatémque ſalubrem portendunt.* Quod Galenus ſæpiſſimè confirmat, nec aliter exiſtimat Medicum ſcire, quibus ſignis fides ſit habenda: ſi enim *iis quæ ſine ratione leuant, non oportet fidere*; neceſſe eſt, vt aliquod ſignum detur, per quod id quod præter rationem fit, ab eo, quod ſecundum rationem, ſeparetur.

1. epid. ſect. 2. tex. 45.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Exceptio prima.

Quamuis Galenus neminem se vidisse ait, qui cum signis coctionis fuerit mortuus, hoc non tollit quominùs præsente coctione, præsens quoque sit alius affectus interimens: potest autem dupliciter hoc contingere, vel quando phlegmon v.g. latitat interiùs, & Medicus existimat solam adesse febrem, & sic coctionem causæ febris duntaxat præstolatur; nihilominùs concoctâ iam febrili materiâ, à crudo adhuc phlegmone interno, æger moritur. Vel quando è contrario phlegmon exteriùs patet, & Medicus arbitratur febrem esse symptoma, quod sequitur ad phlegmonis exitum, solius phlegmonis coctionem præstolatur, nihil interim sollicitus de febre; & tamen æger, suppurato phlegmone, à febre occiditur. Ita accidit * Crastitonati, & Pictoris ancillæ, quippe suppuratis parotidibus obierunt.

* Non est admittenda huius euentus ratio tradita à Vallesio, hoc est, obiisse facto maiore abscessu quàm ferre possent, & lethaliter putrescentibus quibusdam particulis. Sed vndenam hoc colligit? Videlicet, quia Hippocrates, in fine historiæ, verbum illud repetit: *suppurauit*. Verum illa repetitione vsus est tanquàm admiratus: siquidem casum illum dignum esse qui memoriæ commendetur censet Galenus; ex illo autem verbo coniectare velle magnitudinem, & putredinem abscessus diuinantis est, non Medici.

Exceptio secunda.

Aliquas poterit coctio habere conditiones quibus praua reddatur. Nam quod in Prorrheticis; in parotidibus dicitur, vniuersaliter ad omnes ægritudines extendit Galenus; imò vniuersaliter in Coacis proponitur. Est igitur sententia in Prorrheticis: *vrinæ in parotidibus, quæ citò, atque paulisper coquuntur, prauæ*; sententia verò quæ in Coacis habetur, in hunc modum habet. *Quæ ex improuiso, immeritò, paulisper coquuntur, prauæ. Atque omnino, quicquid immeritò coctum est in acuto, malum.* Ecce, quod in Prorrheticis; *in parotidibus* tanquàm pro exemplo fuit allatum; in Coacis vniuersaliter est prolatum. In Prorrheticis dicitur

1. prorrh. sect. 3. tex. 61

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

citur, *citò*, in Coacis verò, *ex improuiſo*; vtrobique idem, non eodem vocabulo: neque enim *citò* ſignificat tempus incipientis morbi, quandoquidem in omni morbi tempore, poteſt vrina, *citò* ſeu *ex improuiſo* concoqui, hoc eſt, nullo præcedente coctionis rudimento; hæc autem praua cenſetur: gradatus námque eſt, non repentinus naturæ progreſſus. Meritò in Coacis additur particula, *immeritò* (ſeu vt vertunt alij) *præter rationem*, hoc eſt, perſiſtente adhuc humoris feritate, quæ antea apparebat: ſi enim coctione non emitur ſymptomatum ſedatio, coctio inſidioſa eſt. Adiungite etiam vocem, *Pauliſper*, & prauitatem augebitis: nam vrina *pauliſper cocta & mox ad priſtinam prauitatẽ rediens* ſummopere eſt damnanda: quippe fugax coctio vel collapſam virtutem, vel inſurgentem vrgentemque morbifici humoris prauitatem ſignificat. *Pauliſper* igitur ſignificat exiguitatem temporis, vt cum dicitur in Coacis: *deliria paulisper ferocia deſinunt in immanitatem.* Itaque quæcumque apparet coctio & mox ceſſat, mala eſt; propterea oportet Medicum pluries inſpicere, tùm vrinas, tùm alia in quibus coctionis ſigna expetuntur ante quàm ad prorrheſin accedat.

Exceptio tertia.

Vt coctio ſit fida, neceſſariò debet habere promptam euacuationem. Nam in morbis v.g. thoracis potuit concoctrix, quæ naturalis eſt, munus ſuum rectè peregiſſe; ſed quoniam animali, expultrice indiget, vt expellatur, contingit hanc debilem eſſe adeò vt æger à concocto humore ſuffocetur: quando verò Hippocrates concoctionem eſſe ſimul excretionem ait, debet intelligi, in materia in qua non alia eſt facultas concoquens, alia expellens. *6. epid. ſect. 2.*

Appendix.

Aliquando coctio & expulſio, quæ feliciter ſuccedunt, non ſufficiunt ad ſecuritatem. Nam empyematicis, licet omnia proſpera, & ſalutaria eueniant, ſi remanet *grauis ſputorum odor*, vt habetur in Coacis, *recidiua lethalis eſt:* quia ſcilicet quam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

uis coctrix naturalis potuit concoquere & expultrix animalis expellere; nihilominus vomica remanet, quæ puris in se inclusi & putrefacti occasione, reliquas partes in omnimodam corruptionem trahit.

Coctiones in omnibus morbis, qui à materiâ fiunt, sunt attendendæ; non tamen eadem in morbis excrementa sunt inspicienda. Eorum morborum, qui in ventriculo, & intestinis existunt, per alui excrementa; qui in vasis, per vrinas; sic alia, quæ in parte vna, pluribúsve consistunt. Quæ in thorace, & pulmone; per ea quæ tussiuntur: quæ in vesica, vel renibus; per ea quæ simul cum vrinis deferuntur: Iecoris autem sima, & mezenterium, quomodo prædita viribus sint; ex iis quæ per ima descendunt: superior autem ventriculi pars, per ea quæ vomuntur: quæ per palatum, & nares excernuntur; quomodo affectum sit cerebrum, declarant. Enimuerò commune in omnibus est, non priùs dissolui posse, quam aliquod in descendentibus excrementis, coctionis indiium appareat.

4.meteor. 2.

* Concocta excrementa sunt sanorum similia; ea mediocrem habent substantiam, crassescunt enim teste Aristotele omnia, quæ coquuntur, siue coctio sit illa propriissima, quæ versatur in alimentis, siue minùs propria, quæ in materia morbifica operatur. Vrina tamen hoc habet peculiare, vt eius coctio non in solâ substantiæ mediocritate, sed in multis aliis spectetur: describitur autem à Galeno, nempe quæ subrufa est aut subflaua, & in crassitudine mediocris. His conditionibus author libri de vrinis, tres alias adiungit. Prima, vt tali colore permaneat, quali micta est. Secunda, vt sedimentum habeat læue, non diuulsum, sed continuum æquale, album per omne tempus. Tertia, vt mensura eius sit pro conditione potus. Hanc optimæ vrinæ descriptionem vsurpauit Actuarius, addens nullam in eâ, neque bullam debere innatare, neque tuberculum aliquod subsidere: talis optimè coctos significat humores.

1. crisf. c.12. 2.prog. 16. cap.40.

4. de natur. facu. c.41. & l.3. eiusd. c.4. & c.7. lib. de symp. diff. c.4. li.3. de symp. caus. c.3.

* Triplicem statuunt aliqui coctionem. Prima quæ describitur à Galeno, alteratio alimentorum, in propriam, & conuenientem eius, quod nutritur naturam. Altera est, quæ circa humores putrefactos operatur, & dicitur à Galeno victoria naturæ supra morbificas causas, & alibi alteratio faciens cessare putredinem manente substantiâ. Tertia est nimis impropria, nempe præparatio; quæ fit in humoribus ad faciliorem expulsionem. Aliqui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſunt qui tertiam cum ſecunda confundunt: quia ſemper humores, vt melius expellantur, ad mediocritatem reduci debent: horum dux eſt Auicenna. Cæterùm huius controuerſiæ enodationem ad medicas diſceptationes, tanquam ad opportuniorem locum remitto.

1. epid. ſect. 2. com. 49. 2. aeut 44. lib. art. medic. c. 96.

Corollarium.

Cum coctio mediocritatem ſubſtantiæ operetur, colliges non ſolùm in vrina, ſed in omnibus aliis, quæ è corpore excernuntur; eandem, vt cocta dicantur, requiri. Deiectionis ſubſtantia, teſte Hippocrate, optima eſt, ſi mollis, conſtánſque ſit. Nam, vt aduertit Galenus, talis deiectio ſignificat. *coquendi vim validam eſſe, & digeſtionem optimam fieri; ac præterea nullam in ventris partibus inferioribus inflammationem adeſſe.* Nam craſſities valdè magna in excrementis, vehemens illius partis, cuius ſunt excrementa, ſignificat incendium: ſic Hippocrates: *Quibus circa dentes, in febribus, lentores fiunt, iis vehementes fiunt febres*; & Galenus id fieri ait, ob vehementiam caloris exſiccantis. Verumtamen dum ſubſtantiam deiectionum conſideramus, reſpicere oportet ad conſiſtentiam ciborum, qui aſſumuntur: ſi enim in febribus, Hippocrates, qui pro victu humido ſorbitionem intelligit, non niſi ſorbitiones dabat; quis in iis qui ſolis ſorbitionibus vtuntur adeò conſiſtentes deiectiones expectabit, vt inteſtini figuram retineant? Profectò in hoc caſu ſufficit quod excretio ſit compacta, licet non tantùm, quantùm figuræ retinendæ ſit ſatis. Vndè optimè Celſus: *At venter ei, qui à periculo tutus eſt, reddit modò mollia figurata, eodem fere tempore, quo ſecunda valetudine vti conſueuit; modò conuenientia iis, quæ aſſumuntur.* Debent etiam in colore ſubrufæ eſſe, vtpote quæ à bile ad inteſtina tranſmiſsâ, ad irritandam expultricem, modicè tingitur. Fiat præterea ſine ſtridore, aliàs flatuum copiam ſignificabit, qui non niſi in cruditatibus adſunt. Itaque aquoſa deiectio, hoc eſt, quæ non ſolùm tenuis, ſed etiam colore caret, languorem ſignificat partium concoquentium.

2 prog. 13.

1. criſ. 11.

4. aph. 53.

Lib. 2. c. 3.

Sputum, inter cætera; coctum ſit oportet; quod ſi coctum non fuerit, non ſputum ſed ſputamen appellatur. Itaque optimum ſputum eaſdem debet habere conditiones, quas optimum pus, & optima hypoſthaſis; vt ſcilicet ſit album, læue, æquale: ſi

enim

enim alio colore ſit præditum, illius humoris,cui talis color debetur abundantiam ſignificat. Itaque ſubſtantiæ mediocritas in ſputo laudatur, quippe craſſum & viſcoſum, *tenaciter hæret & fiſtulis pulmonis alligatur*; quare expellenti facultati reſiſtit: ſi nimis tenue ſit, *impulſum effugit*, *& vi excreatur*: ſiquidem *ſpiritui circumfluit*, vt copioſè docet Galenus. Valdè permixtum laudat Hippocrates, quod aliqui ad coctionem materias permiſcentem referunt; tamen non ità eſt, imò coctio cùm fiat à calore ſeparante eterogenea,non permixtionis diuerſarum ſubſtantiarum, ſed diſgregationis erit cauſa. Quid autem ſit impermixtum, inferiùs, cùm de excretis erit ſermo, declarabimus, nunc tantùm quæ ad coctionis cognitionem ſpectant, dixiſſe ſit ſatis.

3. acut. cō. 2. & 4. de loc. aff. c. 9.

* Coctionis, ſecuritatem pollicentis, conditiones, in hoc ſchemate habes.

* Coctio ſecuritatē ſignificat.

- Si non fiat citò, ſeu ex improuiſo: *hoc eſt, nullo præcedente coctionis rudimento: gradatus enim eſt non repentinus naturæ progreſſus.*
- Si non fiat immeritò: *hoc eſt, perſiſtente adhuc humoris feritate, quæ anteà apparebat; ſed ſimul cum coctione, ſedatio ſymptomatum adueniat.*
- Si non fiat pauliſper: *hoc eſt, tempore exiguo; ita vt mox vbi apparuerit, rurſus euaneſcat.*
- Si excretionem habeat promptam *in omnibus morbis; ſed præcipuè in morbis thoracis; in quibus poteſt coctio naturalis eſſe valida; expellens animalis, imbecilla.*
- Si non remaneat vomica: *e.g. In empyemate, potuit coctrix & expultrix rectè munus ſuum peregiſſe; & tamen remanens vomica, puris incluſi fœtore & malignitate, reliquas partes in corruptionem tradere.*
- Si non adſit alius affectus: *quippe præſente coctione, poterit alius affectus, crudus adhuc remanens, perimere; vt accidit Cratiſtonacti & Pictoris ancillæ.*
- Si febris non ſit peſtilens: *in quâ non ſolùm cum bono pulſu, ſed cum bonâ etiam vrinâ, æger moritur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

PARTICVLA II.

Præsagia ex defectu nutritionis.

NVtritioni omnes naturales facultates inseruiunt, eiúsque œconomiâ labefactatâ necesse est animal perire; sicut è contrario: *tandiu viuimus, quandiu nutrimur.* Defraudatur nutritio, vel quia fit diminutè; vel quia prorsus non fit; vel quia praue fit: diminuta; gracilitas est aut tabes, si vlterius procedat atrophia dicitur: si verò deprauetur, vlcera erumpunt, quorum natura, naturam praui humoris indicat. Ad triplicem refertur causam nutritionis defectus; nempe ad imbecillitatem facultatis, qualis in languentibus: ad inopiam alimenti: & ad prauitatem eiusdem. *Febricitantium non omnino leuiter in eodem statu permanere corpus, & nihil imminui: vel etiam plusquàm ratio postulat colliquefieri malum: Illud enim morbi longitudinem; hoc verò imbecillitatem significat.* Sic Hippocrates. Priorem huius aphorismi partem, inter signa diuturnitatis morborum reposuimus. Posterior continet signum ex colliquatione seu contabescentia, quo vocabulo, teste Galeno, Hippocrates pro extenuatione abutitur. Extenuari igitur in febribus quibuscunque (nam illud *non leuiter* ad priorem duntaxat partem refertur) significat debilitatem; quia scilicet debilis facultas, neque coctioni neque reliquis naturalibus actionibus subinde, nec nutrioni pro dignitate sufficit. Rectè ergo Galenus ait, *imbecillitatem esse causam extenuationis; extenuationem verò esse signum imbecillitatis.*

2. aph. 28.

Extra morbum, contingit defectus nutritionis; quod Hippocrates nos docuit in statu conualescentium, & ad omnem neutralitatis statum deduci potest. *Si quis à morbo cibum assumens non corroboretur, copiosiore alimento corpus vti significatur. Quòd si non aßumenti cibum hoc accedat, scire oportet, quòd indiget euacuatione.* Si igitur cibum assumit, à quo nihil vtilitatis sentit; consideret oportet cibi quantitatem: vel enim est multa simpliciter, & hoc fit propter patientis auiditatem: vel est multa comparatiuè; hæc autem licet non sit maior quàm esse debet (quòd ex consuetudine anteactâ cognosci potest) & tamen

2. aph. 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

hæc quantitas moderata non iuuat, existimandum est non esse moderatam respectu caloris, qui debilis existit; sed excedere. Debet itaque patiens detrahere de cibo nec tantum accipere, quantum appetit: appetens námque coquente est fortior; atque ita debilitati caloris, proportionabitur alimentum. Si verò diminuto cibo adhuc non reficiatur, scire expedit caloris debilitatem prouenire ex grauamine; ac proindè euacuatione esse opus.

Extra conualescentiam quoque datur defectus nutritionis * proueniens ex siccitate; cuius signum est, quòd huiusmodi homines graciles redditi, multis scatent excrementis; vnde patet maiorem nutrimenti partem, non potuisse ab alteratrice debili superari. Hoc aliquando in acutis accidit, sæpissimè in chronicis.

* Videbatur potiùs dicendum, siccitatem prouenire ex defectu nutritionis, quàm nutritionis defectum, ex siccitate. Vtrumque tamen est verum: nam inprimis causa exsiccans, vt febris hectica, aut similis aliqua dispositio, nutritiuam facultatem destruit; quippe hæc facultas in humiditate consistit, dicente Galeno, *humiditatem* ad nutritionem maximè esse accommodatam, ad alias verò functiones minimè idoneam. Prætereà cùm calor noster insitus, consistat in calido, & humido, & nutritio, teste eodem, à calore fiat naturali, si calor iste deficiat, corpus exsiccabitur, & ab hac siccitate, nutritiua facultas debilis manet. Ex alterâ parte, debiliter operante nutritiuâ facultate, corpus exsiccatur. Proindè ista duo se inuicem fouent, ita vt siccitas nutritionem minuat, nutritio diminuta, siccitatem augeat.

3. caus. simp. cap. 3.

2. facul. nat. cap. 4.

Exsiccatio verò licet in toto corpore accidat; tamen in facie magis apparet, non solùm quia patentior est; nam Medicus reliquas corporis partes, non minùs quàm faciem debet considerare; sed ob alias causas. Prima, quoniam facies, ex pluribus diuersæ figuræ partibus organicis constat; hæ cùm à naturali recedunt statu magis conspicuam representant deformitatem. Alia, quoniam faciei cutis est tenuis, propterea vt sanitatis tempore faciliùs in ea color efflorescit; sic in ægritudine faciliùs pallet: vnde senes, qui diminutè nutriuntur, magis rugosam habent faciem, quàm reliqua membra; quia scilicet faciei cutis tenuior faciliùs rugatur. Tertia, quia multæ faciei partes, cartilaginosæ sunt, parum carnis habentes, vt nares & aures; parua autem caro facilè consumitur: oculi multam habent humiditatem, facilè resolubilem, plurimos etiam spiritus, qui quâlibet de causâ resoluuntur; propterea in sanitate, vna nox insomnis, cauitates oculorum auget. Quarta, quoniam facies, cerebri actiones nobis demonstrat, quia plurium sensuum instrumenta in se habet, &

cerebro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

cerebro propinqua est; ibi ergo maior apparet mutatio sensuum, qui rationis sunt ministri & famuli; at famuli dominorum prosperis euentibus gaudent, aduersis contristantur; cúmque defectus nutritionis, insuauitatem debilitatémque secum afferat; hanc tristitiam, molestiamvè, quam ratio agnoscit sensus representat; & in organis vniuscuiusque sensus apparet.

Appendix.

Nimia gracilitas non solùm sequitur nutritionis defectum; sed multoties etiam propter causas corpus absumentes accidit. Si igitur initio morbi, talis fuerit facies, qualem Hippocrates, describit, Nempe: *Nasus acutus, caui oculi, tempora astricta, aures frigidæ, contractæque, & fibræ earum versæ; & item cutis circa frontem dura, intensa, arida, & color totius vultus viridis aut niger*; si, inquam, talis fuerit facies, considerare oportet, an ob inediam, vigilias, & continuos accidat dolores: quippe si ab his fiat causis, licèt sit malum, nihilominùs minus malum significat. Si verò citra has causas eueniat, valdè perniciosum signum est: indicat enim calorem vehementer consumentem; neque verò hæc tabes ex nutritionis defectu fit: nam quantumuis facultas nutriens sit valida, nunquam eò perfectionis deueniet, vt tantum, & tàm celeriter nutriat, quantum oportet nutrire, vt opponatur multæ velocíque consumptioni. In febribus colliquantibus, & syncopalibus, de quibus Galenus agit, deterius quidem signum est hæc facies, quam si eueniret ab aliqua ex causis manifestis; melius tamen, quam si in ipso statim principio eueniat; quare rectè Hippocrates apposuit illa verba. *Si igitur initio morbi talis fuerit facies.*

12. meth.

PARTICVLA III.

Præsagia ex retentrice.

NVllibi rei, maiori studio, natura incumbit, quàm retentioni, tàm vtilis, quàm inutilis substantiæ; vtilis, vt ex eâ, sibi alimentum paret; inutilis, vt illam, quoad fieri possit, in me-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

liorem frugem reducat. Quapropter cum retentricem facultatẽ, vel ex parte læsam, vel omnino labefactatam cernimus; præsagia indè accipere oportet, magis indicantia præsentem mortem, quàm præsagientia futuram. Inter signa, quæ à retentrice debilitatâ sumuntur, primò loco statuo lacrimas * spontaneas, quas Hippocrates, inter lethalia signa refert. Ideo autem significant mortem, (vt Galenus animaduertit) quoniam retentrix facultas debilis est: hæc enim dum valet, retinet, donec ab expultrice vincatur; vincitur autem expultrix, non propter debilitatem, sed propter proportionem, quam ambæ istæ inter se seruant; adeò vt, cùm debita excrementorum quantitas est aceruata, expultrici retentrix cedat. Cùm námque retentrix benè se habet, membra mediocrem possident astrictionem; in quâ robur consistit; quæ astrictio si deperdatur, deperditur retentio. Hæc autem modica astrictio retinere potest, vsque ad certũ terminum, post quem expultrix insurgens superat, & munus suum obit. Hoc ita cõtingit in recto sanitatis statu. At verò in præternaturali, potest retentrix debilitata, rem quam retinebat, effluere sinere absque vlla expultricis actione. Sic porrò fit in lacrymis spontaneis: neque enim in homine lethaliter se habente, adest expultrix valida; sed omnes facultates naturales sunt labefactatæ. Igitur retentrix est, quæ præ debilitate, sinit lacrimas, vt effluant.

4. aph. 52. 4. epid. text. 26. 6. epid. sect. 1. & 21. prag. 10. 3. prag. 33. & in coac. præd. in princip. & sæpè alibi.

* Spontaneas euacuationes appellare solet Hippocrates eas, quæ nil nobis cogentibus, sed sponte sua proueniunt. Sic vomitus spontanei & spontaneæ deiectiones, sic etiam lassitudines, spontaneæ, quæ nullo præcedente labore accidunt, ab eo fuerunt appellatæ. Itaque dicimus spontaneas lacrimas cum respicimus ad earum exitum, qui spontaneus est, hoc est sponte sua proueniunt absque vllo voluntatis nostræ imperio: easdem rursus appellamus inuoluntarias, cum ad voluntatem nostram nihil agentem attendimus. Cornelius Celsus, vt manifestius loqueretur inter signa pessima esse ait *sine voluntate lacrymare*. Igitur siue spontaneas, siue inuoluntarias dicamus lacrymas, in re medica, idem est.

lib. 2. c. 29.

Cæterum Argenterius, & Cardanus in Galenum contumeliosi, hoc non admittunt: nam cum omnes, qui morbo sunt propinqui, debiles habeant facultates naturales, ac subindè retentricem, omnes deberent lacrymas spontaneas effundere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

dere,quod tamen non ita fieri contingit. Quapropter, inquiunt, fieri lacrymas spontaneas ob cerebri colliquationem. Intolerabilis profectò est istorum hominum peruicacia. Nam si non omnibus moribundis adsunt lacrymæ spontaneæ, adsunt saltem quamplurimis: ij verò, quibus non adsunt, nimia siccitate laborant, propterea non habent, vnde lacrymas dent. Sed quomodo colliquatio erit causa istarum lacrymarum? Profectò colliquatio, multo ante mortem fit, lacrymæ apparent prope mortem. Colliquatio fit in febribus colliquantibus, quæ non sunt admodum frequenter; lacrymæ verò spontaneæ omnibus fere accidunt: colliquatio cùm fit, in vrina, & excrementis apparet; lacrymæ nullo colliquationis signo apparente funduntur. Tandem cerebrum non colliquatur, & in hoc differt à medullâ: medulla enim liquiescit à causâ deurente; cerebrum verò torrefit. Est igitur cum Galeno dicendum, huiusmodi lacrymas, horrendum signum esse; quòd in Prognosticis perniciosum dicitur, in Aphorismis verò absurdius. Galeno magis placeret dici absurdum, & existimat librarij fuisse errorem: nihilominus comparatiuum pro positiuo poni, non est inusitatum: Et fortasse Hippocrates dixit absurdius, quasi vellet significare exitiosum esse.

Appendix Prima.

Lacrymæ spontaneæ, si à causâ procatarticâ eueniant; vt à fumo, ex puluere, nihil habent, quod significent: eæ verò, quæ à causâ proueniunt internâ, vt ab humore acri, qualis est, qui ophtalmias solet efficere, significabunt quidem, si magis coctæ, aut magis crudæ sunt atque ita inter signa coctionis reponentur. Nam in ophtalmiis, lacrymarum coctio quemadmodum sputi in laterali morbo spectatur: lacrymæ verò in morbis acutis præcipuè in febribus ardentibus, diuersa significant, pro diuerso morbi statu: si enim non lethaliter homo se habeat, fluxurum ** sanguinem è naribus indicant vt author est Hippocrates. *1. epid. sect. 2. text. 80.*

** Quemadmodum, si exteriùs naribus rem acrem applicemus, lacrymæ per compressionem effunduntur; ita etiam interiùs, bilis narium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

venulis occurrens pungit, & easdem venas aperit; atque vt pungendo lacrymas prouocat; ita aperiendo, sanguinem exire permittit. Propterea in æstiuis ardoribus, quando bilis dominatur, hæmorrhagiæ frequentes accidunt, quæ si præcedentibus signis coctionis, & in die decretorio fiant, non minus quàm cæteræ euacuationes, bonæ quidem, erunt, sin secùs non bonæ, Oportet præterea, vt copiosa sit hæmorrhagia; siquidem stilla sanguinis, è naribus, prauum signum esse ait Galenus.

3. epid. sect. 3. com. 35. 1. pror. 1. & alibi pluries

Appendix Secunda.

4. aph. 52. & 4. epid. text. 26.

6. epid. sect. 1. text. 21.

Lacrymæ verò à voluntate nostrâ prodeuntes, nihil absurdi continere Hippocrates dixit, & aliquando vlterius progressus, bonum signum esse pronunciauit: cum igitur interdum bonum signum, interdum duntaxat non prauum dixerit; oportet videre; quomodo vtrobiq; magni Senis sententia sit vera. Consideremus ergò ægrotantem, leui morbo affectum; vel, si mauis, grauis sit morbus, non tamen adhuc principium transcendat, neque suam ostendat grauitatem; tunc si æger oblatâ occasione lacrymetur, quid mali erit? nihil profectò: nec in homine leuiter adhuc laborante spectare oportet, an occasione oblatâ, lacrymas fundat, atque ita in hoc casu verum est, quod Hippocrates ait, *Ex occasione lacrymare, nihil absurdum.* Si verò morbus lethalis sit, & hominem grauiter premat, tunc scire licet, bonum esse, si propter animi affectum, & plangendi occasionem lacrymetur. Est, inquam, bonum signum: quia significat abesse tres illas prauas causas, quæ lacrymas impedire solent, nempe siccitatem cerebri; neruorum lacrymalium conuulsionem, relaxationémve; & mentis alienationem. Igitur æger in periculo constitutus, si ex occasione lacrymetur; nec siccum valde habet cerebrum, nec affectum neruorum lacrymalium patitur, & mentis est compos. At in periculo, periculosis carere symptomatibus quæ alioquin solent accidere, bonum est: & ita vera est sententia: *Lacrymæ ex voluntate prodeuntes, bonum.*

Est & alterum lethale signum, sumptum à debilitate retentricis, quod iam instare significat mortem, adeò vt videatur signum inartificiosum. Est autem, quod dicitur oregmon, nempe ebullitio, quæ fit in gutture cum sonitu, & crescente materia stertor appellatur. Accidit autem, quia humiditas, quæ erat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

erat in cerebro, non amplius retinetur, & per infundibulum cadit in oſtium aſperæ arteriæ, ibi verò manet: neque enim facultas adeò potens eſt, vt eam expellat; quippe valida requiritur animalis vis ad excretionem; deindè etiam, animales facultates, priuſquàm reliquæ, labi ſolent. Igitur cadens materia, neque excreata, ſpiritu ingrediente pulſatur, & ebullitionem, ebullitioniſque ſonitum reddit. Contingit hoc in omnibus moribundis; licèt à morbo intereant, qui nihil cum aſpera arteriâ, aut cum cerebro, vel pulmonibus, commune habeat. Non eſt tamen negandum, longè magis accidere in morbis thoracis, & fluxionibus à capite: Nam ſi in huiuſmodi morbis, quamuis æger ad ſtatum exitioſum non perueniat, ſtertor ſentitur, vt in aſthmaticis; quantò magis cùm, iam viribus fractis, excreatio. Porrò cùm in omni tempore, *excreatio quæ non educitur*, ſit mala, longè deterior eſt in lethaliter ſe habentibus.

Appendix.

Fit multoties ſimul cùm oregmone *cerchnon* ſiuè *cerchon*, hoc eſt, iuxta Galenum, *Exiguus, vel leuis ad tuſsiendum impetus*, qui aliquando tuſſim præcedit, aliquando autem fit, nullâ ſubſequente tuſſi; & (vt Galenus animaduertit,) fit aut ex paruâ faucium aſpredine, aut ex tenui aliquo, exiguóque prorsùs humore. Alibi tamen magis exactè rem conſiderans differentiam conſtituit inter *cerchnon* ſeu potius inter *cerchnodem* & *cerchodem*; ita vt cerchnodes deducatur à vocabulo κέγχρος quod Ionicè ſignificat milium, & ita appellabimus quoties in faucibus aſpredines milio ſimiles conſpiciemus. Cerchodes verò à vocabulo κέρχω hoc eſt, ſtreperum ſonum edo, & fit vel anguſtiâ loci, quo ſpiritus redditur; vel humoris multitudine, plerumque etiam vtroque. Hoc autem cum accidit, paucis horis ægrotum in vitâ permanſurum ſignificat.

2. ſymp. cauſ. cap. 4. & 5.

3 de articulis. com. 6.

Tertium præſagium ex retentrice labefactata eſt *Potus* in Ventrem cadens cum ſonitu, nihil in viâ conſiſtens; ſed veluti incidens in corpus demortuum, omníque naturali facultate priuatum, aut in puteum, ſuo pondere delabens. Hoc obſeruaui multoties in praxi, obſeruauit primus omnium Hippocrates,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

3.epid. sect.3. 7.epid.

crates, qui in historiâ vxoris Dealcis ait: *Potus prodibant, non consistebant*, & in historia Charitidis, inquit: *Morte iam propinquâ, cùm biberet, sonitus in thoracem, & ventrem descendentis potus.*

Quartum signum propinquæ mortis, sumptum ab eadem facultate deperditâ, est si æger in lecto mingat, aut fæces deponat.

Exceptio.

Si delirij signa accidant, tunc mictus in lecto, non à retentricis debilitate; sed ab alienatione mentis procedit: si ergo procedat à delirio tam graue est malum quàm graue delirium; si verò delirium non adsit, vltimum est malorum; significat enim retentricem lapsam, & subindè reliquas facultates; siquidem retentrix est, quæ vltimo deficit, vtpote quæ maiori naturæ sollicitudine seruatur.

PARTICVLA IV.

Præsagia sumpta ex vitio expultricis.

EXpultrix vel debilis, vel plus nimio irritata, morbum portendit, quemadmodum medio modo se habens, sanitatem. Medio modo se habet, cùm eâ horâ, quâ, in secundâ valetudine operari assueuit, operatur. Hæc optima conditio excrementorum dicitur ab Hippocrate. Galenus hanc conditionem, non ad solam expultricem, sed ad facultates refert; inquit enim: *Si verò excretionis seruetur tempus, quod fuerat in sano corpore; ex eo liquet, neque coctionis tarditatem adesse, neque vllum potentiæ, vel retinentis, vel expellentis errorem: nam si tardiùs quàm oporteat excernatur, coctionis, aut motus, quo per intestina defertur, tarditas ostenditur: si autem citiùs, potentiæ retinentis debilitas; neque enim id euenit propter robur alteratricis, cum fieri non possit, vt, qui ægrotat, acutè præsertim, ventrem habeat robustiorem, quàm sanitatis tempore, cùm bene cum eo agatur, si non multo sit debilior. Si verò cum aliquo morsu, celeriter exeat, id*

2.prog.13. 1.cris.11.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ex irritatione quapiam contingit, neque robur, aut imbecillitas aliqua exindè significatur. Sed si sine morsu, aut aliquo alio symptomate, in tempore opportuno excernatur, tres ventriculi vires vigere demonstrat; Alteratricem, Retentricem, & Expultricem. Hæc tamen quamuis à Galeno rectè sint dicta, nihilominùs non est negandum, ex solius expultricis vitio, posse excretionem anteponere, aut postponere. Vitiatur autem vel ex aliquo intemperamento, vel ex humorum confluentium naturâ; qui, si irritantes sint, accelerant expultricem, sin frigidi, lentíque adhærent * sensúmque intestinorum hebetant. Quod autem hæc permutatio sit solius expultricis vitio; ex eo patet: quia, si tardam ventriculi coctionem, sequatur expulsio tarda, id, ex notis tardæ coctionis deprehenditur; si retentio debilis etiam sit, fiet, non expulsio frequens, sed continua; cedente continuo retentrice expultrici. Cùm igitur expultrix est debilis, exigua fit expulsio, cùm plus nimio irritata, frequentior solito. Postularet hic locus, vt An fæcum & Vrinæ eiectio sit voluntaria, disputarem, quod tamen, vt pleraque alia scitu digna, ad Medicas disceptationes, prope diem excudendas, remitto.

* Non est abs re inquirere, an semper expulsio fiat præcedente sensatione? Videtur quidem sensatio semper ad expulsionem necessaria: quia teste Galeno; *In omnibus ferè corporis particulis, vis est, quâ excrementa excernantur: hæc quamuis semper ipsis adsit, non tamen vtuntur eâ, nisi cùm vrgentur ab excrementis.* Sic ille; quòd cùm ita sit, necesse est, sensum adesse, qui vrgentiam; molestiámque percipiat. Deindè ex eodem Galeno, pueri omnes facultates naturales robustissimas habent, & tamen auctore eodem, expultricem habent debilem. Si igitur foret duntaxat naturalis, vndique robustissima esset: debilis autem, est, quia animalem aliquam vim, nempe sentiendi, habet adiunctam.

1. loc. aff. c. 1.

2. san. tuend. cap. 6.

3. caus. symp. cap. 3.

Pro contraria etiam parte, non desunt rationes. Facultas expultrix (vt reliquæ omnes naturales) communis est animalibus, & plantis; cùm igitur plantæ absque sensu, expellendi munere sint præditæ, erunt & animalia. Deindè ossa carent sensu: & nutriuntur, nutritio fit separatione vtilis ab inutili; hanc, expulsio necessariò consequitur. Tandem, cùm omnibus corporis particulis adsit expultrix, si in omnibus, præeunte fieret sensu, animal in continuâ viueret molestiâ, quod est præter institutum Naturæ, suauiter omnia disponentis.

Dicendum, omnibus particulis nostris corporis datam fuisse expultricem facultatem, quod testatur passim Galenus. Et quamuis aliquando, *ferè* omnibus dicat, forsitam exactiùs loqui voluit (vt benignè interpre-

3. nat. facult. de cur. rat. per sang. miss.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tatur Thomas à Vega) vt exciperet pilos, vngues, & similia. Hæc autem expulsio, quæ fit in singulis particulis, nullo sensu indiget; sed fit innatâ quâdam vniuscuiusque membri doctrinâ. Cæterùm expulsio, quæ fit in magnis cauitatibus, vt intestinis, vtraque vesicâ, & vtero, vt meliùs peragatur, adiumento indiget animalis facultatis, atque idcircò data sunt à Naturâ, ea, quæ ad irritationem percipiendam conueniunt, nempe musculi, nerui, & irritantis bilis affluxus; & quamuis Galenus vesicam fellis, neruorum planè expertem esse dixerit, locus ille (vt aduertit Bartholomæus Eustachius) correctione indiget, alioquin sibimet Galenus contrariaretur. Vesica autem fellis neruum habet, licet exiguum, & vix conspicuum. Itaque rectè à Galeno est dictum. *Atque accidit interdum propter obtusum ipsius (nempè vesicæ) sensum, vt non reddatur vrina, citra expultricis facultatis, læsionem, si proprij vesicæ nerui afficiantur*; quasi dicat, posse in vesicâ expultricem esse illæsam, (alioquin infelix fieret nutritio) Sed deesse sensum, ac proindè non sufficere propriam expultricem, ad vrinæ excretionem.

3. nat. facul. cap 4.

6. loc. aff. c. 4.

PARTICVLA V.

Ex Vrinæ colore, præsagia.

POst expultricem, sequitur vt præsagia etiam ab iis, quæ excernuntur, accipiamus; quorum partem aliquam, iam superiùs dixi, dum à coctione acciperem præsagia. Partem nùnc reliquam dicere aggredior, incipiens ab excrementorum communissimo, ac valdè præcipuo, hoc est, ab vrinâ. Interim lectorem admoneo, non esse mihi animum, omnia percurrere Prognostica, quæ ab excretis accipiuntur: nam valdè immensum pelagus ingrederer, quod tamen magni naucleri, hoc est, Hippocratis naui tutò peragratur; ad illius scripta recurrito, neque hîc aliud offero quàm quod pro exemplo sufficiat.

In vrinis igitur; primò colorem contemplemur; qui quantum à subrufo, vel subflauo, tantùm à naturali statu distat. Aduerte tamen, comparationem non solùm fieri vniuersim ab ægritudine ad sanitatem, sed peculiariter etiam, ad cuiuscunque statum, in sanitate; adeò vt, qui sanitatis tempore, solent per vrinas expurgari, & vrinas prauas emittunt, si easdem etiam, in morbo faciant, non est cur indè prauum signum accipiatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

piatur, quod Hippocrates non solùm in vrinis, sed in multis aliis signis obseruauit: e. g. hiantem dormire, dentibus stridere, & similia: semper enim adiungit: *nisi anteà fuerit assuetus*; quasi similitudinem adhibens eiusdem ad se ipsum. Huic subscribit Galenus inquiens: *omnia, quæ sunt sanis similia, in toto corpore, meliora sunt, & semper bonum aliquid portendunt. Quicquid autem præter naturam est, tantùm habet prauitatis, quantùm ab eo, quod secundum naturam est, recessit.*

7. aph. 78.

Initio tibi proponam vrinas decolores, quæ à Galeno οὖρα τὰ ὑδατώδεα, id est, aquosæ vrinæ, & ab Hippocratæ διαφανέα, λευκά, perspicuæ, albæ, dicuntur. Hæ, vt non vnam habent causam, ita non vnum tantùm significant. Cæterùm à qua fiant causâ, ex concomitantibus signis addiscere licebit. Fit vrina aquosa, in diabete, & dicitur prorupta, aut rapta: quoniam ei occasio coctionis præripitur. Hoc cognosces ex siti inexhaustâ: quippe hic effectus, vt Galenus ait, fit *sitientibus infirmis, atque idcircò exuberanter bibentibus, celeriterque per vrinã, id quod biberunt reddentibus, tale quale biberunt.* Fit quoque in translatione biliosi humoris ad caput; quod cognosces, si ægrum delirantem, aut saltem mente turbatum inuenias. Est autem hæc, & vt signum & vt causa, mala: vt signum, quia magnum denotat tum hepatis ardorem, biliosos fumos generantis, tum etiam cerebri incendium, eos ad se trahentis: vt causa, quoniam nihil peius euenire potest, quàm cerebrum à bilioso humore putrefacto inflammatum, eundem denuò biliosum humorem suscipere; atque non tàm Medicus suis remediis proficiet, * quàm nouabilis suggestio malum augens nocebit. Quapropter meritò Galenus affirmat, nullum se vidisse phreniticum, in quo talis vrina apparuisset, saluatum. Sic ab Hippocrate, lege sancitum est, huiusmodi vrinas, *si in phreniticis appareant malas*: & auctor libri de vrinis: si in causonide & vrente febre, appareat vrina tenuis, & alba, significat phrenitidem & cætera quæ ex illo loco transcribenda sunt. Si verò aquosa hæc vrina propter deriuationem bilis ad intestina, fiat, se se manifestabit: nam, vel diarrhęa, vel dysẽteria appareat, oportet: diarrhæa, ab immodicâ irritatione; dysenteria, à mordacitate vlcerante. In his igitur duobus affectibus, aquosa vrina, valdè multum biliosi succi, ad membra naturalia confugisse indicat.

4. aph. 72.

5. loc. aff. c. 3. 1. crif. cap. 12. & alib. non semel.

4. aph. 72.

4.aph.7.
2.prog.32.
4.aph.69.
77.
4.sanit. tuend.c.4.
1.epid.sect.3. in histor. phil. vxoris.

Vbi nulla adest translati humoris, vel ad caput, vel ad intestina, suspicio; intelligito cum Galeno, hanc vrinam, extremam significare cruditatem, & vt idem alibi ait, omnes corporis partes pati. *Nam vbi planè crudus sanguis est; tenuis aquosáque vrina mingitur, nihil quod subsideat, neque quod pendeat in se habens*, in acutis est perniciosa, quoniam eodem auctore, hæc, vt coquatur, tempore indiget; acutus autem moras non patitur. Vnde cuidam hepatico, vt ipse in Prorrheticis narrat, remissio tertio die contigit, vt planè liberatus videretur, cum vrinis tenuibus aquosis, ex quibus infirmitatem hepatis manere affirmauit, cæteris repugnantibus, & hominem liberatum falsò credentibus: septimo autem rediit morbus. Cum igitur hæc vrina, neque concoqui incipiat, qualis turbulenta, neque sit in spe vt concoqui debeat, sicuti quæ paulo post turbatur, cúmque in eâ, nulla alterius humoris mixtio, nulla caloris actio, nulla naturæ conspiciatur elaboratio, sed omnimodam significet facultatis naturalis prostrationem, meritò in Coacis dicitur, pueris esse perniciosa magis, quàm quæ nigra est, cæteris ætatibus. Valent quippe pueri coctrice facultate, quò autem validius est, id quod prosternitur, eò maior prosternentis vis arguitur. Vltimò significatur hâc aquosâ vrinâ, obstructio viscerum: quippe viscera obstructa, non rectè concoquunt, tùm quoniam impeditur naturalis caloris transpiratio, & calor ferè suffocatur, tùm transcolatione, per vias obstructas, humor tingens deponitur. Rectè itaque Auicenna hanc vrinam significare, ait, *maturitatis priuationem*, *aut obstructiones*: idcirco etiam, *in vetustis vsque ad exactum morbum perseuerans, difficilis, nec secundi iudicij* dicitur in Coacis.

2.1.doct.3. cap.3.

2.prog.34.
3.decr.c.11.
6.epid.sect.
4.text.2. &
4.aph.74.

Tandem cùm aquosa *diutiùs mingatur*, authore Hippocrate, *si cætera vt in conualituris indicia fuerint; in iis abscessum ad sedes infra præcordia expectare oportet*, cui subscribit Galenus. Secus autem vrina alba crassa: nam hæc non significat futurum abscessum sed potius vt ipse Hippocrates voluit, vindicat à futuro abscessu; inquit enim: *Quibus speratur abscessus**, *ad articulos futurus, ab abscessu liberat vrina multa crassa, alba facta, qualis in laboriosis febribus quarto die quibusdam fieri incipit.*

* Nihilominus mente aberrantes cum aquosis vrinis, si sanguinem è naribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

naribus largiter fundant, à morbo liberantur, vt in Coacis est scriptum. Est autem iuuenibus hęc hæmorrhagia familiaris; quemadmodum dysenteria senibus. Vnde Hippocrates: *Obortæ sunt plurimis hæmorrhagiæ, præsertim adolescentibus, atque iuuenibus. Ac inter cæteros plurimi moriebantur, quibus non fluebat sanguis è naribus. Nam senioribus inclinatio erat bilis ad icterum vel ad dysenteriam, vt Bioni, qui apud Silenum iacebat.*

1. epid. sect. 2. text. 66.

Corollarium.

Cùm vrina cruda significet futurum abscessum, rectè colligitur, solutionem morbi per abscessum, esse admodùm imperfectam: vbi enim signa coctionis non præcesserunt, non est fida nec firma sanatio, quippe citra coctionem, nec abscessum, nec aliam quampiam iudicationem rectè fieri posse testatur Galenus. Quòd tamen non vniuersaliter intelligas.

3. edid. sect. 1. com. 5.

Exceptio prima.

Hoc non vniuersaliter intelligas: possunt námque abscessus fieri, *coctione anteactâ*, & hos, *bonos* esse Hippocrates pronuntiauit; quando autem dixit vrinas crudas, futuros abscessus significare, non negauit post cruditatem vrinarum, quæ diu perseuerauit & abscessum futurum iudicauit, posse easdem concoqui, ante abscessus eruptionem.

2. epid. sect. 1.

Cæterùm neque adhuc ad abscessum, quem coctio præit, coctio perfecta præit, quòd Galenus voluit, dùm sic ait, *Aquosæ quidem vrinæ, absque albis pendentibus, incoctum morbum significant: quæ verò substantiam secundùm naturam habent, atque præter id pendens album continent, coctum morbum esse indicant, absque abscessu. Oportet igitur eas neque prorsus incoctas, neque absolutè concoctas esse, vbi natura abscessum factura sit.* Itaque Pytionis exemplo constat vrinas primò tenues, posteà verò subtenues, hoc est, iam minùs crudas abscessum futurum significare. Tandem cum Hippocrates dicat, *cruda inconcocta, in malos abscessus conuersa*, iam innuit alios esse abscessus non malos, qui fiunt à materiâ non crudâ neque inconcoctâ.

3 prorr. 71.

3. epid. sect. 1. tex. 4.
1 ep d sect. 2. tex. 45.

Exceptio secunda.

Potest prætereà, morbus particularis alicuius membri, per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

abſceſſum optimè liberari; licet coctio nulla præeextiterit. Vnde Hippocrates. *Abſceſſus, ſi in cruribus erumpant, in Pulmoniâ vehementi ac periculosâ, omnes vtiles ſunt. Optimi verò, ſi vbi ſcreatio, iam in mutatione eſt; fiant.* Dixit, *omnes vtiles*, innuens, tam qui coctâ, quàm qui crudâ materiâ fiunt. Addit, *optimos eſſe, qui, vbi ſcreatio iam in mutatione eſt, fiunt*, vt præferat eos, qui cum coctione fiunt, iis qui cum cruditate. Itaque etiam crudam materiam à parte nobili, ab ignobilem tranſmitti prodeſt; * tranſmittitur autem à nobili, hoc eſt, à thorace, ad ignobilem, nempe ad articulos. Eſt tamen diſcrimen inter abſceſſum, qui à materiâ coctâ, & alterum, qui à crudâ: Nam à crudâ materiâ, licet æger à Peripneumoniâ liberatur, articulus, in quem fluxio incubuit, ab indomito humore offenditur, & dolorem, luxationémve, aut aliud quidpiam patitur: ab humore verò concocto, abſceſſus aut leuem, breuíque duraturum, aut nullum, articulo, dolorem inferet.

2. Progn. 67.

* Fiunt abſceſſus in articulis, maximè inferioribus; quoniam articulorum amplitudo fluxioni imbibendæ eſt capax; motu præterea aſſiduo calefiunt; ad partem autem commotam, & calefactam facilè humores decurrunt. Adde articulos loca eſſe ignobilia, & languida, à fonte caloris procul poſita, quod Auicenna non ſiluit cum dicat: *Et non quidem multiplicantur dolores in iuncturis, niſi quoniam ipſæ magis vacuæ, quàm reliqua membra, & plurimi motus, & debilioris, ac frigidioris complexionis; & ſitus earum in extremitatibus eſt longinquus à rectore primo.*

22.3.tr.2. cap.5.

Ex albâ, ad nigram me confero, quam pernicioſam eſſe ex Hippocratis decreto, conſtat. Huius rei Galenus rationem reddit: quia ſcilicet, *vel extremam aduſtionem, vel ſummam frigiditatem & caloris extinctionem ſignificat.* ſubſcribit Aëtius & dignoſcere hanc ab illa docet, his ſignis: *ſi prius micta fuerit liuida, & deinde ſic nigra fiat, frigiditatem cauſam habet: ſi verò viridis, aut flaua præceſſerit, & poſteà nigra reddatur, ab ampliore calore ſuperaſſante nigra facta eſt.* Aetius authorem libri de vrinis comitem habet. Cæterùm priorem cauſam nempe ſummum incendium recipio; poſteriorem, hoc eſt, ſummam frigiditatem non admitto: quamuis enim verum ſit, quod Galenus ait, exteriùs noſtri corporis partes, nigro affici colore, ex vehementi frigore, tanquàm emortuæ ſint; hoc in aliqua parte

2. prog. 32. 3. criſ. 12. text. 2. ſerm 2. cap. 44. cap. 23.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

te corporis iam emortua & vltimo sphacelo corruptâ accidet, non autem in vrinis, quæ affectionum totius corporis vniuersalium sunt indices. Quod si pars liuida, aut nigra iam emortua est, quomodo nigra præ frigore vrina ex corpore adhuc viuente prodibit? Addit Galenus: *in senibus* à frigore nigredinem carnium acquiri; hoc falsum esse cognoscet, quicumque senes albissimas carnes habentes cognouerit. Ergo ob incendium torretur bilis & vrinam efficit nigram, quam Hippocrates hisce verbis damnat. *Exitiosiores verò, si aquosæ, fœtidæ, nigræ, crassæque * sint.* Porrò cum vrinarum tinctura fiat ab alicuius humoris commixtione, attendenda est tingentis humoris natura, & subindè iudicandum: cum ergo vrina nigra, ab humore adustionem patiente tingatur, profectò summum indicabit incendium; ac proindè perniciosa censebitur.

2. prog. 32.

Exceptio.

Iam supra, cum de signis loqueremur, diximus posse aliquos cùm vrina nigra saluari. Quinam sunt isti? nempe qui per modum crisis, per vias vrinæ ab humore nigro vacuantur; & hi copiosè mingunt. vndè in nephriticis affectibus, in morbis lienis, in quartanis, vtiles sunt, vtiles quoque mulieribus, quibus menstrua cessarunt; vt accidit in Thaso, mulieri morosæ; sanguis enim menstruus detentus, & nigrefactus ad meatum vrinæ recurrens, cum magno patientis leuamine eiicitur.

Ad vrinã nigram è viridi tunc fit transitus quando bilis æruginosa, transit in atram, tunc autem ad vltimum ventum est sinceri humoris vrinam tingentis. Color autem subuiridis fit quando vrina superficie tenus pauco æruginoso succo tingitur.

* Sunt qui adiungant nigredinem cum crassitie: quasi nigræ tenues sint minùs prauæ. Hoc tamen non ita est: nam vrina nigra tenuis duplici nomine prauitatem in se continet, videlicet & quia tenuis, & quia nigra; tenuis, hoc est cruda, ac proindè nunquam est bona; crassa verò, licet sit perniciosa, potest aliquando prodesse; quippe magnam atri humoris portionem secum trahit. Alij crassitiem à nigredine separari non posse, existimant, & propterea Hippocratem, aiunt, nigras crassas appellasse. Isti tamen quamplurimis historiis à veridico Hippocrate allatis conuincuntur.

Aet. text. 2. serm. 1. c. 44. Auic. 2. 4. tr. 1. c. 82.

Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

1.epid.sect.3 Nam Herophonti *vrinæ nigræ tenues adfuerunt.* Herophytus *nigram tenuem* 3.epid.sect.3 *multo tempore minxit.* Mulier, quæ in Thaso apud frigidam habitabat, *vri-* 3.epid.3. *nas perpetuò tenues nigras habuit.* Nec verò quia bilis atra vrinas nigro colore inficiens corpulenta est, ideò vrinarum substantia crassa erit: sufficit enim quælibet minima atræ bilis portio ad tingendum; non sufficit, nisi multa, ad incrassandum. Si verò dicas paucam atram bilem non nigrum, 2.prog.22. sed viridem præstare posse colorem: siquidem, vt Galenus ait; *deiectio nigra ab atra bile sincerâ tingitur, liuida verò, vbi modica bilis atra, modicè permiscetur.* Facilis est responsio: secus enim res habet in vrinâ, & in deiectione: deiectio námque corpulenta cùm sit, non facile tincturam admittit, ac proinde multam exigit tingentis humoris quantitatem; vt verò nigra reddatur vrina, quæ fusio quædam est, facilè penetratur, & ab humoris nigri quantumuis minimâ portione, nigredine inficitur.

Corollarium Primum.

Hinc accipito rubram tenuem non dari; neque sanguinem, licet tenuior sit, quàm atra bilis, posse vrinam rubram efficere, quin simul crassam efficiat: nam color quò intensior est, eò magis tingit; color niger vtpotè in extremo constitutus, intensissimus est; idcircò qualibet minimâ portione nigredinem communicat. Ruber autem sanguinis color, remissior cùm sit, non ita facilè rubedinem communicat; imò liquoris permixtione diluitur; Quare si sanguinis pauca permisceatur quantitas, non ad rubedinem vrina accedet, sed infrà subsistet, nempe dilutiorem colorem referens; si multa quantitas accedat, rubedinem quidem efficiet, sed ei simul tribuet crassitudinem.

Corollarium Secundum.

Accipito rursus (quod Galenus etiam notauit) vrinas crassas, quando prauæ sunt, quò crassiores, eò esse deteriores. Nam cùm crassities maiorem permixti cùm vrinâ humoris quantitatem arguat, cúmque humor niger sit perniciosus, manifestè patet ex vrinâ nigrâ crassiori, accipi signum maioris multitudinis adustiorum humorum.

Ruffus vrinarum color, qui & aureus dicitur, (quamuis plures auri sint colores) puro auro similis est, nempe intensior; vnde aureus Actuarij erit Galeni ruffus. Subaureus, subruffo respondet. Cum pallidam vrinam Galenus appellat; subruffam intelligito modicè tamen pallidam cur autem dicam pallidam appellari à Galeno subruffam, est, quia vrinam eorum, qui supremum sanitatis obtinent gradum, ait ille, in libro de crisibus, esse

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

esse subruffam; idem pluribus in locis modicè pallidam naturalem esse ait; vnde colligitur modicè pallidam, & ruffam, apud eundem, eandem esse. Color autem subaureus, subruffus, modicè pallidus (hæc enim tria in idem coincidunt) est ruffo remissior, vt si quis serum sanguinis & bilem ruffam paucam, aquâ diluat.

10 simpl. c. de sudor. 1. epid. sect 3. cō. vlt. 2. prog. 30.

Ex ruffo vrinarū colore biliosi succi prædominium agnosces; si verò fiat æstiuo tempore, in iuuenibus, nullum arguit malum; in aliis autē temporibus & ætatibus non eadem est ratio. Huiusmodi autem vrinæ sunt deteriores in feminis, quia magis improportionales; fiunt etiam in Ephemerâ quę accidit, ex animi passionibus vt Galenus est autor; fiunt in exercitationibus immodicis; in longa inediâ, in ciborum calidorum vsu: Ac denique in omnibus occasionibus, à quibus corpus incalescit, bilescit; Nam non solùm bilis ruffa, ruffo colore vrinam tingit; verùm etiam calor citra bilis augmentum; quippe consumit serositatem à quâ, vrina dilutior reddebatur.

1. ad Glauc. cap. 2.

Rubra vrina, dicitur aliquando αἱματώδης, id est, cruenta; & hæc admistione sanguinis fit: Contingit autem; vel ex attritu lapidis angulosi, in renibus & viis vrinariis; vel ex laxatione venarum, ex quibus sanguis in renem resudat, & hæc potest grumescere. Alia est loturæ carnium similis, fitque affectis renibus, vel iecore; qualis etiam iecore affecto, per sedem eiicitur. Ex retentis mensibus nonnunquam fit huiusmodi lotura: propter sanguinis exiguam portionem, quæ ad vias vrinæ ex vtero transmissa fuit; si autem portio transmissi sanguinis, fuerit maior, fit cruenta, & grumosa vti prior. Fit tandem vrina rubra, propter bilem rubram: Sed quænam est isthæc rubra bilis? nempe sanguinis serum: ita fit in synochis & in incipiente aurigine. Sunt alij colores remissiores, aut intensiores; ita vt in remissis accedant, ad sub palearem, hoc est, qui magis dilutus est, quam color paleæ; in intensis ad vineum, qui est quasi color iecoris, imò ad passeum, qui vuas, passas colore imitatur. Hi tamen omnes vel magis, vel minùs, adustam bilem, vel magis vel minus dilutam, significant. Vnde prudens, & exercitatus ratione medicus præsagiendi occasionem arripiet: vnde vrina χολώδης, magnam habet latitudinem.

1. prorrh. 30.

6. epid. sect. 1. com. 14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

PARTICVLA VI.

De substantia Vrinæ.

DE substantia vrinarum, vniuersim priùs accipe, tenuitatem semper esse crassitie deteriorem; (de summâ tenuitate, & summâ crassitie loquor,) tenuis námque vrina, desperatæ cruditatis est soboles; & significat prætereà raptũ humoris ad caput: crassa verò ebullitionem crudorum denotat, quæ dum ebulliunt concoqui possunt; denotat etiam euaporationem ad caput; at multo minùs malum est, repleri caput vaporibus, quàm humore illuc irruente.

Vrina subiugalium, hoc est, perturbata, crassa, & quæ diu deposita non residet, si moderatè sit crassa, significat cruditatem; significat permixtionem, & secretionis priuationem; significat calorem naturalem cum humore crudo pugnare, absque eiusdem caloris victoriâ; significat igneum calorem ebullitionis authorem prædominari; natiuum coquentem debilem esse; Tandem significat biliosorum cum crudis agitationem; vnde flatus eleuantur, & spiritus, quibus humores cum suo sero in venis turgent, & quasi fermentantur, & mustum in doliis. Crassior ergo flatus; & fusus, fermentatúsque à calore humor cerebrum implet, inde capitis dolor, delirium, conuulsio, magis tamen in lethargicis quàm in phreniticis apparet: phreniticorum enim propria est vrina tenuis biliosa. Cuncta hæc mala, sub nomine doloris capitis, comprehenduntur ab Hippocrate dicente: *Quibus vrina crassa, veluti iumentorum, est, iis dolor capitis, vel adest, vel aderit*; dicitur *dolor*, hoc est, labor, ægritudo, malum.

4. aph. 70.

Quòd si turbida fuerit & alba; quæ γαλακτώδης hoc est, lactea, multitudinem crudorum significat. Cùm verò genituræ similem dixit Hippocrates, licet Erotianus γονοειδὲς, interpretetur τὸ λευκὸν καὶ παχὺ, albam & crassam; non intellige tamen dictum de vrinâ, sed de sedimento. Sic Philiscus in vrina habebat suspensiones quasdam genituræ similes. In Perintho autem, *seminis speciem referens, tale iudicatorium*, non declarat lotiúmne an

1. epid. sect. 3. agr. 1.

6. epid. sect. 2. text. 37.

deiectio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

deiectio fuerit, an potiùs ſedimentum, an hæc omnia; quicquid autem fuerit iudicatorium fuiſſe ait: verùm de ſedimento mox dicemus; de vrinæ ſubſtantiâ ſciendum eſt, albam, & craſſam, multa poſſe ſignificare. Vel enim ſignificat abundantiam eius pituitæ, quam Praxagoras vitream appellauit; vel fit citra febrem; vel fit cum febre: citra febrem, affectum nephriticum ſignificat, vel veſicæ calculum, cùm ſcilicet multo albugineo humore vrina infecta mingitur. In febre acutâ, ſi vrina præceſſerit nigra, aut ruffa, alióve modo, ardorem ſignificat; quæ poſteà ſequetur craſſa, & alba colliquationis eſt ſignum. Si autem ardens vrina non præceſſerit, poteſt aliquando prodeſſe in morbis pituitoſis; vnde in coacis: *conuulſiones in dorſum, cùm febre, vrinæ genituræ ſimiles ſoluunt.* quoniam videlicet potuit febrilis calor pituitam craſſam, quæ conuulſionis erat cauſa liquare, eámque per vrinam eiicere. Vnde ex Hippocrate, *melius eſt, febrem conuulſioni ſuperuenire*, quoniam febris conuulſionis materiam attenuat, incidit, abſtergit, & expulſioni paratam reddit; *quam febri conuulſionem*; quia nempe conuulſio febri ſuperueniens, conuulſio ex ſiccitate, vt plurimum eſt, ideóque peſſima.

2.aph.26.

Vrinam Oleoſam cùm audis; ne intelligas vniuerſam vrinæ ſubſtantiam, oleo eſſe ſimilem: quippe hoc à nemine vnquam viſum eſſe, plenâ fide teſtari poſſumus; ſed fit aliquando, guttulas quaſdam pinguedinis velut olei in ſe habens, quemadmodum vbi oleum alteri liquori miſcetur, & colliquationem ſignificat.

PARTICVLA VII.

De contentis vrinæ.

CÆterùm ſi ad contenta* conuertamur, videbis aliquando in altiori vrinæ ſuperficie, telas innatare ** telis aranearum ſimiles, veluti in iuſculo vbi frigeſcit. Cum verò in Coacis dicitur; *quæ vrina* emittitur, habétque pinguedinem in ſubſidentiâ, intelligito ſubſidentiam ibi impropriè dici: neque enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

enim pingue ſubſidet vnquam, ſed ſemper ſupernatat. Ambiguum etiam eſt an febrem ſignificet: quippe multi citra febres ob calidam renum intemperiem huiuſmodi vrinas mingunt; quod tamen internoſcere docet diuinus Hippocrates inquiens: *Quibus adipalis* ſuperficies *eſt, & conferta; iis renum vitium, & acutum eſſe morbum ſignificat*. Aduerte porrò, hoc loco legi ab aliis quidem: ἐπίστασις, hoc eſt, ſuperficies, ſiue ſummum; ab aliis verò: ὑπόστασις, hoc eſt, ſedimentum ſiue fundum: Sed prior lectio magis veritati eſt conſentanea; ſummum enim petit ſemper, quod pingue eſt, & non ſubſidet. Dicitur etiam *Conferta*; quoniam ſi à toto corpore liquatio fieret, ſenſim flueret; à renibus autem confertim ruit. Colliquatio à corpore, non fit ſine febre; à renibus, (niſi magna ſit inflammatio) citra febrem accidere ſolet.

7. aph. 35.

Colliquatarum partium tùm colorem, tùm ſubſtantiam, indicat hypoſtaſis orobea, & pultacea quæ κριμνώδης ab Hippocrate nuncupatur. Hæc autem ſi non alba appareat; ſignificat colliquatam hepatis ſubſtantiam; ſi nigra, lienis; ſi ſit carnoſa, rerum; laminea, veſicæ: pinguis, pinguedinis; Alba, hoc eſt, genituræ ſimilis, poteſt ſignificare pituitam, poteſt & eſſe iudicatoria, quemadmodum fuiſſe in Perintho narrat Hippocrates.

Pelliculoſa contenta *** in vrinis, conuulſionem ſignificare, dicuntur in Coacis: ſed ſignificant quidem remotè, nam proximum ſunt ſignum colliquationis; colliquatio verò ſiccitatem affert, ſiccitas autem conuulſionem.

Sed vt à colliquatione diſcedamus; vrina ὑαλώδης hoc eſt, vitrea eadem eſt; ac γονοειδής, genituræ ſpecimen referens: quæ nomenclatura, vt ſuperiùs dicere incepi, non ad vrinæ ſubſtantiam, ſed ad contenta reſpicit, hæc hypoſtaſis, idem, quod vrina alba craſſa, ſolet ſignificare.

Libet pro coronide hoc adiicere: contentum, aut eſt νεφέλη, hoc eſt, nebula, quæ ſupernatat, hoc eſt, ſuperiorem occupat ſuperficiem: hæc à multis flatibus eleuatur, & valdè exiguum coctionis initium præ ſe fert: melior tamen eſt, quam vbi nullum apparet contentum: aut eſt ἐναιώρημα ſiue appendiculum, quod in medio pendet, & ſignificat iam vlteriorem coctionis gradum,

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

aut est ὑπόστασις nempe ſedimentum, quod ſubſidet: quod ſi diſperſum ſit, non adhuc perfectam indicat coctionem. Perfecta coctio eſt, quando ſedimentum ſuas habet conditiones, quas Hippocrates ternario numero comprehendit. 2. prog. 20.

Prima; *vt ſit album*, quod illi aduenit propter elaborationem ſuſceptam in tunicis venarum, ſimiliter albis: omne enim agens quoad poteſt, aſſimilat ſibi paſſum. Dicunt nonnulli albedinem prouenire ex incluſo aëre; ſiquidem teſte Ariſtotele *aër vaporoſus intus incluſus, alborem omnibus præbet*; quod confirmatur exemplo ſpumæ, propter aërem incluſum, niteſcentis. Et hæc quidem cauſa priori adiungi poteſt, ita vt vtraque concurrat nimirum & in tunicis albis elaboratio, & aër incluſus. Attamen huic poſteriori ſunt qui obiiciant: ſi hiſpoſtaſis aërem habet incluſum, iam non coctionis ſed cruditatis eſt ſignum; quippe flatus diminutæ coctionis ſunt ſoboles. Præterea nunquam erit ſedimentum, ſed enæorema, aut nebula, dicente Galeno, *appendiculum magis ſurſum, aut deorſum ferri, ob maiorem aut minorem flatuum mixtionem.* Cæterùm aliud eſt flatus habere permixtos, aliud plurimum aëreæ ſubſtantiæ ſuſcepiſſe in ſua mixtione; ſedimentum flatulentum cruditatis eſt nota, non tamen hinc alborem habet, ſed ex aëreâ ſubſtantiâ, quam in ſua mixtione ſortitum eſt. 5 gener. animal. c. 6. 3 epid. sect. 3. in hist. layrae virginis.

At ſi aëreum eſt ſedimentum, (quæret adhuc quiſpiam) cur ſubſidet? ea enim quæ aërea ſunt, vt oleum, ſemper ſupernatant. Hoc quidem ita eſt, & ideò ſedimentum optimum, debet eſſe parùm eleuatum è fundo vaſis vrinarij; quod námque omnino ſubſidet, aut arena eſt, aut cruditas aliqua: ex alterâ parte, non debet ſupernatare, vt enæorema aut nebula; quia craſſius eſt, & ab omni flatu immune, habetque terrenæ molis portionem, à qua & pondus. Quamuis autem Galenus ſuprà citatus, appendiculum ſurſum vel deorſum ferri, pro maiori vel minori flatuum quantitate dixerit, non eſt hoc, tanquam perpetuum, accipiendum: Nam nebula, & enæorema in morbis bilioſis coctionem ſignificat, quapropter non extollitur à flatibus ſed à propriâ tenuitate.

Sed quomodo intelligemus vtrùm enæorema à flatibus, an à tenuitate ſuâ extollatur? nempe quia ſi à flatibus extollitur, inæquale eſt, atque diuulſum, ſi verò à ſua tenuitate, læue & æquale.

Nam tres conditiones optimi ſedimenti,de quibus nunc agimus, debent omnes eſſe ſimul, adeò vt quâlibet deficiente deficiat coctio: Etenim, *bonum ex integra cauſa*, *malum ex quocunque defectu.*

Si verò de laudabili ſedimenti albedine quis dubitet, quoniam vrina cocta, eſt ſubruffa, aut ſubflaua; alba verò cruda, vnde videtur ſedimentum albam cruditatem etiam ſignificare: Iſaac hanc dubitationem ſoluit, quoniam vrina fit per tranſcolationem, atque propterea ille color cenſetur optimus, qui humorum particeps eſt, & in ea proportione reſultat ſubruffus, aut ſubflauus. Sedimentum autem fit per concoctionem, atque idcircò membris coquentibus, id eſt,tunicis venarum, ſaltem in colore aſſimilatur.

Altera conditio eſt *læuitas*,proüt opponitur aſperitati.Redditur læue ſedimentum, cùm conſimilem in omnibus partibus aſſequitur naturæ alterationem: læue in deiectionibus explicat Galenus; *id quòd nos dicimus æquale*, *politum*, *quòd indicat per totum*, *materiam recipere*, *aut naturæ comptum*, *aut turpitudinem prauitatis.* Sed dicet aliquis, ſi læuitas ſignificat aliquando naturæ comptum, aliquando etiam naturæ prauitatem, non ſemper eſt bona, ſed interdum peſſima. Ita eſt: nam quòd vndequaque ſimile eſt, tale euadit,quoniam non ampliùs habet quaſdam partes ſemicoctas alias plus nimio coctas, ſed omnes vno, & eodem modo aut coctas, aut putridas: ita vt ſi prauitatem indicet, non quamcumque, ſed maximam indicet,ſi perfectionem tunc omnium optimam perfectionem intelligamus oportet. Veruntamen ſæpè in hoc opere repetitum inuenies vnum ſignum non eſſe bonum niſi alia habeat adiuncta.

2.prog.22.

Tertia conditio eſt æqualitas. Dicitur æquale dupliciter;primo modo,quando non eſt in vna parte diuulſum, in alterâ vnitum; ſed ſimiliter totum:deinde cum non intermittit, ſed omni ſuo tempore, vnius modi apparet, quod oſtendit homogeneam eſſe materiam morbi. Si enim ſedimentum aliquando album, & læue appareat, poſteà verò aut nullum, aut deterius adſit: ſignificat humorem vnum coctum in receptaculo recondi, alterum crudum exiſtere. Galenum huius rei teſtem inuoco, qui in hunc modum reliquit. *Hoc verò etiam in ſubſidentibus contemplari oportet*, *ſi non modo alba ſint*, *& læuia*, *ſed ſi omnino æqualia*

2.criſ.12.

&,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

& quia in nulla parte diuulsa, & quia omni tempore talia sunt. Nam si alternatim mingatur pura, in subsidentibus semicoctum esse morbum significatur.

Pręter has tres Hippocraticas conditiones, duas non contemnendas adiungit Isaac. Prima est, vt figura sit qualis est figura flammæ, aut cordis, hoc est pyramidalis: quoniam hæc optimam innati caloris actionem significat. Altera vt vase agitato facilè dispergatur, dispersúmque facilè reuniatur. Dispergi facile debet, quia nihil viscositatis tenacitatisue possidet; & in hoc à pure & à pituita differt. Reunitur autem, quia adhuc partes inter se symphathiam aliquam, & insiti caloris vestigium seruant, & hac ratione differt ab arenosâ substantiâ, & ab omni materia, quæ cum vrinis exit, caloris insiti nihil particeps. Hanc conditionem sapientissimus Isaac præstantissimam esse dicit.

**** Fætor vrinarum putredinis est signum, quod Galenus nos docet, & Actuarius confirmat inquiens, *malum vrinæ odorem alicuius interioris membri, aut humorum summam putredinem præ-stendere.* Potest etiam, citra putredinem, vrina reddis fætida cùm plus nimio in vesica moratur, vt author est Aristoteles. Putat Mercurialis vrinas ob cruditatem reddi fætidas, quod probat: quoniam ij, qui ventriculi cruditatibus laborant, ora habent fætentia, & leones, teste Aristotele, quia fame tentati, multos cibos non bene mansos ingurgitant, vrinas reddunt fætidas. Sed confundit cruditatem cum corruptionę: non enim halitus fætet iis, qui apepsia laborant, hoc est quorum calor, cibos omnino inconfectos relinquit, sed qui bradypepsiam habent, hoc est tardè concoquunt, & in illa morâ partem ciborum corrumpunt, vt indicant ructus nidorosi: sic etiam leonis, cibos præ multitudine, non possunt præstò superare, cùm tamen ingentem habeant calorem, vnde aliquam eorum portionem corrumpunt Itaque fætent vrinæ vel propter assumpta ea, quæ vrinam fætidam reddunt, vt, sunt allia, asparagi; vel propter putredinem, cuius soboles est fætor.

1. cris. c. 11.
2. de iud. vr. cap. 17.
sect. 13. prob. 1.
8. de hist. anim. c. 5.

* De vrinæ contentorum naturâ, & loco, vbi generantur varia sentiunt doctores. Fernelius existimat in vrinis vim quandam insiti caloris adesse, quæ (vt Aristoteles annotauit) in ipsis quoque excrementis manet. *Quic-*

lib. 3. de Vrin. c. 17.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

quid igitur in emissa vrina, ait ille, *crassioris inest substantiæ, licet non protinus aspectabile sit, mox tamen secernitur, atque coit, ac plerumque subsidet, perindè atque fæx in aquâ rosarum stillatitiâ, idque insiti huius caloris beneficio, cuius est heterogenea secernere.* Hanc crassiorem vrinæ portionem insiti caloris vi secretam, arbitratur esse hypostatim. Sed nescio quomodo illi in mentem venit posse ex vrina russâ, aut flauâ deponi crassiorem partem candore præditam. Montanus fere in eandem incidit foueam. Sedimentum, ait, esse excrementum, quod remanet post sublimationem: appellat sublimationem extractionem humidi, quæ à calore prouenit, affértque exemplum distillatorum qui spagyricè aquam ab herbis extrahunt: Nam si calor igneus repente extrahat, attrahitur humiditas aquosa, & remanent partes terreæ adustæ; Si hæc Montani valeret ratio, profectò sine adustione, exigua, aut nulla foret hypostasis. Deinde si hypostasis fit propter sublimationem, quò vrina erit subtilior, eò maiorem habebit quantitatem sedimenti, quod experientiæ repugnat. Tandem si pars aquosa est quæ remanet, semper vrina erit decolor. Argenterius hypostasim appellat pituitam, non eam quidem quæ simul cùm reliquis humoribus in capite gignitur. At Argenterius iste multoties se aliquid nouum afferre existimans, cum veteribus coincidit: nam id quod in sanguificatione naturæ elaborationem refugit à Galeno, & Galeni sectatoribus dicitur hypostasis; id autem quod in hepate refugit sanguinis generationem, pituitosum est, dummodo intelligamus refugisse quidem coctionem, non tamen omnino euitasse. Longè peius Horatius Augenius, sedimentum statuit esse partem chysi, eâ fretus ratione, quòd teste Galeno, sit pars alimenti, quod refugit coctionem; & præterea à Galeno esse dictum, ait, hypostasim refugere coctionẽ, in sanguinis generatione, chylus autẽ in sanguinis generatione, est id, ex quo fit sanguis. Hoc nouit Augenius sed ait in iecore fieri humores naturales nempe quatuor, pituitã, sanguinẽ, & vtramq; bilem, fieri etiam humores excremẽtitios tres, nempe bilem atrã, & flauã, pituitámque: sed Deus bone quot inaudita, imò absurda hic cõgerit. Num præter pituitã, quæ est vnus ex quatuor humoribus, fit etiam in iecore alia pituita omnino excrementitia? si fit, ad quodnam receptaculum mittitur? Deinde quid oportet præter humores, & extrementa, chylum seu sedimentum (idem enim apud Augenium vtrumque est) constituere. Nunquid chylus, qui in iecore commoratur non aptus est in sanguinem verti? sed quare? forsan quia ineptus omnino, at tale est quod per aluum fuit excretum: forsan quia ineptus aliqua ex parte, at tale est quòd in pituitosam partem abiit. Imò & ex pituita sanguinem fieri dixit Galenus non semel; quanto magis ex chylo. Donatus Antonius ab Altomari, necnon alij complures, duplicem faciunt hypostasim; vnam sanorum; alteram ægrotantium: sanorum dicunt esse eam, quam Galenus in Prognosticis appellat alimenti partem, quæ in sanguinis generatione naturæ subterfugit coctionem, neque vt sanguis ab ea commutata, neque vt pus, causæ præter naturam particeps. Ægrotantium verò hypostasim à Galeno descriptam, esse partem putrescentis

1. diff. feb. c. 6. & lib. 3. de præsag. ex puls. c. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

putrescentis intra vasa succi puri proportione respondentis. Sed nunquid hæc duo sedimenta in ægrotantis vrinâ conspiciuntur? Vallesius ait ex vtroque fieri vnum: quemadmodum enim vrina ex duplici fit substantia, hoc est ex potu, & sero sanguinis; ita quod continetur, quodque apparet per morbos, est conflatum ex succo crudo, qui principij tempore genitus est in hepate, & venis, retentúsque; & ex morbi materia. Nulla tamen necessitas nos cogit hanc duplicitatem sedimentorum statuere: Neque Viri Galeno plus nimio addicti poterunt ex suo Galeno hanc doctrinam ediscere; nullibi enim prædictam doctrinam scriptam reliquit. Donatus tamen quando legit apud eum, *sedimentum esse partem alimenti*, intelligit *sedimentum sanorum*; quando autem *esse partem putrescentis intra vasa succi*, conuertit se *ad hypostasim ægrorum*. Sed quis, quæso, illi hanc tribuit optionem? Profectò Galenus minimè verborum parcus, si ita intelligeret, se ipsum explicasset. Verumtamen non solùm non id explicat, imò potiùs se de sanis, & ægris promiscuè loqui profitetur. Nam postea quàm ait, *in pueris, & perfectam ætatem habentibus, qui otiosam vitam degunt, aut quouis alio modo repleti sunt, satis multam habere vrinæ subsidentiam*: adiungit; *hæc quoque causa est, vt iis, qui ex otio, & repletione febricitant, si sanitati restitui debent, necessariò plurimum subsideat.* Ecce quomodo multitudinis sedimenti vnam & eandem causam in sanis, & in ægris admittat: Cùm præterea idem Galenus dicat, nullo pacto sedimentum habere vrinas si tenuiter; copiosum, si largiùs; exiguum, si modicè viuitur. Altimarius hæc verba sedimento sanorum accommodat; sed proh quàm perperam: addit enim Galenus: *Quin etiam in morbis biliosis, ad colorem croceum, in his quos crudi comitantur humores, ad candidius tendit.* Idem Galenus vtrumque sedimentum vno, & eodem modo fieri dixit his verbis. *Ergo vbi corpus bene habet, cúmque eo quod coquitur ei quod concoquit naturæ intercedit familiaritas, mutatio fit, & alteratio totius coquendæ materiæ aut maximæ partis eius, minimúmque superat semicocti: At quando præter natum affecta sunt (quod accidit vbi sunt à naturâ mutantis, & alterantis aliena) id quod assimilatur paucum est, semicoctum verò excrementum multum.* Nullibi tamen manifestiùs loquutus videtur, quàm in Libro de alimentorum facultatibus, in hunc modum: *Non tamen febricitantibus quidem, ex crudorum humorum copiâ, solis in vrinis subsidet cuiusmodi dixi; sed & sanis, qui post multos exantlatos labores, cibos duros, ac confectu difficiles esitant.*

1. cris. c. 12.

2. prog 26.

1. epid. sect. 2. com. 43.

li. 1. de alim. fac. c. 2.

Igitur tàm in sanis, quàm in ægris materia quæ assimilari nequit, ea est ex qua fit hypostasis; & non posse assimilari idem est, quod coctionem effugere, hoc est, eam coctionem, quâ conuertitur alimentum in substantiam aliti; non aliam quâ in puri similem materiam transmutatur. Præterea cùm sedimentum sit substantia quædam, puris similitudinem referens, hanc tàm sani, quàm ægroti habent, siquidem vtraque est alba, læuis, & æqualis, quænam igitur est vnius ad alterum differentia? Duplicem differentiam nobis offerunt, primam quoniam, vt Galenus citatus ait, maior sedimenti quantitas fit tempore sanitatis, quia maior nutritio;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Alteram, quoniam in ſanitate, materia vel non putreſcit, vel parum putreſcit; tempore verò ægritudinis, ſi febriculoſa affectio eſt, humor putreſcit. Hæ tamen differentiæ non conuincunt, duo eſſe ſedimenta diuerſa: Nam vtroque tempore & ægritudinis, & ſanitatis, ſedimentum fit conante natura, nec potente, materiam ſuperare, vt eam in aliti ſubſtantiam conuertat, ſed duntaxat ita cicuratur, vt ſubſtantiam induat benigniorem quàm prius, quale eſt in abſceſſibus pus. Nec verò impoſſibile tibi videatur ex torridâ bile, quæ, vt plurimum, eſt febrium materia, fieri albam ſubſtantiam, læuem, & æqualem; ſiquidem & eryſipelata, & herpetes, ad ſuppurationem veniunt.

De loco in quo fit hypoſtaſis, contentio eſt: Cæterùm ſi fieret in hepate, non omnimodam haberet albedinem, quapropter in tunicis venarum candidis elaboratur, & indè albedinem accipit. Materia ex quâ fit partim eſt adhuc in venis, partim etiam à particulis ad venas remigrat. Hunc regreſſum Valleſius non admittit niſi magnâ vrgente neceſſitate: verùm dum ita fieri concedit in magnâ neceſſitate; ſaltem iam ab eo habemus, poſſe hoc fieri; & vias eſſe per quas fiat. Deinde ſciat oportet in magnâ neceſſitate, vt in magna fame, in magna ſiti, in maximis ardoribus remigrare magnam quantitatem, adeò vt nonnunquam carnes ipſæ liquefactæ, remigrent, vt cernitur in colliquationibus, quæ in vrinis apparent, & in ſedimento farinaceo in morbis acutis ſignificante conſumptionem. At verò pauca quantitas quotidie remigrat; cuius rei ſignum eſt, quod in hyeme, cùm minor eſt tranſpiratio, maior eſt vrinæ quantitas. Hoc, quomodo fiet, niſi ea, quæ per tranſpirationem exire debent, cum meatus inueniant occluſos, ad venas regrediantur, & cum liquore à renibus attracto; quaſi terra ſimul cum aqua dilabens, ad vrinarios meatus accedat.

** Videbitur fortaſſe alicui, pinguedinem in vrinis ſupernatantem, non eſſe prauum ſignum: ſiquidem potiùs coctionem ſignificat, teſte Galeno cuius hæc ſunt verba; *Vbi crudus plane ſanguis eſt, vtique tenuis, aquoſáque vrina mingitur, nihil nec quod ſidat nec quod pendeat in ſe habens: At vbi is cõcoctus eſt, hæc in vrina apparent, & etiam nubeculæ quædã deſuper tenues ſuperſtant; velut id quod in ſummo lacte colligitur, Græcè γραῦς dictum, & quod in ſummo refrigerati iuſculi concreuit.* Hactenus Galenus; ex cuius verbis manifeſtè intelliges, pinguedinem innatantem, quæ iuſculi concreti ſimilitudinem refert, in vrinis concoctis reperiri. Cur ergo prauum erit ſignum, & colliquationis nota? Nempe quia ſanguis ex natura ſua pinguem quandam partem in ſe continet, ideò Ariſtoteles adipem ex ſanguine per concoctionem gigni dixit, & adipem ſanguinem concoctum appellauit, ideò etiam Galenus pinguedinem ex ſanguinis parte pinguiore generari, ſcriptum reliquit. Hæc pinguior pars in lacte tranſit in butyrum per tenues verò venas effuſa, & ſiccis corporibus affuſa, quaſi balſamus quidam, radicaliter humectat, ne diuturnis inediis, ne vehementibus exercitiis, ne tandem caloribus immodicis abſumantur. Hæc rurſus pinguior ſanguinis pars, ſanitatis tempore ſanguini permiſcetur, & ſimul cum vrina ad loca

4. de ſanit. tuend. c. 4.

3. hiſt. animal. c. 19. & de part. animal. c. 5. 16. vſu par. cap. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

vrinaria fertur; At verò quo tempore febrilis calor membra depaſcitur, hæc eadē pinguedo, quæ facilè abſumi poteſt, abſumitur, atque adeò dum febris adeſt, pinguedinem non adeſſe, conſentaneum quidem eſt, quòd ſi febris adſit & pinguedo appareat, colliquationem ſignificat, ſiquidem non ſolùm febrilis calor abſumpſit quod abſumere debuerat; ſed vlteriùs depaſcens maiorem vim adhibuit. Rectè igitur Hippocrates ait: *Et pinguedines ſupernatantes, araneorum telis ſimiles damnandæ ſunt: indicant enim conſumptionem.* Quamuis autem adeps, & pinguedo differant, quoniam adeps difficiliùs quam pinguedo diſſoluitur, nihilominùs abuſus obtinuit vt vtrumque communi appellatione ſignificetur, vt Galenus eſt author.

2. prog. 35.

11. ſimpl. medic. facult. cap. 3.

*** Vrina ὑμενώδης, hoc eſt, pelliculoſa, ſeu membranoſa dicitur, quę continet particulas quaſdam tenues, membranarum in modum, & eſt eadem quæ dicitur in Prognoſtico πεταλώδης, hoc eſt, laminea, continens laminas quaſdam tenues, & colliquationem ſignificat; fit tamen colliquatio per gradus, priùs enim colliquatur noua, & antiqua pinguedo, poſtea noua, & antiqua caro. Pinguedinis colliquatæ ſignum eſt, contentum aranearum telis ſimile innatans: fit deindè ſanguinis craſſioris aſſatio, & carnium inæqualis colliquatio, quod indicat ſedimentum κριμνώδες hoc eſt, farinaceum, nempe farinæ hordei, vel tritici malè triturati ſimile. Hæc ſedimenta aliquam rubedinem præ ſe ferunt, maiorem, cùm ſequuntur ſanguinis aſſationem; minorem, cum fiunt ob carnium colliquationem inæqualem. Cum verò auctâ febre ſolidiores partes calor depaſcitur, contentum apparet, quod diximus pelliculoſum ſeu lamineum, ſeu ſquâmeum, quod ſcilicet longitudinem, latitudinémque, citra tamen euidentem altitudinem, habet. Hoc ſedimentum non ſolùm fit colliquatis partibus ſolidis, vt ex Hippocrate, & Galeno patet; verùm etiam ex veſicæ vlceratione, authore eodem Hippocrate dicente. *Si ſanguinem, & pus, & ſquamulas quis mingat, grauiſque odor fuerit, veſicæ vlcerationem ſignificat.* Verumtamen facilè internoſces vtrum ex colliquatione, an ex vlceratione proueniat; quoniam quod colliquationis culpâ accidit cum febre, & vrinæ cruditate coniungitur: contrà quod laborante veſicâ prodit, ſine febre cum vrinæ coctione; non tamen fætore caret, neque ſine dolore excernitur. Si prætereà colliquatione auctâ longè, latéque ſolidarum partium ſubſtantia incendatur, contentum fit furfuraceum, quod iam, corpulentiam habet, non vti lamineum, quod ſolas habere longitudinem, & latitudinem, diximus.

2. prog. 28.

1. criſ. c. 12.

4. aph. 81.

**** Mercurialis dupliciter vrinas poſſe reddi benè odoratas ait; vel propter aſſumpta ſiuè medicamenta, ſiue alimenta, e.g. therebintinam, vel aſparagū, vel propter perfectā coctionē. In hoc duos reperio errores. Primus, quia licet therebintina bonum concilicet vrinæ odorē; non tamen ita aſparagi, qui omnium conſenſu fætidam efficiunt vrinam. Alter, quoniam vrina excrementum eſt, excrementa autem, quantumuis benè cocta, nunquam reddunt odorem bonum. Imò laudabilia ſunt, ſi quàm minimùm malè oleant: neque enim poſſunt (vti diximus) benè olere, cùm ſint ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

crementa, nec ex alterâ parte, si penitus non oleant, laudari debent; quippe, vt Auicenna optimè aduertit: *Si omnino fætore priuentur, frigidi viscerum intemperamenti, & extremæ cruditatis sunt soboles.*

2.1. doct. 3. cap. 4.

Particvla VIII.

Præsagia, ex alui deiectionum colore.

VRinarum consideratio, ad considerationem deiectionum, viam nobis aperuit; quippe in vtrisque similis est ratio; & quod attinet ad colorē, subruffus naturalis est, & ab Hippocrate cōmendatus: si enim ruffus sit, aut fuluus (vtrūque dici potest) multa bile saturatā deiectionē significat; si pallidus, paucâ; si albus, nullâ. Albæ fæces vel defluunt, vel sunt compactæ: defluentes, & albæ, vel colliquationem, vel summam cruditatem significant, & bilis defectum, longè tamen magis, si aquosæ sint: Compactæ visuntur in ictericis, vbi nihil deest nisi bilis tingens.

2.[illegible].17.

Omnis alba deiectio in phreniticis est mala: quoniam, vel fit ob bilem non receptam in intestinis, quę spargitur per vniuersum corpus, & subindè portio aliqua tangit, tingítque cerebrum, cerebrum, inquam, phreniticorum, hoc est, bile infectum; tunc praua est causa: quippe malum auget vel fit propter nimium ardorem, ex superiore iecoris parte, sanguinem, cùm bile, ad caput trahentem; & sic quidem & vt causa, & vt signum damnatur; vt causa, quia malum auget; vt signum, quia iecoris conflagrationem significat.

Inter albas deiectiones purulenta reponitur; quæ si sit alba, læuis, æqualis, adhùc ancipitem habet euentum; licet enim ex se laudabilis sit, & significet locum, in quo gignitur, esse ab intemperie emendatum, nihilominùs internam potest denotare vomicam, in parte, quæ curationem non recipit; potest etiam in suo per interiora transitu, locum aliquem vlcerare.

Potest * in dysenteriâ acutâ, superueniens purulenta deiectio, bonum esse signum; quippe vlcus iam emendatam habere dyscrasiam ostendit. *Suppuratis à pulmone, per ventrem pus secedere lethale* dicitur in Coacis; & meritò, non ob vnam tantum rationem, sed primò, quia illud iter naturæ non est peruium:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

uium : ſecundò quia vel ſubito vomicæ diſruptio in cor irruit, & ſic inopinato ſyncopizantes intereunt ægri, puris multitudine cor opprimente, vel ſenſim per cæcos ductus in cor, iecur, vẽtriculum, & inteſtina delabitur, eáſq; partes mordet, & abradit; & in corde interdum leuia animi deliquia excitat in iecore hæmatoſim corrumpit, & trahendi chylum vim aut aufert, aut ſaltim minuit; in ventriculo, & inteſtinis, coctioni, ciborúmque digeſtioni valdè nocet; interdum etiam vel dyſenteriam, vel lienteriam, vel etiam hydropem lethales concitat.

* Dyſcentericus albas reddẽs fæces vel poterit in ſummo periculo cõſtitutus dici, ſi ſint colliquamentum, vel poteſt ſanitatis ſpem augere, ſi ſint pus laudabile, ac proindè ab vlcere iam emendato exiens. Ne igitur Medicus in diagnoſi deceptus, decipiatur etiam in Prognoſi, & lethale ſignum tanquàm bonum, aut bonum tanquàm lethale accipiat, oportet vt pus à colliquatione ſciat dignoſcere. Hanc dignotionẽ docet nos Coacarum Author : Nam *ſi quòd ſuperſtat, album eſt, & multum*, puris ſignum habemus: verum enim, & laudabile pus albedinem præ ſe fert factam à moderato calore; colliquatio non poteſt à calore igneo; à quo fit, perfectam obtinere albedinem, & omnis pinguedo temporis ſpatio alborem, in pallorem mutat. Rurſus in dyſcenteria acuta poteſt vlcus eſſe profundum & pus exire multum; pinguedo in inteſtinis nunquam tanta eſt; quæ multam efficiat colliquationem.

Appendix.

Addito odoris fæditatem: pinguedo enim omnis grauem effundit odorem; pus exiguum, pituita autem, quæ in ſimilitudinem puris mutata, ſæpè vtiliter excernitur, nullum.

Ruffus color in alio extremo reſpectu medij, hoc eſt, ſubruffi, fit in vehementiſſimis viſcerum ardoribus; & calidiſſimam iecoris intemperiem ſanguinem adurentem, ſignificat. Hæc eſt deiectio quæ ab Hippocrate Διαχώρησις ἄκρητος ſeu ἄκρατος dicitur, hoc eſt mera ſyncera. Cùm enim * ſyncerus humor dicatur, authore Galeno, qui inpermixtus; cúmque ruffa deiectio ſit permixta, meritò ruffa, biliosa ſyncera appellatur : nec enim æruginoſam, aut porraceam, ſic ſueuit Hippocrates appellare. Itaque biliosa deiectio ideò mera eſt, quia aquoſi humoris conſortio, quo gaudebat, eſt priuata; ac proïndè calidior, acriórque

1. Pror. ſect. 2. com 15. 2. prog. com. 65. 7. aph. 6. & 23.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

7.aph.23. que relinquitur: propterea nil mirum, si *à deiectione syncera difficultas intestinorum fit*; bile videlicet acriore intestina, per quæ transit, vlcerante. Demum syncerus omnis humor à flammeo calore suam obtinet generationem; dicente Galeno: *flauus inquam, vbi serosus humor assatur, quo permixto croceus erat: rubiginosus, vbi is vehementer assatur, niger verò, quoties vehementissimè assatus est.* 2.prog.47.

* Cùm humorum extremæ intemperies suis contrariis attemperentur, optimum est, vt vnicuique humori humor alius, à quo corrigatur, sit admixtus; vndè ruffa quidem bilis, ratione sui secundum naturam est: (ita scilicet postulante huius humoris naturâ) est autem præter naturam, respectu nostri corporis, quod synceritate humorum offenditur; & hinc est quòd sapienter Galenus, *syncera omnia, siue sit vomitus, siue deiectio, siue sputum, siue quiduis aliud*, damnat; & alibi *præter sanguinem, quemuis alium humorem, si syncerus fuerit, prauam indicare qualitatem* dixit. Sed cur sanguinem excipit? nempe, quoniam syncera sunt, quæ proprium retinent colorem, quapropter purus sanguis ruber erit, quandoquidem hic eius est peculiaris color, & subinde syncerus sanguis laudabilis habetur. Vnde idemmet Galenus in historia Philisci *rubri sanguinis stillã haud esse in morbo exitiali visam* refert. Quod si Hippocrates tùm ibidem tùm inferius in historia eius, qui in Dealcis decumbebat horto, *meri sanguinis stillam*, tanquàm prauum signum adducit; Galenus *merum* accipit quasi diceret *atrum*. Vallesius sanguinem merum purum esse & nihil qualitate peccare cum Galeno consentit; nihilominus ab eodem dissentit, quia existimat purum sanguinem potuisse prauum signum esse, nec oportere pro puro atrum accipere. Est autem prauum signum, tùm quia *stilla*, hoc est, euacuatio, diminuta est, tùm quia *sanguinis*, hoc est, euacuatio eius quòd euacuari non oportebat: neque enim in morbo grauissimo, sanguinis euacuatio laudatur, Ego verò cum Galeno existimo, humores synceros esse omnis serositatis expertes; propterea ab eodem dissentio, qui laudat sanguinem syncerum, quia est ruber, non animaduertens serositatem etiam in sanguine requiri; quâ cùm careat is qui sincerus est, profectò laudabilis esse nequit. Sanguis itaque syncerus, hoc est, ab omni serositate immunis, magnum significat incendium, à quo serositas fuit absumpta. Multoties in ardentissimis febribus obseruaui sanguinem extractum concrescere neque vllum in eo supernatare serum. Nec verò negandum est optimum esse, si sanguis suo sero diluatur, sic instituente Naturâ ad necessarios vsus, nempè ne celeriter à calore absumatur, remorante aqueo, caloris ardorem, vt etiam sit sanguinis ad intima quæque penetrantis, vehiculum; vt prætereà humiditate, acrimoniam caloris in sanguine hebetet: quare si nimio & vehementi febrili incendio serositas in sanguine absumatur (vt absumi-

1.pror. sect.1. com. 28.

2.prog.47.

1.epid sect. 3.com.18

3.epid.sect. 1.text.16.

tur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tur in bile quando syncera relinquitur) profectò sanguis nutritioni incongruus,& calori concipiendo magis aptus relinquetur.

Porrò, *biliosa deiectio si circa pectus mordicationem, si etiam amarorē oris efficiat, malum* dicitur in Coacis. Nam siue in febre, siue citra febrē, deiectiones biliosæ ortum habent à bilioso alimento ,& calido iecore, & venoso genere adurente sanguinem ; ex quo bilis coaceruatur,quæ interdum in ventriculum, cùm imbecillus fuerit, confluit : interdum in intestina, cùm ventriculus firmus est, & suo robore aliena excrementa facilè aliò regerit. Quòd si tùm in ventriculum, tùm in intestina æqualiter confluat, tantò, deterius est, quantò & biliosæ materiæ copia maior significatur, & plures partes simul afficiuntur; præsertim si indè os ventriculi mordeatur,& os amarescat : tunc enim significatur à putrefacta bile, & eius vaporibus per continuitatem membranæ interioris ad os vsque perferri.

In febribus ardentibus, & acutis biliosa deiectio, quæ critica non est, nec corpus expurgat, inflammatis hypochondriis,aut æstuantibus ardore febrili,generatur. Attamen Hippocrates biliosa, quæ aluus deiicit, esse ait, *interdum bona*, hoc est,vt Galenus explicat diluta *interdum quàm decet*, *redundantiora*, *spumantioráque* hæc Galenus syncera appellat, quæ colliquantem febrem, aut pestilentem, aut quæ perducat ad tabem, denunciant. Sunt autem quatuor nominibus praua; causæ magnitudine; perenni generatione; exitu; retentione : Causæ magnitudo est vehemens incendium:perennis generatio prouenit ex agendi potentia, quam calor habet: exitu, quia intestina exulcerāt;retentione;quoniam retenta,acerbissimos dolores creant. Itaque retenta bilis in corpore fluctuat in ventriculo, ibique vehemens æstus percipitur, & cardiogmos, idest, cordis morsus, vellicato ore ventriculi, quod veteres cor appellabant; & hoc est, quod in Coacis dicitur: *mordicatio circa pectus*. Potest etiam sumi pro palpitatione, quòd voluit Galenus in explicatione aphorismi *in febribus circa ventriculum & fortis æstus*, & *cordis morsus malum*. Vbi Galenus in hunc modum scriptum reliquit: *fortis námque æstus à flaua bile in tunicis ventriculi ebulliente generatur. Rationabiliter autem iis, qui ita sunt affecti, & ventriculi mordetur os, ob idque malus est casus, si quis verò per cordis*

3.acut.

4.aph.65.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

dis morſum, crebrum & velocem cordis motum eum præcipue, qui palpitationi ſimilis ſit intellexerit, extremun ex eo malum ſignificatur, vim nempe vitalem maximo incendio laborare.

Tripliciter deiectio nigra fieri poteſt. Primo à ſanguine nigreſcente; & hæc cognoſcitur quoniam concreſcit: ſolus enim ſanguis inter omnes humores poteſt concreſcere, tùm propter fibras, vt vult Ariſtoteles, tùm etiam propter pinguedinem, quæ refrigerata gelaſcit. Secundò ab atra bile propriè dicta, quæ cognoſcitur; quoniam ſplendet, vehementer aſtringit, exulcerat, acidum fœtet, terram fermentat, ampullas excitat, muſcas, & mures abigit. Tertiò ex melancholico humore naturali; hic longè mitior eſt & caret prædictis notis: per moram tamen corrumpitur, & putreſcit in corpore ac tandem in atram deſciſcit bilem, & præfatas induit notas.

Annotatio.

li. de plenit. cap. 11. Animaduerſione dignum eſt quod à Galeno accipimus nempe melancholicum humorem etſi aduſtione plurimum accedat ad atram bilem; dùm tamen vno aut altero ſigno, atræ naturam refert, non dici atram; ſed innaturalem, & in atræ confinio conſtitutam, donec omnia concurrant ſigna, à quibus iam atra bilis propriè denominatur. Itaque naturalis bilis, imò & ſanguis adduſtus & niger, qui tamen adhuc concreſcit, ſine periculo euacuantur; neque aliud prauitatis ſignum habent, niſi ſuſpicionem, nè degenerent in atram: deiectiones verò nigræ ab atra bile lethales ſunt. Vnde Hipprocrates: *4. aph. 22.* *morbis quibuslibet incipientibus, ſi atra bilis vel ſurſum vel deorſum erumpat lethale*: loquitur de atra bile propriè dicta, non de quouis humore nigro ſic etiam dyſenteriæ ab atra bile lethales ſunt.

PARTICVLA IX.

De deiectione ſpumoſa.

7. aph. 30. A Colore ad ſpumam tranſeo: ad hoc me manuducit Hippocrates, inquiens: *Quibus in alui profluuiis, excrementa ſpumoſa*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

mosa sunt ; iis ex capite pituita defluit. Hanc sententiam indistinctè sumptam Galenus non recipit: quamuis enim fiant aliquando alui excrementa spumosa, pituitoso humore, ex capite ad ventriculum defluente; *fiunt etiam & vasis quæ ad ipsum perueniunt illum effundentibus. Conflari etiam possunt aliquando in ipso ventriculo: cum vnam habeant, vt ita dicam, causam continuam, quomodocunque excernantur, aut fiant; antecedentes verò plures: Est autem huius pituitæ causa continens, flatuosus spiritus, dum humori commiscetur, vehementem habens motum & inæqualem; ita vt & ipse disrumpatur, & pituitam frangat in multas ac paruas partes.*

Gal. com. eiusd. loc.

Attamen spumosam * deiectionem à capite vt plurimũ prouenire, & experimento est compertum, & à ratione non omnino alienum: quandoquidem pituitosus humor consistentiam habens, dum detruditur à longinquo, potest spumam agitatione excitatam conseruare, quàm non conseruaret si aquosus esset. Non est tamen negandum duas alias vias à Galeno allatas possibiles esse, & immeritò à Cardano reiectas: Quid enim prohibet tot flatus in ventriculo, flatuum maxima cloaca, humorem ibi contentum agitare, & in spumas conuertere. Quid etiam prohibet ex iecore, & vicinis venis regurgitare in ventriculo spumescentem humorem.

* Fit defluxio à capite spumosa, propter viarum longitudinem, & consistentiam substantiæ; non autem quia ad pulmones descendit, & ibi spumosa fit; vt existimarunt alioqui Galeno antiquiores, quos ille triplici ratione meritò reprehendit. Prima est, quia ij qui manifestas habent à capite ad pulmones fluxiones, deberent reddere spumosas deiectiones, quod non contingit. Secunda; quia non semper ex pulmonibus spumosus spuitur sanguis, sed solùm quando ex ipsorum substantia effertur, neque in morbo laterali, nisi raro spumosum erit sputum, rariùs in peripneumonia, & aliquo pulmonis abscessu. Tertia; quia materia à pulmone descendens, oportet vt prius ad pulmonis ventriculos perueniat, deindè alteram ex duabus viis accipiat, harum prima est; vt per cauam venam ad iecoris partem gibbam, indè ad cauam, & indè per portas ad intestinorum inuolucra descendat: Altera, vt priùs ad magnam arteriam, deindè ad illam, quæ est in mesenterio feratur: sed quomodo tot venas simul cum sanguine mixta pituita pertransiens poterit adhuc spumosa permanere?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Particvla X.

De deiectionum substantia.

SEd iam ad substantiam deiectionum accedamus, quæ vt vrinarum, debet etiam esse mediocris. Talis quidem dicetur autore Hippocrate: *si mollis constansque sit:* Nam, vt aduertit Galenus, huiusmodi deiectio significat, *coquendi vim validam esse, & digestionem optimam fieri ac præterea nullam in ventris partibus inflammationem adesse.* Si igitur aut arida,& dura aut fluida, & liquida sit, nullam prorsus figuram seruans, mala est. Nam dura significat iecoris, & circunstantium partium calorem vehementem, à quo exsucca, & arida, est reddita. Hinc est quòd capræ perpetua febre laborantes (hoc enim cognoscitur ex herbis,quas morsu ambustas relinquunt, vt Plinius narrat) fæces emittunt durissimas. Quæ verò liquida est, indicat distributionis imbecillitatem, & mesaraïcarum venarum obstructionem, aut humores aliundè in ventrem confluentes,sed præcipuè cruditatem ac proindè imbecillitatem. Sed obiicies Hippocratem dicentem in hunc modum: *Frigiditas quæ in ventre sunt indurat*; Vnde non videtur tribuenda calori induratio, & caloris defectui emollitio. Respondeo obiectioni; posse ab vna, & eadem causa duos effectus contrarios prouenire, dummodo aut vterque aut alteruter sit per accidens; indurat autem fæces & eas molliores reddit frigiditas vtrumque per accidens.

13.prog.13. 1.cris.c.11.

lib.8.c.5.

6.epid. sect. 5.text.27.

Duræ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Duræ deiectionis cauſas ſic ante oculos habeto.

- Fæces indurantur
  - quia diutius quam par eſt in aluo cunctantur. — *Cunctātur.*
    - quia facultas eſt debilis *à ſiccitate: quippe gaudet hæc facultas humido ex Auicenna* 1. 1. *doct.6.*
    - quia inteſtina non irritata pigra reddūtur.
      - propter defectum ſenſus à frigore hebetante.
        - ex catarrho
        - ex paralyſi.
        - ex quolibet alio morbo frigido.
      - propter defectum bilis *in ictericis, in quibus obturatus eſt ductus bilem ad inteſtina deferens idcirco difficile deponunt fæces, eaſque albas nulla bile ſaturatas.*
      - Propter podicem refrigeratum, ſeu quomodocunque impeditum, *ex quo fæces ſurſum remittuntur, vt Galenus oſtendit exemplo eorum, qui negotiis impediti non potuerunt, cum voluntas premeret, fæces emittere.*
  - Propter igneum calorem in iecore & membris adiacentibus. — *Igneus* calor fit.*
    - à cauſis internis calidam intemperiem generantibus.

      * *calor exſiccando indurat: ſiccitatis enim proles eſt induratio, ſicut humiditatis mollities. Propterea à calore inflammationis, omnis glandularum in meſeræo humiditas abſumitur, quâ abſumptâ redditur aluus aſtricta: quippe humorem (auctore Galeno Lib.2. de ſemin.c.vlt.) à glandulis acceptū internæ inteſtinorum tunicæ, ad facilem deiectionem, tempore ſanitatis, fæcibus ſuppeditant. Quocirca non temere à Medicis harum glandularum ſiccitas inter colici doloris cauſas reponitur.*

      Ne tibi difficultatem faciat Galenus 5. *de loc. affect. c.7. qui narrat, Siculum quendam Medicum iecoris inflammatione laborantem, & deiicientem liquida carnium loturæ ſimilia; vnde videtur iecur inflammatum non indurare fæces, ſed emollire: aduerte eundem Galenum ibidem ſcriptum reliquiſſe, inflammatione aluum aſtringi, niſi vnà cum huius viſceris inflammatione, adſit imbecillitas; non autem ſemper imbecillitas adeſt vt ex Galeno addiſces,* 11. *meth.cap. vlt.* 8. *de Compoſ.medic.ſecund.loc.cap.7.*
    - à cauſis externis calorem ad interna remittentibus; *vnde flante aquilone alui indurantur* 3. *aph.*17.

Ad duritiem fæcum duo neceſſariò conſequuntur. Primum vt ſint paucæ; alterum vt difficile deiiciantur. Paucæ fiunt: quoniam materia deficit, cuius exhauſtu ſicciores durioréſque redduntur, materia quæ pars earum eſt, ſi deficit, deficiunt & ipſæ: cúmque remaneant & paucæ, & duræ, difficulter egeruntur. Nam id quod paucum eſt, parum impellitur ab expultrice; durum ægrè fertur.

Alterum deiectionis vitioſæ extremum eſt mollities, cuius ſchema hìc habes:

Deiectio mollis.

- Mollis conſtans, *ſeu mollis & coagmentata; & hæc bonum eſt ſignum: ſignificat enim aluum optimè conſtitutam, tùm in calore ſuaui, tùm in partium vicinarum conſtitutione.*
- Mollis diffluens *ſeu liquida ſeu madens:*
  - Bona,
    - quando *aliquis humor in ventrem defluit.*
    - quando *multum, liberè, & raro excernitur.*
  - Praua.
    - quando *eſt indigena, hoc eſt, facta ob debilitatem coctricis.*
    - quando *eſt aduena, hoc eſt, defluens à capite, aut iecore, aut liente, aut vniuerſo corpore, hæc ſi eodem modo perſiſtat, deterior eſt.*
    - quando *à ventriculo ad iecur non permeat ingeſtus cibus, & propterea ventriculus grauatus illum ad imum ventrem delabi ſinit.*
    - quando *frigiditas in cauſa eſt: venter enim à frigiditate in ſuo opere impeditur.*
    - quando *à mordicante fit cauſa, quæ accelerat deiectiones, vt cæliacis accidit.*
    - quando *ſæpè ac multùm: vigilias enim & animi defectum affert.* } *hæc duo defatigando nocent.*
    - quando *ſæpò ac parum: vigilias affert.* }

PARTI

PARTICVLA XI.

De ſputo.

NOn ſolum alui excrementa, ſed a'iarum etiam partium ſpectanda ſunt: hæc ſi valdè craſſa ſint magnum illius partis ſignificant incendium; vnde Hippocrates: *Quibus in febribus circa dentes lentores fiunt, iis vehementes fiunt febres*, fit enim id (vt Galenus aduertit) ob exſiccationem caloris validè magnam.

4.aph5.3.

Sputum inter cætera coctum ſit oportet, alioquin non ſputũ ſed ſputamẽ, aut ſpuitio appellatur. Debet ergo optimum ſputũ eas habere qualitates, quas habet optimum pus, & optimum ſedimentum; vt ſcilicet ſit album, læue, æquale: quippe ſi alio colore ſit præditum, illius humoris, cui talis color debetur abundantiam ſignificabit. Subſtantia ſit læuis, æqualis, non ſpumoſa, in ſputo ergo magis quàm in alio excremento laudatur mediocritas; nam craſſum atque viſcoſum tenaciter hæret, & fiſtulis pulmonis alligatur, & ſic animali actioni expellenti reſiſtit: ſi nimis tenue ſit impulſum effugit, & vix excreatur, vt copiosè docet Galenus.

1.prog.42.
3.acut.cõ.2.
4.loc.aff.c.9.

Cùm agimus de ſputo, & ex eo in morbis thoracis coctiones cognoſcere volumus, intelligite cum Galeno *partem humoris in inflamatione vincentis: quòd autem in loco inflammato non continetur, ſed foras præ tenuitate reſudat*; hoc tuſſi expellitur: nam illud, quod ex ore, aut gurgulione excreatur, ſaliua potius dicitur, & vt idem alibi ait, eſt de genere pituitæ; illud verò de quò hîc agimus; non eſt ſpectandum in ſanis, imò nec in omnibus ægrotis, ſed in iis tantùm, quorum thorax, aut pulmo inflammatione laborat.

2. diff. feb. cap.12.
3.loc.aff.c.5.

Hippocrates laudat ſputum * *valdè flauo permixtũ*; ita tamen, vt non adiungatur illud *valdè*, flauo: nam ſic ſyncerum fiet quòd ſummopere damnatur, ſed *valdè* mixtum. Id verò quòd de flauo dicitur, intelligito etiam de rubro: nam inflammationes pleuræ, vel ſunt eriyſipelata quæ à flauo fiunt humore, vel phlegmones qui à rubro.

2.prog.43.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Sed videtur hic ſubeſſe inconſtans quædam doctrina. Prius laudaui ſputum album; nunc autem commendo flauum. At nulla hic ſubeſt contradictio: flauum enim non optimum eſt, ſed bonum comparatiuè; erit tamen optimum, cùm ex flauo, aut rubro fiet album. Sic videmus in eryſipelate,& phlegmone externo partem affectam flaueſcere,aut rubeſcere; poſtea verò facta ſuppuratione,albeſcere. Dixi flauum, & rubrum eſſe comparatiuè bonum comparatione facta ad nigrum,quod atram bilem atteſtatur, vt album pituitam: vterque enim humor ex his duobus difficilius coquitur,quàm alij.

2. progn.46. Et quamuis à Galeno ſit dictum, flauum deterius eſſe quàm album: ſiquidem flaua bilis erodit; intelligite Galeni verba de flauo ſyncero: cùm enim tale eſt erodentem qualitatem habet, ſi autem permixtum ſit nulla datur eroſio, & facilitatur coctio.

Collorarium.

Ex his colliges albedinem tum bonam eſſe,quando poſt flauum, aut rubeum colorem aduenit. Vt autem cognoſcas an albedo ea ſit quæ requiritur, attende ad reliquas conditiones. Nam ſi album ſputum eſt à pituità, habebit alia cruditatis ſigna. Ideò Hippocrati dicitur: *Screatio candida,glutinoſa, rotunda,inutilis.* Glutinoſam dixit *inutilem*, quamuis Vega vertat *pernicioſam*; Fuchſius verò *malam.* Cæterùm quòd in Prognoſticis dicitur *glutinoſum,rotundum*; alibi dicitur, *glutinoſum citra coctibilitatem.* Semper quidem *glutinoſum* eſt, dummodo ſit pituitoſum; ſed quòd me ambiguum reddit, eſt particula *rotundum:* Nam cùm omne ſputum, propriam figuram rotundam habeat; non dicetur ſpecialiter rotundum, niſi quando ſeruat rotunditatem; ſeruat autem eam ſi ſit glutinoſum: Cur igitur Hippocrates, adiungit glutinoſo rotundum? exiſtimo nil aliud intelligi per ſputum viſcidum,rotundum; niſi validè viſcidum; quòd ſcilicet à valido calore ſatis conſumptam habeat omnem tenuem ſubſtantiam. Sic vbi Hippocrates ait *ſputum rotundum delirium ſignificare*, Fuchiſius ideò ait, ſignificari ſputo rotundo delirium, quia rotunditas indicat calorem, à quo pituita veluti aſſatur. Cum itaque immodicus calor ſputum rotundum efficiat,

2. prog.46.
1. acut.33.
6. epid. ſect. 3. text.28.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ciat, merito dicitur delirium portendere: siquidem, teste Galeno *causa potestate calidè delirium efficit.* 1. loc. aff. cap. 3.

* Cur valdè permixtum sputum laudetur, causam esse existimant aliqui, quia vehementi mixtione, significatur valida coctio permiscens inter se materias; sed hæc ratio mihi displicet: coctio enim disgregat ethe-rogenea, & congregat homogenea; quare diuersas materias potiùs separabit. Cardanus ait, duo requiri vt bona sit permixtio. Primum, vt sensim materia permiscenda instilletur: nàm & in his, quæ manibus miscemus, si sensim farinæ aqua superfundatur, mixtio bona fit, si confertim nequaquam. Cùm ergo in peripneumonia benè permiscetur humor sputo, necesse est vt sensim transfundatur pus, aut humor in excrementum. Secundum; vt sit paucum id quod permiscetur. Itaque si bene permixtum sit, indicat esse paucum, & secundùm naturam non coactam, sed ex ratione operantem. Verùm subtilitates istas quis tolerabit? Nunquid pure iam facto, materia aliunde instillatur, & quasi manu in thorace malagmatur. Paucitas verò quid facit ad mixtionem? aut quid impedit multitudo? num quia vinum paucæ aquæ permiscetur, non erit benè permixtum? Adiungit ille tenuitatem etiam facere ad mixtionem; & quod tenue est, faciliùs superari: At debuerat meminisse aquosa excrementa ideò esse valdè, perniciosa, quia valdè cruda. Videtur mihi dicendum, sputum, hoc est, partem humoris, qui ab inflammatione secedit, si impermixta sit, synceram esse, quæ maxime damnatur ab Hippocrate citato, qui ait: *Screatio flaua syncera cum periculo est.* Permixtam verò laudat: quia significat humorum benignitatem se se inuicem permiscentium: quippe habent naturam non omnino repugnantem. Hinc est quòd variegatas deiectiones damnauerat, quasi ab humoribus inter se pugnantibus, nec mixtionem patientibus factas. Hoc colliges ex eo quòd bilis flauæ, & atræ pars nimium excrementosa, & repugnans separatur in iecore, & tendit ad sua receptacula, tanquàm mixtionis incapax; pars autem benignior remanet, & cùm reliquis vnam & eandem molem efficit. Itaque cùm pituita non tantùm habet frigiditatis, & viscositatis, nec bilis tantum caloris, & acuitatis, vt simul misceri nequeant, sputum apparet permixtum, & signum laudabile est; aliàs verò impermixta, hoc est, syncera remanens flaua bilis in sputo, periculum minatur.

PARTICVLA XII.

De Sudore.

QVamuis eandem esse sudoris, & vrinæ materiam, eundem generationis modum, à Galeno sit dictum; ac proindè eadem *lib. 10. de simpl. med. facult.*

dem

dem à sudoribus,quæ ab vrinis, prognostica sumi posse viderentur: nihilominus diuersas, sudor, & vrina, præbent significationes: tùm quia (vt Galenusmet fatetur) *sudor plus est elaboratus*, vtpote qui ad cutem vsque permeatis omnibus, quæ intersunt, partibus superuenit: tùm etiam, quia (teste eodem) *sudor succorum, qui in toto corpore continentur nota est, vrina verò eorum tantùm, quæ in venis existunt*. Sunt præterea multa alia, quæ in sudoribus non autem in vrinis considerantur: vt calidúsne, an frigidus? amarúsne, an salsus? de quibus agere erit operæ pretium; illud prius animaduertens posse ex Hippocrate colligi quinque sudoris gradus ad prognosin necessarios, quos prius seriatim placet describere, suo quælibet loco postea explicandos.

ibidem.

4. sanit. tu. cap. 4.

1. prog. 26.

* Idem confirmat Galenus libello de atra bile inquiens, rationi, *consentaneum, esse, ex potu simul ferri quidpiam cùm sanguine simul in iecore genito; quod posteà non per vrinas modò excretionem capessat; verùm per sudores quoque, atque eam quam incompertam sensu, transpirationem vocant.* Itaque congenea est sudoris, & vrinæ materia, & vtraque fit ex sero humorum, ex potione, ex potulentis eduliis: verùm sudor hoc amplius habet, quòd etiam teste Galeno, *ex semicoctis quibusdam fit reliquiis, quæ assimilari nutriendæ parti nequiuerunt.*

Gal. de atr. bil. cap. 2.

1. sanit tuend. c. 12.

Si quæras cuius coctionis sit excrementum, Mercurialis ait, materiam hanc vbi in venis munere suo vehendi cibum functa est, non ampliùs naturæ esse necessariam, & ideò tanquam superfluum quid, & excrementum reputari, non aliter ac semen, ex Aristotelis sententia excrementum dicitur. Sic ille. Verùm quærebatur cur sudor est excrementũ tertiæ coctionis, & ait esse excrementum postquam vehendi munere est perfunctus: at vehendi munus adimpleuit ante perfectam tertiam coctionem; quapropter idem quæsito suo minime satisfacit. In seminis materiâ ratio est diuersa, nam non priùs reiicitur, quàm partes nutriantur.

Minadous videtur velle vehiculum alimenti esse etiam aliqua ex parte alimentum, atque ex huius alimenti residuo, fieri sudorem, qui est tertiæ coctionis excrementum. Sed nescio qua insaniâ ductus, existimauit illud quod est alimenti vehiculum, non esse purum excrementum, sed secum habere aliquam partem, quæ alimenti rationem subeat. Si tamen non alteri, saltem sensui debuerat fidem habere: visus enim ostendit, in sanguine per venæ sectionem extracto, serum adeò purum supernatare, vt nullam secum sanguinis admixtionem habeat.

Melius Gordonius, ait, sudorem, secundùm materiam in secundâ fieri coctione; qua de causa dicitur materia serosa, seu potulenta: secundum verò formam, in tertiâ coctione fieri, ex quâ re dicitur illius excrementum, vt tenuit Galenus. Sic Gordonius. At id quod serosus iste humor post secundam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

cundam coctionem acquirit, non est forma, quæ mutet essentiam rei, sed dumtaxat, vt Galenus air, maior est elaboratio.

10. simpl.

Mihi videtur dicendum sudorem duplici constare substantiâ, in vnum mixtum redacta: videlicet eâ, quæ alimenti vehiculum fuit; deinde eâ, quæ assimilari particulæ nutriendæ nequiuit. Est igitur sudor tertiæ coctionis excrementum, secundùm sui partem, nempe secundùm eam, quæ nequiuit in tertiâ coctione assimilari: sufficit autem vna pars, vt toti denominationem tribuat; sic quatuor humores dicuntur sanguis, cùm tamen sanguis vnus tantùm sit humor.

Vertunt Authores in dubium; An sudor sit euacuatio naturalis: dubitandi occasionem præbuit Galenus, qui solutionem huius difficultatis effugisse videtur; siquidem Dioclis sudorem præter naturam esse existimantis opinionem duram appellauit, neque eam alio nomine reiecit, nec planè recepit; quòd si in aliquo opere eam ex professo refutauit, illud opus non extat Itaque in commentario ad Aphorismos refert Dioclis sententiam, cum suo fundamento: quippe ideò sudorem præter naturam dixit: *Quoniam omnibus, quæ ad corpus attinent, administratis, & alimento à natura subacto, nunquam sensibilis humor per cutem excerneretur. Quæcumque enim in balneis, aut vehementibus exercitiis, vel propter æstiuum calorem, exudant homines, ex causis violentis originem habent.* In libro autem de differentiis symptomatum sic ait: *Fortasse verò dubitauerit quispiam, & de sudore, ceu nec ipse à natura lege incidat: quippe quod Diocles etiam docere tentauit: videtur autem dura esse opinio, & præter rerum euidentiam; tamet si eam maximè probabiliter confirmet*; sic Galenus. Possumus tamen pro Diocle non leues adducere rationes. Nam præter quam quod Galenus affirmat sudorem violento motu confertim erumpere; est etiam consideratione dignum, sudorem nec esse frequentem, nec quotidianis euacuationibus, quæ naturales sunt, annumerari quidem posse. Deinde non omnibus animalibus commune est excrementum: aues non sudant; ea, quæ concreta habent ossa, (inquit Plinius) sudorem non emittunt; insecta, pisces, & nonnullarum specierum animalia, nunquam sudore madescunt. Respondebis fortasse, hoc tertiæ coctionis excrementum in plumas, pilos, squammas, & in cutis duritiem sæpenumero remitti. Ita esto; at homini etiam tertiæ coctionis fuligo in pilos; equo, & boui, in cutem abit, quam habent satis duram, & tamen sudant. Præterea vnicuique excremento natura proprium receptaculum assignauit; bili vesicam fellis, vrinæ, vrinariam vesicam; fæcibus, intestina. Verùm sudori (vt ex Galeno constat) nullus certus à natura meatus præscriptus est. Tandem transpiratio à maiore fit calore (vt Galenus tradit): vel ergo iste maior calor est maior naturali, quod tamen non est dicendum: nam tunc transpiratio esset præter naturam; vel est naturalis & sudor fit à minore. Si igitur fit à calore minori, quàm sit naturalis color, fit ex diminuto calore. Fieri autem ex diminuto naturali calore, probare possumus; quoniam in æstate quando (teste Galeno) calor naturalis est debilis, sudores fiunt maximi: in hyeme quando calor naturalis (teste eodem) est robustus, tunc sudores

1. aph. 15.
c. vlt.
lib. 7. cap. 18.
1. sanit. tuẽd. cap. 12.
ibidem.
1. aph. 18.
1. aph. 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

non fiunt. Pueri etiam, qui plurimo pollent innato calore, non ſudant. Atque ita videtur Dioclis ſententia ſatis, ſuperque ſtabilita.

10. ſimplic. cap. 15.

Nihilominus ex Galeni mente, ſudor euacuatio eſt naturalis: nam cùm dicat ſudoris & vrinæ vnam, & eadem materiam eſſe, adiungit: *Sicut vrina naturalis modicè eſt pallida; ſic & ſudor*; innuens aliquem ſudorem modicè pallidum naturalem eſſe velut vrinam. Verùm ſi hæc verba non omnino eius mentem declarant, profectò quæ alibi ab eo dicuntur manifeſtiora ſunt; inquit enim: *Sudoris autem, vrinæ, & eius quod per aluum, aut per vomitum ruit, genus quidem non præternaturam eſt; multitudo tamen nonnunquam.* Alio etiam in loco ſerum quòd ſudoris materia eſt, in ſingulis partibus, dixit, ſecundùm naturam colligi, etiam in homine optime ſano.

lib. 1. ſect. ad eos qui introducunt. cap 9.
1. ſanit. tuend. c. 12.

Cæterùm vt Diocli faciamus ſatis, qui ſudorem quoniam non niſi adiutus ab exercitio aut balneo erumpit, exiſtimat eſſe præter naturam: ſcire oportet Naturam in excernendis tertiæ coctionis ſuperfluitatibus, diminutam eſſe magis quàm in aliis, tùm quia reliquæ ſuperfluitates acriores ſunt, copioſioreſque in ſuis receptaculis; quare magis excitant expultricem, quæ etiam in receptaculis iis maiore ſenſu præditis magis viget: tùm etiam quia alui & veſicæ excrementa per ampliores vias expurgantur, & auxilio muſculorum abdominis proiiciuntur; ſudor autem per anguſtos cutis meatus, nullo tranſuerſorum muſculorum munere impulſus eiicitur.

Rationes etiam pro Diocle allatæ concidunt; nàm quamuis ſudor non ſit frequens, & quotidianus, veluti reliquæ euacuationes; non ideò à naturalium euacuationum numero eſt reiiciendus: Nam multipliciter dicitur aliquid naturale; & in ſingulis acceptionibus ſudorem naturalem eſſe agnoſces, ſi per ſingulas diſcurras. 1. In primis dicitur Naturale id, quod naturæ eſt conueniens, & hoc quidem modo, ſudores naturales eſſe poſſunt. 2. Secundo modo, naturale dicitur id, quòd à naturali fit facultate; ſic nutritionem & augmentum dicimus naturæ opera, hoc eſt facultatis naturalis, diſtinguitur contra animale, hoc eſt, contra id quòd ab animali facultate fit. In hac ſignificatione ſudor eſt naturale opus: fit enim à naturali expultrice; licet enim D. Auguſtinus ſcribat ſe vidiſſe hominem qui ſudabat quotieſcumque vellet, tamen hoc monſtrum eſt, vt ſunt pleraque ibi ab eodem narrata. 3. Tertio modo dicitur naturale id, quod tempeſtiuè fit; ſic ſunt critici ſudores facti poſt coctionem à natura vincente: iis oppoſiti ſunt intempeſtiui, qui ante coctionem prodeuntes ſymptomatis vim habent. 4. Quarto modo naturalem dicimus euacuationem, reſpicientes ad quantitatem: ſic menſtrua purgatio, quæ naturalis, hoc eſt, naturæ inſtituto fit, ſi excedat iam ſymptoma eſt; ſudor etiam vt ex Galeno iam diximus, multitudine fit præternaturam. 5. Quinto modo Naturale dicitur mobile, quòd in motu naturam ſuam ſequitur: ita grauia naturaliter deorſum; leuia ſurſum feruntur. Sudor (niſi lethalis ſit & frigidus) caloris motum ſequitur, caloris autem propria & naturalis eſt expanſio. 6. Sexto modo naturale dicitur id, quod ſequitur ad opera naturæ, quo pacto ſenectus, & mors, dicuntur naturales in libello de marcore. Aduertendum

16. de ciuit. Dei c. 14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tendum tamen est, aliud esse quippiam ad naturæ opera, consequi, aliud quidpiam ad naturæ opera necessariò consequi. Id quod ad naturæ opera necessariò consequitur, propriissimè naturale est; vt sunt excrementa alui, & vrina, & difflationes, quæ sensum latent, & senectus, & mors: hæc enim omnia necessariò, suppositis naturæ operibus, debent consequi. Quæ verò consequuntur quidem naturæ opera, sed non necessariò, naturalia quidem sunt, sed minùs propriè quàm priora; sic sunt mucus ex naso, ptyalismus ex ore, lacrymæ ex oculis, & in horum censu reponendus est sudor. Nam quamuis euacuatio quæ fit per cutim sit necessaria, ea tamen quæ insensibilis est, sufficit ad sanitatem tuendam, vnde sudor, si adueniat, non erit præternaturam: verùm quoniam sine eo constabat sanitas non erit priori, sed posteriori modo naturalis. Puto ergo Cælium Rhodiginum huic veritati proximè accessisse, siquidem ex vna parte Dioclis opinionem absurdam vocat, quia sudor non est præter naturam, vt Diocles arbitrabatur; ex alia voluit sudorem esse ex genere eorum, quæ non naturæ sed industriæ nostræ debentur. Quare falsò Minadous conciui suo (præhabita inani veniæ, precatione) imponit, quòd Diocli assentiatur.

7. Septimo modo naturalis dicitur euacuatio, ratione materiæ & loci; quare sudor sanguineus, vtróque modo, præter naturam est: nàm sanguis (si menstrua,& criticas hæmorrhagias excipias)nunquã ex naturæ instituto euacuatur, sed semper quoad fieri potest, retinetur: prætereà cutis non est apta sanguinis eductioni via; sudor & ratione materiæ, naturalis est euacuatio; siquidem ex tertiâ superfluit coctione: & ratione loci, quoniam cutis est huic excremento destinata,& ita alteri oppositioni fit satis, quæ sudorem è naturalium euacuationum numero excludebat, quoniam non habet sicut reliquæ euacuationes, destinatum à natura locum. Habet quidem: nàm cutis,teste Galeno,initio sui ortus, tota sibi continua, temporis spatio perforatur,& plurima nanciscitur spiramenta,per quæ(vt idem alibi ait) difflatur semper aliquid à calido, quòd secum etiam interim humoris non parum defert. Reliqua quæ pro Diocle afferebantur se ipsis soluuntur: si námque nec aues nec crustacea sudant, homo & quàm plurima animalia sudant; id non arguit sudorem esse præter naturam, sed esse quidem naturalem non penitus necessarium. Si transpiratio fit à maiore calore, non ideò sudor fit à calore debili, sed à calore quidem fit aucto, dummodo si magis augeatur, materia magis attenuata insensibilis fiat. Corpora in hyemali tempore & corpora etiam puerorum non sudant, quia cutis astrictio,& densitas impedimento est, vnde,fit vt vrina his multiplicetur.

1 simpl. ed. facult. c. 13. 2. temp. c. 5.

SVDORIS GRADVS.

- Sudor
  - Calidus
    - ex toto corpore;
      - Vel soluit morbum, *& fit in die decretorio, cum signis coctionis:* — optimus; *& hic est primus gradus.*
      - Vel non soluit morbum, *habet tamen reliquas bonas conditiones;*
        - vel facit vt æger, meliùs ferat morbum, — bonus: *& est secundus gradus.*
        - vel nihil facit, — inutilis; *& est tertius gradus.*
    - ex aliqua parte — miliiformis — malus; *& est quartus gradus.*
  - Frigidus — siue ex toto corpore, siue ex aliquâ parte, *in febre acutâ,* — pessimus; *& est quintus gradus.*

IN COACIS AD TRES GRADVS IN HVNC MODVM REDVCVNTVR.

1. *Sudor quidem ille est optimus, qui die critico febrem exoluit.*
2. *Vtilis autem, qui leuat.*
3. *Verùm qui est frigidus, ac solùm circa caput & collum exudat, prauus; etenim & ad diuturnitatem, & ad periculum, talis apparet.*

Maioris distinctionis gratiâ, sex in sudore ad significandum requisita, proponuntur.

1. *Tempus.*
2. *Locus.*
3. *Quantitas.*
4. *Modus.*
5. *Duæ primæ qualitates, Frigiditas, Caliditas.*
6. *Tres secundæ qualitates, Color, Odor, Sapor.*

TEMPVS.

Dixit Hippocrates sudores esse optimos, si fiant in die decretorio, & integrè soluant morbum; non tamen vnaquæquæ istarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

iſtarum conditionum ſeorſim eſt capienda, ſed ita vt vtraque, ſimul fiat vna: quippe ſi ſeorſim acciperentur, Prior communis eſt * reliquis euacuationibus; omnes enim in die decretorio, vt ſint optimæ fieri debent: Poſterior, nempe vt integrè ſoluant febrem, per ſe ſolam, inartificioſa eſt: quippe ſcire ſudorem eſſe optimum poſtquam integrè ſoluit morbum cuilibet vel plebeio licet. Vtraque ergo coniunctim accipi debet quod indicat coniunctio [&] efficit námque ſenſum: Sudor in die decretorio, & integrè ſoluens febrem, * optimus eſt, quia ſolutio iſta eſt ſine recidiuæ timore.

* Hoc ita intelligas velim, vt quemadmodum euacuationes criticæ ſemper ſunt laudabiles, ita ſymptomaticæ aliquando non prorſus damnentur: quid enim prohibet euacuationem in principio aliquando vtilem eſſe? Si conſulas experimentum non deerunt exempla apud Hippocratem, multorum, quibus ſymptomaticæ euacuationes non lethaliter contigerunt. Nec Galenus diſſentire videtur, ſi quidem in Sileno papulas octauâ die exeuntes, quæ verè ſymptomatis rationem habebant, tantùm abeſt vt damnet, quin potiùs exiſtimat hanc fuiſſe cauſam, cur non ita præſtò à maligniſſimo illo morbo fuerit occiſus. Legito hiſtorias Herophontis, Metonis, Vxoris Epicratis, Clazomenij, Melidiæ, & Chetionis; vbicunque, reperies ſine malo, imò cum vtilitate, euacuationes non criticas. Sed quid in hoc immoramur. Nonne ſurgens materia ſtatim euacuanda eſt, ex communi, & ſatis vulgato Hippocratis decreto? euacuet igitur hanc in principio natura; profectò ſi euacuatio ab arte facta, eſt vtilis, vtilis etiam, quæ à natura fit, cenſenda eſt. Timent omnes nè euacuatio iſta, ante coctionem facta, magis virium expugnatione, noceat, quàm materiæ diminutione proſit; ſiquidem euacuatio iſta non fit ab expultricis opere ſed à retentricis impotentia. Hoc ita poſſe accidere, non eſt negandum, quod Medicus conſideret oportet: ſi enim euacuationem fieri, abſque ægri tolerantia agnoſcit, medicamentis obſiſtat oportet, ſin æger leuiter ferat, ſperanda eſt, ſimul cùm tolerantia, etiam conferentia. Nec verò ſemper culpa reiicienda eſt in debilitatem retentricis, ſed vt plurimum in materiæ eo tempore redundantiam, quæ ſi adeſt, non eſt cur non euacuatio iſta ſit, ſaltem ratione cauſæ, vtilis; quamuis ratione ſigni ſit praua: ſignificat enim Naturam humoris, vel qualitate, vel quantitate, adeò moleſtari, vt non expectata coctione (quam alias ſi ſui iuris eſſet, expectare debuerat) euacuet. Diximus ſuperiùs, poſſe aliquid eſſe bonum vt cauſam; malum vt ſignum; hoc, non deſunt, qui negent; quoniam omnia vt ſe habent ad eſſendum (vt Philoſophi loquuntur) ita ad ſignificandum; quæ ergo bona ſunt, bonum ſignificant; rurſus quæ mala, non poſſunt non malum ſignificare. Sophiſtica eſt iſthæc argumentatio. Rectè

1. epid.

1. epid. ſect. 3. ægr. 3. ægr. 7. ægr. 5. ægr. 10. ægr. 14. & 3. epid. ſect. 2. text. 5.

ſupra 1 parte c 4 particul. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

quidem probat, id quod v.g. malum est, malum significare; non tamen solum malum: nam res, vnâ tantùm ratione sunt; multis rationibus significant: Atque ita potest ex vno malo, aut ex vno bono, & bonum, & malum signum accipi, diuersis tamen rationibus. Prudentis tamen Medici est, iustâ bilance ponderare quodnam ex duobus signis præualeat: vt in casu de quo agimus, euacuatio in principio, si adsit tolerantia, bona est; erit tamen quia bona, bonum signum; quia tamen extra tempus, malum. Erit quidem bonum signum, ita vt est bona; est autem bona, quia materiam minui significat bonum, nempe materiæ minutionem; ex altera parte est extra tempus, significat ergo malè, nempe naturam non potuisse extra tempus sese exonerare, nisi summopere molestatã, cúmque non perfectè exoneretur (euacuatio enim quæ fit extra tempus, perfecta non est) significabit malum in corpore relictum: Quòd si perfecta aut perfectioni proxima sit euacuatio, in hoc vti dixi, Medici prudens consideratio suo officio fungi debet. At dices cum Galeno in principio nihil excerni naturæ ratione sed esse omnia, symptomata: hęc ratio valet, ad probandum Naturam in symptomaticis euacuationibus, non se habere, vt victricem, neque enim expellit post consequutam victoriam quàm obtinere non potest nisi mediante coctione: expellit autem quia tantus aut talis humor retentricis superat capacitatem, atque ideò quasi aliud agens, id agit, quòd in suam vtilitatem redundat. Porrò symptomatis ratione, non Naturæ sui compotis decreto, fit euacuatio in principio; neque idcirco statim supprimenda; quippe multoties temerè id fieret, sed attendendum ad normam Hippocraticam, si enim ex parte ægrotantis, adsit quælibet tolerantia, si ex parte ægritudinis vel conferentia manifesta, vel saltem nulla deterioratio, (quam appellabo occultam conferentiam) relinquenda euacuatio est, imò potiùs si vires tolerent, etiam adiuuanda; sed huius rei (vt iam non semel dixi) Medicus est æstimator, cuius prudentiæ aliquid in arte Medicâ, quòd scribi nequit, relinquendum est.

1. aph. 22.

** In optimis nihil esse moliendum, docemur ab Hippocrate: *Quæ iudicantur & iudicata sunt integrè, neque mouere neque nouare, siue medicamentis siue aliter irritando, sed sinere.* In bonis, quia imperfecta est crisis, adiuuanda est; vt artis beneficio consequamur id quod Naturæ opere consequi non potuimus; quam doctrinam in lib. de humor. nos docuit Hippocrates. Galenus præcitatus id etiam docuit, inquiens: *Vti verò non integrè iudicantur, id quòd defecit, supplere nos oportet.*

1. aph. 20.

Corollarium.

Cùm conditio isthæc, qua requiritur, vt sudor optimus dicatur, duabus simul constet partibus; quòd fiat in die critico; & quòd integrè soluat morbũ: colligito hinc alterã tantùm nõ sufficere; sed tantùm sudorem, ab optimi ratione deficere, quan-

tùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tùm ab vtriusque conditionis perfectione infra subsistit. In primis accipe sudorem non in die critico, sed qui integrè soluat morbum; sudor hic ex defectu primæ partis fidem non meretur. Sic *Pythion die decimo*, non decretorio *sudauit, & iudicatus est*, non tamen admodum fideliter: siquidem *quadragesimo, à iudicio, die, suppuratio circa sedem, & stranguriosus factus est abcessus: Probabile, multitudine vrinarum, quadragessimâ sanatum.* Per sudorem integrè à febre fuit liberatus, quæ est vna conditionis pars (hoc enim significat, *indicatus est.*(si verò hoc contingeret in die critico, quæ est altera, & prior conditionis pars, tunc fida esset salus: Porrò, non contigit: quia die decimâ sudauit: Rursus accipe sudorem in die critico euenientem, qui febrem non integrè soluat; hic etiam infidus est. Euryanactis filia *septimo die*, præcipuo inter iudicatorios, *riguit, incaluit, sudauit.* Sudor hic habuit priorem conditionis partem; nempe fuit in die critico, non habuit alteram, quia nempe non soluit febrem, *sed sudauit, incaluit.* Quid accidit, nempe puella tandem periit.

3 epid. sect. 1. in princip.

3. epid. sect. 1. ægr. 6.

Appendix.

Licèt Hippocrates laudans sudorem, in die decretorio factum, qui omninò soluat febrem; nihil aliud videatur requirere ad optimi sudoris constitutionem: addenda tamen sunt decretorio diei reliqua quæ optimam crisim efficiunt, inter quæ coctionis notæ præcipuum habent locum. Hæ, si vel in septimâ, vel in decima-quartâ, vel in qualibet aliâ, ex decretoriis diebus desint, crisis spem omninò tollunt. Idcircò *Pythionis*, quem iudicationem habuisse infidam diximus, *vrinæ, circa iudicium, erant tenues*: & ille qui in Dealcis decumbebat horto, vsque ad vigesimum, in quo sudauit, *habebat tenues*; ideò non priùs quàm quadragesimâ *ex toto, perfectè iudicatus est.*

3. epid. sect. 1. ægr. 3.

LOCVS.

Vel sudor fluit ex toto corpore, vel ex aliqua, aliquibusvè partibus. Ex toto corpore, in morbo vniuersali, vt est febris, laudabilis est: ex aliquâ parte, significat ibi causam morbi adesse

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

4.aph.38. esse, sic Hippocrates: *Vbi sudor, ibi morbus*; hoc est, ibi causa morbi. Cæterùm in febre, in quâ sudorem vniuersalem, in die critico non secus expetimus, quàm agricolæ pluuiam in tempore suo, si non vniuersalis, sed particularis, circa caput, collum, & thoracem aduepiat, mali ominis est: Nam isthæc sudatio, vel significat humoris redundantiam, vel retentricis defectum: vtrúmque verò in his partibus, quæ principalium membrorum, cerebri, & cordis, sunt assecłæ, perniciosum est. Porrò si contingat, in his duntaxat partibus, sudores fieri, triplici nomine praui habentur: Frequentiâ, quæ vires resoluit; Paucitate, quæ critica esse nequit, & Dignitate affectarum partium. Cùm verò animalium instrumentorum regio, sit superna illa, * pectus, collum, & ** caput; si ibi sudor duntaxat fluat, animalis facultas in periculo iactatur, & mala, quæ ad eius ruinam consequuntur, expectare, licet: Sic, *in moribundis*, teste Galeno, *frontis, colli, & partium earum, quæ ad pectus pertinent, sudor facultatis animalis imbecillitatem indicare plerúmqu evidetur*. vnde ex sudore circa fontem frigido, syncopem adesse; ex calido, futuram præcognoscimus vera itáque est sententia in Coacis; *Qui supernè sudant in perfrigerationibus, non sine febre, perniciosè habent*; Dixi *supernè*, hoc est, circa caput, ceruicémque.

6.epi. sect.7.

* Si quæras cur sudores, partem non posticam dorsi, sed thoracis anticam frequentiùs occupent; cùm tamen cor æquè distans, ab vtráque parte, vtrique suum eximium calorem æqualiter largiatur? Respondeo cor in medio quidem thorace, collocatum esse; non tamen æquè posteriora, & anteriora calefacere: quippe eius calor retrò infringitur, tùm propter crassitinem interpositorum musculorum, & ossium, tùm propter frigiditatem spinalis medullæ, & vertebrarum: ideóque fit vt rigores per dorsum inuadant, calor, & sudor, in pectore & ventre magis vigeant.

** Aristoteles sect.2.prob.10.& 17.& sect.36.prob.2. cui adstipulatur Teophrastus lib. de sudoribus, dicit sudorem maximè circa faciem contingere: quia cerebro naturâ humido subiacet: addit etiam cutis raritatem. Forsitam meliùs hîc referes in calorem sursum ascendentem, & vapores secum deferentem quod Theophrastus videtur sensisse, spirituum distentioni hoc etiam attribuens. Malè ergo Aristoteles negat sudorem sursum ferri; fertur quidem sursum materia sudoris, hoc est, vapor; quemadmodum in aëre vapores in pluuiam abituri, sursum feruntur.

QVANTI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

QVANTITAS.

Sudoris non quælibet quantitas, sed copiosa, ad perfectam crisim requiritur. Ideò, *qui* in Dealcis decumbeat horto, sudauit multùm, & perfectè iudicatus est; è contrario sudor exiguus damnatur, imò apud Galenum, generale in omni euacuatione est hoc præceptum: *Excerni pauca in ægris, vnum quoddam ex signis est, quæ ex toto prauitatem habent; siue sanguis per nares excernatur, siue deorsum per ventrem, siue per vomitum tale quippiam, quod superfluum sit excernatur: idem & in sudoribus est, & iis quæ per vterum excernuntur: Nihil etenim eorum, quæ decretoria existunt, exiguè secerni conuenit; sed quæ ita euacuantur omnia, duorum alterum subeunt: nam vel quòd non queant tolerari ob copiam, ab affectis effunduntur partibus, vel imbecillitatem ostendunt naturæ, quæ proponit quidem superflua excernere sed nequit.* Hoc idem antea iam dixerat in hunc modum. *Quæ vel tubercula, vel pustulæ ex imò ad cutem enata recurrerunt, grauissimum omnium existunt: sudores quoque, qui ceperunt quidem, sed protinus cessauerunt, praui sunt: Deiectiones item, & quæ per sanguinis eruptiones, vel in mulieribus per vterum euacuantur; omnia siquidem hæc deteriora iis sunt, quæ nullo apparent pacto, si vbi ceperint cessent. Cõtingit enim interdum coquentẽ adhuc contristantia Naturam, nondum ad horum expulsionem excitari: in illis verò, quæ ceperunt quidem, sed protinus desierunt, apparet veluti excitatio quædam, conante Natura excernere, quæ molesta sunt; atque ita quæ ob imbecillitatem, proposuerat, perficere nequeunte.* Hæc sic diffusè placuit transcribere: quia nil melius circa hoc dici, excogitariuè potest; vt intelligas sudorem diminutum, Naturæ impotentiam significare. Non me latet posse paucitatem sudoris alio etiam nomine esse prauam: quia scilicet (sed hoc pertinet ad modum) sudor per expressionem à partibus solidis eductus colliquatiuus, & subindè perniciosus est, & talis nunquam potest copiosus esse. Placet mihi animaduersio Mercati ad sententiã illam, quæ habet. *Sudores febricitãti si inceperint boni &c.* videlicet verbum, *inceperint*, alterius sudoris successionẽ importare; ne incipiant & protinus cessent, quod Galenus, suprà meritò damnauit, & frequenti confirmatur experimento. Itáque iure opti-

3. epid. sect. 1. ægr. 3.

sect. 2. in 1. prorrh. com. 47.

sect. 1. in 1. prorr. com. 1.

4. aph. 36.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

mo in Coacis dicitur: *Acuti morbi ſudore multo iudicantur.* Et rurſus in eodem opere: *Qui exiguo ſudore madent, cum febre, in metu ſunt mortis.* Meritò etiam Hippocrates ferè ſemper, *ſudores* in plurali laudans, denotat eorum multitudinem eſſe bonam.

Exceptio Prima.

Sudores multi, qui febrem nec ſoluunt, nec minuũt, inter inutiles reponantur. Sic intelligito ſententiam illam: *Sudor multus, ſi cùm febribus acutis fiat, inutilis*, Dicitur, *cum febribus*, quaſi dicatur, nec ſoluens, nec minuens febrem; ſed in eodem tenore relinquens: hic ſi continuauerit, exolutione virium, poterit eſſe malus, iis omninò exolutis, peſſimus. Idcirco Galenus in commento prædictæ ſententiæ timet, ne ex hoc multo ſudore, non multo poſt virtus exoluatur. Optimus fuit Abderitanæ virginis ſudor, quippe multus, & qui febrem, ſurditatémque penitus exoluit. *Cleonactes* quoque *multum ſudauit, prorſus iudicatus eſt.*

1. prorrh. 23. *3. epid. ſect. 3. ægr. 7.* *1. epid. ſect. 3. ægr. 6.*

Exceptio Secunda.

Laudauimus ſudorem multum, intelligito, dùm non ſemper fluat, quippe ſemper fluens ab Hippocrate damnatur dicente: *Sudor plurimus frigidus, aut calidus, ſemper fluens*, (non in ſummo duntaxat vigore, ſed in principio etiam, & augmento, vt redundantiam ſignificet) *frigidus maiorem*, (hoc eſt longiorem) *calidus minorem* (nempe breuiorem,) *ſignificat morbum.* In hoc ſenſu, prognoſis ſumitur à causâ; ita vt calidi ſudores ſint à calido humore, à quo morbi fiunt breues; frigidi ab humore frigido, à quo ægritudines eueniunt longæ. Sic in ſimili; *dolores antiqui frigidi, noui verò calidi* appellantur ab Hippocrate. Sunt etiam in calidis morbis meliores, quàm in frigidis: quoniam calidi morbi acuti ſunt, & ſudoribus iudicari ſolent; morbi autem longi (tales ſunt frigidi) ſudoribus non iudicantur.

6. epid. ſect. 1. *6. aph. 36.* *4. aph. 36.*

Exceptio Tertia.

Multitudo ſudoris, homini alias ob cauſas, hoc eſt ob alias

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

euacuationes debili existenti, adeò noua est, vt in Coacis, sic scriptum legatur, *Si cui post diuturnum alui profluuium, biliosa vomenti, & cibos aduersanti, sudor effluat multus, repetentè interimit.* Ratio manifesta est. Nam si debilis æger à diuturno alui profluuio, & frequenti bilioso vomitu, sudet copiosè; sudor ille, & vt causa, & vt signum, prauus erit. Prauus, vt causa; quia tanta sudoris quantitas, vires debiles, omninò prostrabit: vt signum; quia à debili, expultrice, (qualis in ægro debili existit,) debilis euacuatio expectatur: Quòd si tunc multa eueniat, non expultricis vim, quæ exigua est, sed retentricis arguit debilitatem, quæ debilitati totius consentit. Si quis autem obiiciat Galenum dicentem, sudores nunquam sequi ad copiosum sanguinis profluuium, quia omnis humor euacuatur, sciat oportet sudorem, qui post hæmorrhagiam copiosam sequitur, non fieri ab humoribus, sed à partibus solidis, per resolutionem propriæ substantiæ; & dicitur diaphoreticus. *6. epid.*

Exceptio Quarta.

Non eadem sudoris in sanis, & in ægrotis est prognosis. Nam in ægrotantibus multus sudor, adiectis reliquis conditionibus optimus erit. Sanorum *sudor multus per * somnum factus, corpus vti copiosiori cibo indicat; si verò cibum non assumenti, hoc accidat, scire expedit, quòd euacuatione corpus indiget.* Itaque aut multitudinem cibi, aut (si multus cibus non sit ingestus) serosorum humorum indicat multitudinem. *4. aph. 41.*

* Cur dormientes, quàm vigilantes sudant magis? Bis quærit hoc in suis Problematibus Aristoteles; & in primis ait id fieri, *ob repercussionem, collectus enim calor internus humorem expellit.* Deindè diligentiùs rem speculatus, ait, sudoris originem, nempe vtrámque causam efficientem, & materialem intrinsecus esse: efficiens est calor; materia, humor; quare internus calor, qui in somno viget magis, internum humorem diffundens expellit. Semper autem aliquid è corporibus nostris defluit, sed exile est, & subindè insensile: nam tenuitate suâ exhalat, non adhæret; si verò materia multa fuerit, non ita potest attenuari, quin adhæreat meatuum parietibus, & in sudorem condensetur. *sect. 2. probl. 16. & 28.*

Adde coctionem maiorem, per somnum fieri; ex maiore autem coctione plures halitus eleuantur, & hi non per cutis raritatem, sicut in vigilia, insensibiliter transpirant, sed dormientium cuti densiori occurren-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tes concreſcunt. Facit præterea ad materiam in ſudorem condenſandam quies, quâ dormientes ſepulti iacent: quippe vigilantium motus, vapores diſſipat. Accedit, quod in ſomno reliquæ euacuationes cohibentur, quarum inopiam copioſo ſudore naturam ſupplere par eſt. Demùm adiuuat expreſſio, quæ fit in perturbatione & recurſu humorum denſitati cutis occurrentium; adiuuat ſimiliter retentricis ob calidi innati abſentiam, imbecillitas.

Exceptio Quinta.

Multos ſudores à laudabilium numero reiicies, ſi multos abuſiuè appelles: appellabis autem abuſiuè multos, eos, qui, licèt pauci, continui tamen ſunt. Abuſiuè etiam multos, dicimus eos, qui breuibus redeunt interuallis. Vtrique horum ea carent vtilitate, quam in verè multis reperiri diximus. Nam frequentibus hiſce ſudatiunculis & vires proſternuntur,& materiæ parum euacuatur.

Exceptio Sexta.

6.epid. ſect. 2.text 33. in com. præcitatæ ſent. & 3. acut.cō.17. 4.aph.32. 7.aph.61.

Cùm multos ſudores laudas,ne ita multitudini faueto, vt * immodicos recipias. Idcircò ſapienter,vt ſolet,Hippocrates ſudores quanti ſint iubet conſiderari:quia nempe,vt Galenus annotauit: *Exceſſus multitudinis noxius eſt: vires quippe debilitat.* Meritò ergo à magno Magiſtro ſudor *ſuperfluens* damnatur; vt intelligamus alium eſſe multum, alium ſuperfluentem.

d. ſectis ad eos qui introducuntur cap.9.

* Attamen ſuperfluitas, ſemper, factâ ad vires collatione, debet inſpici: ſiquidem Galenus quoſdam vidit, quibus tantùm ſudoris effluxerit, vt plumas etiam madefacerent, ſed tamen inter hæc nihil illi viſum eſt eſſe ſedandum: quoniam educebantur, ea quæ moleſta erant,hoc eſt,quoniam aderat conferentia & tolerantia: ſi enim talia purgentur,qualia purgari oportet, confert & leuiter ferunt; ſi aderat tolerantia, aderat virium robur ad eam euacuationem requiſitum. Demùm quemadmodum id,quod toleratur, licèt multum ſit, non adhùc eſt ſuperfluum; ita id quod ſine tolerantiâ accidit, ſuperfluere cenſetur: hoc enim debemus ſiſtere, illud ſinere.

MODVS.

Excundi modus in ſudore triplex eſt, *Expreſſio*,*Excretio*,*Exolutio*. Hoc mente ſeruare oportet,vt ſciamus quando ſudor confertim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

fertim erumpens bonus eſt, aut malus: quando rurſus ſenſim exiens laudari, damnaríue mereatur. Is qui fit per *expreſſionem*, ſi in doloribus fiat, anxietudinis vehementiam indicat, ſi fiat propter venarum, ab humore nimio, diſtentionem, initio febris, diuturnitatem ſignificat; ſed ſiue hâc ſiue illâ de causâ eueniat, ſenſim effluit. Qui per *excretionem* effunditur, hoc eſt, vi Naturæ, id, à quo moleſtatur, expellentis; modò in aliis, bonæ criſis leges obſeruet, vbertim prorumpens morbum ſoluit; ſenſim effluens, poterit morbum minorem reddere, & quò melioribus fuerit ſtipatus ſignis, eò laudabilior erit. Denique ſudor vbertim fluit, vel periodicè, vt in tertianâ; vel criticè, vt in cauſone. Quorum ille facit vt morbus facilior reddatur; hic, vt omninò ſoluatur. Si fit per *exolutionem* partium colliquatarum, ſemper ſenſim fluit, & hic eſſe ſolet ſudor ille * miliiformis, quem Hippocrates damnauit, vt plurimùm circa frontem duntaxat, roris ſimilitudinem habens, & propriè ſudatiunculæ nomen meretur, prauúmque omninò eſt ſignum.

* Actuarius ſudores milium ſpecie referentes, oſtendere ait meatuum anguſtiam. Actuarium reprehendit Mercurialis; cùm enim miliiformes ſudores craſſiuſculi ſint, multum abeſt vt adipiſcantur craſſitiem ex meatuum auguſtiâ. At fallitur Mercurialis; nam miliares minus craſſi ſunt, quàm ij, quos in guttas conglobari videmus miliaréſque appellantur, quia exiguas guttas granorum milij æquales præ ſe ferunt. Igitur iſti miliares, cùm per expreſſionem fiant, meatuum anguſtiam poſſunt ſignificare.

lib. 1. meth. c. vlt.

lib. 3. d. excrement. c. 1.

Exceptio.

Licet excretio ſudoris, quæ confertim fit, vtilis ſit quæ verò ſenſim, damnanda; vt potè aut impotentiam naturæ, aut humorum arguens renitentiam: nihilominùs etiam ſudores confertim prorumpentes in virium reſolutione, pernicioſi ſunt; ſenſim autem exeuntes conferunt. Iterum tamen repeto, vt ſudor iſte, ſit factus per excretionē, non per partium exolutionem.

QVALITATES PRIMÆ.

Sudor aut eſt calidus, aut frigidus. Sudor calidus, niſi alias habeat adiunctas prauas conditiones, nunquàm ab Hippocrate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

4.aph.42. damnatur; frigidus nunquàm laudatur. Iam diximus ex Aphorismo (*calidus sudor minùs, frigidus magis morbum significat*) idem esse, magis morbum significare; ac si dicamus significare maiorem morbum: quia longiorem. Addo nunc etiam maiorem: quia periculosiorem: si enim febris *acuta*, sudorem non potuit calefacere; vel paucitas & ferè extinctio caloris adest; vel humores multi, & indomiti, qui nequeunt à calore vinci. Hoc 4.aph.37. accipe à Galeno in sententiam illam; *Frigidi sudores, cum acutâ quidem febre, mortem; cum mitiori autem, longitudinem morbi significant.* Tunc sic. Sudor frigidus, si à multitudine fiat humorum frigidorum, qui longo tempore, ad sui emendationem indigent, *cum febre acuta*, lethale erit signum: febris enim hæc priùs corpus dissoluet, quàm humores cicurentur; cùm *febre autem tepidâ*, quæ inducias præbet, non ita: cùm enim hæc febris non anticipet ægrotantem dissoluere, poterit diuturnitate humores concoquere; sed quia multi, & frigidi sunt, tempore indiget longiore. Atque ita frigidus sudor quemadmodum in acutâ febre est perniciosus; sic in mitiore, longitudinem magis quàm periculum indicat. Philiscus valdè malignâ febre comprehensus, frigidum sudorem, toto morbi tempore, habuit, & tandem periit. Dromeadæ vxor sudauit per totum corpus, frigidum, & quamuis citò recaluit, citò tamen mortua est.

lib.4.c.13. * Frigidi sudoris causam in meo de Meteoris Microcosmi libro, satis superque declaraui, quare ne iterum quæ semel scripta sunt, repetere cogar, illuc te remitto.

QVALITATES SECVNDÆ.

Quilibet humor suum habet proprium colorem; ex quo deiectionum naturam, imò & vrinarum, cognosci diximus, ex eodem etiam sudoris* colore vult Galenus vt sudoris qualitas cognoscatur; quemadmodum etiam ex odore, & sapore; idcirco de his aliquid dicere institui, ne hac etiam in parte, tibi noster deesset labor. Sudoris, in homine naturaliter se habente, colorem, colori vrinæ videtur Galenus comparare; *nam sicut vrina* (ait ille) *naturalis, modicè est pallida; sic & sudor.* Sapore etiam non distat ab vrinâ: siquidem *sudor naturalis euidenter salsedinem*

4. sanit. tuend. c.4. & pluribus aliis in locis.

1. simpl. med. facult.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

nem habet, sed obscurè amaritudinem. Neque hoc præter rationem, siquidem, *aliquid biliosæ substantiæ habet*; & vt idemmet alibi notat; *biliosa substantia tenuis, quotidie cum sudore exit.* Hæ sunt sudoris naturalis notæ, à quibus si degeneret, præter naturam erit, qualis in ægrotis conspicitur. Hoc vt comprehenderet Galenus, iubebat ægrum, vt sudorem suum gustaret, sumpturus scilicet ex sudoris sapore in hanc vel illam partem mutato, humoris qui euacuabatur diagnosim. Hoc etiam vel Medico non iubente accidere, ait, quoties ægro spontè sudor in os defluit. Si itaque sudor nimis amarescat, bilis redundantiam vt in morbo, regio, indicat: si acidus sit, simul cum nigritie, melancholicum attestatur humorem: si contra colorẽ tùm saporem frigidę pituitę induerit; quemadmodùm dulcis, calidorũ pituitam demonstrabit; sic insipidus, pituitam naturalem. Omitto sudorem sanguineum; hic enim & meatuum raritatem & sanguinis tenuitatem declarabit. Itáque eodemmet auctore: *sudores odorem, colorémque, excremento, quod euacuatur, similem habent.* Porrò vt tam coloris, quàm odoris, quàm etiam saporis, exempla habeas transcribam tibi eiusdem verba, vbi considerandam proponit sudoris exeuntis naturam: inquit igitur. *Hic námque partim acidus, partim salsus est, partim veluti lutum, aut virus planè olet: licèt autem hoc ex strigili deprehendere, cum lauantur: sæpè námque amarus planè apparet, qualis vtíque morbo regio laborantibus emittitur: eius verò dignotio etiam citra gustum, facilis est, ex solo colore: quippe pallidus, pro eiusmodi bilis ratione, apparet. Sæpe tamen post validissimos labores, & vehementem æstum, planè flauus conspicitur: Aliquando medius, atque ex ambobus mixtus cernitur, veluti quodammodo ex pallido flauus.*

14. met. c. 1.

4. sanit. tu. c. cit.

4. san. cit. de officina med. sect. 1. cons. 3. de diff. sympt. c. 5. & alibi.

3. sympt. caus. c. 2.

4. sanit. tuend. cit.

* Auctor omnium, in arte Medicâ, bonorum Hippocrates, qui multa, multis in locis, de sudore scripta reliquit, nihil vsquàm de eiusdem colore, odore, saporéue nos docuit: quoniam fortasse à solidâ doctrinâ, quam ipse profitebatur, hæc consideratio visa est aliena. Nam causones & tertianas, vel exquisitas, vel exquisitis proximas, sudoribus iudicari vidimus, nulla factâ in huiusmodi qualitatibus mutatione; idem námque erat color, idem odor, & sapor, qui in sudoribus sanorum, conspicitur. Quòd iictericis sudor amarior sit solito, si etiam flauior, nil mirum: nam cutaneus humor, non potest non euacuationem quæ per cutem fit suis qualitatibus inficere. Hoc tamen scire, quid prodest? Fœtidos sudores in multis sanis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſanis conſpeximus, ſúntque nonnulli quibus pedes graueolente ſudore, vt plurimùm madent: noui Virginem nobiliſſimam, hac turpitudine infectam; ſed hinc nullam ad morbos effatu dignam coniecturam facere opus erat. Hæc tamen in Galeno ſunt tolerabilia, illud verò in eo tolerare nequeo, quod ſicut in aliis excrementis, ſic in ſudoribus coctiones ſpectat: Cum enim de ſignis loqueretur hæc adiungit verba. *At quatenus alterum altero præualeat, concoctio, cruditáſue monſtrat quas ſubinde ex propriis cognoſces excrementis; quæ enim in ventriculo conficiuntur, deiectiones monſtrant; quæ in vaſis lotia; quæ in toto corpore ſudores &c.* Sic ille. Verùm coctionis & cruditatis notas in deiectionibus & vrinis iam ſatis teneo; Hippocrates eas me docuit, Galenus repetiit: vellem tamen, vt quoniam ex Hippocrate, addiſcere nequeo coctionis notas in ſudore; eas ſaltem me Galenus doceret; quam rem ſi quiſpiam, pro Galeno me doceat, habebo gratias.

de conſtitut. art. med. capit. 18.

CAPVT XI.

Signa ſumpta ex facultate Animali:

PARTICVLA I.

Signa quæ ſumuntur à facultatibus rectricibus.

TAM animales, quàm naturales vires, benè ſe habere in ægrotante bonum eſt: idcirco Hippocrates: *In quouis morbo*, ait, *mente conſtare, & benè ſe habere ad ea quæ offeruntur, bonum: contrarium verò malum.* Hæc ſententia, ſi collectiuè accipiatur, ſenſum efficiet: *In quouis morbo partes, quæ in cerebro ſunt, & illas quæ circa iecur, & ventriculum, benè diſpoſitas eſſe, bonum eſt.* Si verò diſiunctiuè legatur, vnumquoque ex duobus ſignis ſeorſim bonum eſſe dicemus, v.g. *mente conſtare bonum: benè ſe habere ad oblata, bonum etiam eſt.* Porrò quamuis negandum non ſit, melius eſſe duo illa bona ſigna ſimul concurrere, quàm vnum: & è contrario deterius, ſi vtráque praua ſigna eueniant, quàm ſi vnum duntaxat: tamen cùm in vnoquóque ſignorum veritas Aphoriſmi appareat,

2. aph. 33.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

appareat, præſtat diſiunctiuè legere, vt magis vniuerſalis reddatur ſententia. Nempe: *In quouis mobo ægrum benè ſe habere, quoad facultates animales* (hoc enim eſt mente conſtare) *bonum.* Præterea *benè ſe habere quoad naturales* (ita explicatur illud, *benè ſe habere ad ea, quæ offeruntur,*) *bonum ſimiliter eſt.* Porrò egimus de ſignificationibus ſumptis à facultatibus naturalibus; agamus & nunc de ſignis, quæ ab animalibus facultatibus, actionibúſve accipiuntur.

Si quæras, nùm maior ſit habenda fides ſignis ſumptis à naturali actione, quàm ab animali? Galenus nihil reſpondebit, vtpote qui nunquam vni tantum ſigno fuit addictus. Cæterùm cùm ſigna concomitantia aliquando alia aliis tanto maiora non ſint, vt nos manuducant, oportet ad naturam ſignificantium recurrere. Braſauolus aduertens duntaxat ad nobilitatem mentis noſtræ, & domicilij eius, quæ quidem nobilitas naturalium tùm facultatum, tùm inſtrumentorum præſtantiam ſuperat, velle videtur, vt ſemper ſit melius, *conſtare mente,* quàm *bene ſe habere ad ea quæ offeruntur.* Verumtamen, cùm hoc multas patiatur exceptiones, nec ſolùm ſufficiat præſtantia partis affectæ, ad augendam efficaciam ſigno, ſed alia etiam concurrere oporteat, ideò cum diſtinctione procedendum eſt.

In morbis quidem longis, ſi duos accipiatis ægrotantes, quorum vnus mente laboret, alius verò inappetentiâ, grauius ſignum ex inappetentiâ, quàm ex mentis inconſtantiâ accipies: Nam delirium ſine febre) quale in morbis longis contingit) multoties curatur; inappetentiâ autem vires proſternit, & quantò morbus eſt longior, tantò periculioſiùs hominem afficit. In acutis autem ægritudinibus, oportet recurrere ad cauſas ſignorum, vt ex damnis, quæ inferre poſſunt, cognoſcas quænam erit vtilitas, ſi abſint: E. g. laboret vnus delirio, in febrium acceſſionibus, facto ex vaporibus ad caput aſcendentibus; alius verò inappetentiam habeat, cuius cauſa ſit oris ventriculi quædam mortificatio; in hoc caſu deterius erit, vexari inappetentiâ, quàm delirio. Rurſus detur æger delirans ex phrenitide, * hoc eſt, ex inflammatione cerebri, aut membranarum eius; alius verò inappetens propter ſubuerſionem ventriculi à bile innatante, aut ab æſtu febrili excitatam,

nónne tunc maius malum portendet delirium, quàm inappetentia? maximè.

Hæc quamuis ita sint, ego Aphorismum, non ad duas facultates extendo, sed in vnâ duntaxat contineo. Nam non minùs ad animalem facultatem pertinet *benè se habere ad oblata*, quàm pertineat, *mente constare*: neque de appetentiâ naturali, sed de animali intelligendam sententiam istam reor. Imò verò non de appetentiâ, sed de ratiocinio, ita vt, æger non solùm *mente constet*, quemadmodum in sanitate, sed etiam *benè se habeat ad oblata*, hoc est, non sit impatiens, neque morosus; sed omnino se astantium, & Medicorum dictis obedientem præstet: nocet enim non parum morositas ægroto, adeò vt Hippocrates historiam mulieris narraturus, morosam fuisse annotet, quasi insinuans illius inobedientiam, quæ morbum difficiliorem reddebat. Et quemadmodum Medicus rectè officio suo fungitur, si ægrum bono animo esse iubeat, ita etiam ægrotans benè rem suam aget, si persuadentium sermones non aspernetur; nec se desperationi tradat, nec oblata accipere tàm alimenta, quàm medicamenta recuset: quippe multi adeò inobedientes se præbent, vt obstinatio illa, delirij speciem præ se ferat.

5. contr. c. 12. * Neque recipiendus est Vallesius & cum Vallesio etiam nonnulli, qui citra cerebri aut membranarum eius inflammationem, ob solos calidos humores, in cerebro redundantes, aiunt dari posse phrenitidem. Hoc quidem falsum esse, ex eo vel maximè apparet; quòd vniuersum phrenitidis genus perniciosum statuit Galenus *(1. prog. 23.)*, quod non esset, si aliqua phrenitis posset, cerebro membraní ve non inflammatis, fieri. Quando autem Galenus *(1. Prorr. 1.)* *exquisitam*, ait, *phrenitidem, & nulli alteri morbo permixtam fieri, cùm flaua bilis locum prehenderit, in quo residet animæ princeps pars*; hoc eâ lege accipito, vt bilis ista inflammationem faciat, & non aliter. Quando etiam inquit *(7. aph. 11.)*, *inflammationem, quæ multos vapores transmittit ad caput, cerebrum vaporibus implere, & phrenitidem facere*; intelligito calidos istos vapores, phrenitidem quidem efficere, si condensati, & in cerebro coadunati inflammationem excitent: Alioquin si ita non intelligas Galenum sibi ipsi habebis contrarium; quippe *(2. de sympt. caus. c. vlt.)* *phrenitidem*, affirmat, *non simpliciter ob calidos succos, sed cùm phlegmonem vel in cerebro vel in membranis eius pariunt, oboriri.* Hoc cognouit Auicenna; siquidem *carabitum*, hoc est, phrenitidem appellat, *sirsem*, hoc est, apostemá. Si quæras cur bilis in cerebro abscessum facit, non melancholia? id referam ad succi melancholici frigiditatem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

giditatem, quæ alterare duntaxat valet. Rursus cur bilis in arcuatis, non inflammatur? quia teste Galeno, biliosus humor ictericorum, crassus, & multâ pituitâ permixtus. *5.loc.aff.c.7.*

Corollarium.

Veritati ergo consonum est, quod Coacarum prædictionum auctor Hippocrates scripsit, nempe: *Deliria quæ circa res necessarias versantur, pessima*: sunt autem res necessariæ, tùm ad diæteticam, tùm ad pharmaceuticam spectantes, queis adiungo etiam excrementorum expulsiones. Est autem hæc delirij species duplici nomine perniciosa: primò, quia æger sic affectus longissimè abest à naturali dispositione, & ita malum est signum: Deindè quia miserum ægrotantem ad interitum perducit, prauæ causæ rationem subit; neque enim in eo, qui remedio vti recusat, remedio est locus: quare meritò additur in prædictâ sententiâ; *si ingrauescant mortifera*: tùm quoniam grauium signorum perseuerantia, & exacerbatio, fatiscentem naturam, & morbum ingrauescentem ostendunt, vndè confirmatur mortis præsagium; Tùm etiam, quia huiusmodi delirantes, si eò deueniant, vt omnino, impersuasibiles reddantur, præ inopiâ earum rerum, sine quibus vita substineri nequit, penitùs resoluuntur.

PERTVRBATÆ MENTIS GRADVS.

Familiare est Hippocrati (sic notante Galeno) vt aliis, atque aliis nominibus, quantitatem subiiciat desipientiæ, videlicet: *Nugari: Mente moueri: Delirare: Desipere: Dementem esse: Vesanum: (altàs Amentem,) Insanum: & Furiosum.* Hi omnes gradus, à maiori, aut minori causâ, eo ordine, quo scripti sunt, pendent; ita vt priores quatuor à leuiori causâ pendeant; vel ab anathymiasi benignâ, vel à benignis humoribus: posteriores verò ab humore magis maligno. *3.epid.sect.1. comm.2.*

Appendix.

Præter hos gradus, describitur à Galeno, *Mente vacillans,* *1. diffic. respir.c.12.*

qui animum in visionibus, velut in curis quibusdam habens, animalium actionum negligens est, & neque lotium eiicit, nisi quis eum commonefaciat, neque ventris onus deponit, neque cibum petit, si verò petat, interim, dum offerunt, obliuiscitur.

Contingit aliquando ægrum mente vacillare, præ nimiâ debilitate, atque hanc speciem delirij, crediderim intellexisse Hippocratem, qui ait: *A sanguinis profluuio delirium, aut conuulsio, malum.* Conuulsionem à copiosâ euacuatione malam esse inferius dicemus, delirium verò malum est: quippe significat adeò copiosè sanguinem fluxisse, vt neque eius, neque spirituum tantum remanserit, quantum pro exequendis internis functionibus sufficiat. Deesse autem in toto corpore spiritus malum est, in capite longè peius. Itaque moribundos multoties, absque vlla phrenitidis suspicione animo vacillantes videmus; quod non aliundè euenit, nisi quia summa debilitas actionibus internorum sensuum obest.

7. aph. 9.

Vacillant etiam mente per Somnum aliqui, & licet expergefacti resipiscant: nihilominùs in illis phrenitis timenda est. Nam cerebrum iam incipit agitari, & quamuis in illo principio vigilans æger, possit ratione cogitationes errantes cohibere, postmodum ingrauescente malo, non poterit, quod suo loco dicemus, cum de insomniis sermo incidet.

Iam verò expergefieri à somno, cum delirio malum est; si enim: *Vbi somnus, delirium sedat, bonum*; vt inquit Hippocrates; è contrario: *Vbi somnus laborem facit* (eodem auctore) *malum*; mentis autem perturbatio inter labores est numeranda. Præterea ex somno leuamen speratur; si ergo vnde speratur vtilitas, tantùm abest vt eueniat, quin potiùs suscipitur damnum, quid poterit deterius euenire?

2. aph. 2.

Corollarium.

Colliges ex dictis per tres gradus deliria ad summum ascendere. * Primus est, cùm deliris cogitationibus premuntur ægri, ita tamen vt ipsi sibimet conscij de multiplicitate, tùm somniorum, tùm cogitationum quærantur. Atque his, nisi præsto succurratur, superuenit delirium illud, quod est in gradu secundo, cùm scilicet ægrotantes, cogitationum suarum errores

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

non agnoſcunt,ſed eas,tanquam rectas, ore promunt. Quòd ſi perſiſtant, ea quæ cogitarunt, opere complent; vt vix aſtantium vi coërciti contineri in lecto poſſint, qui vltimus eſt deſipientiæ gradus. Itaque primus gradus, mentis error, ſeu perturbatio, appellatur; ſecundus, delirium; tertius, inſania ſiue furor.

* Hos tres gradus in ægrotantibus procedere, docemur ex eo, quod ſanis hominibus paſſione aliquâ affectis contingit: prius enim vel de amore,vel de inimicitiâ cogitare incipiunt; creſcente deindè affectu non poſſunt ſe ſe continere, quin loquantur de re, quam diligunt, vel quam odio habent; Tandem,ad culmen perueniente paſſione, quæ cogitarunt, incipiunt opere complere,& exequi.

Annotatio.

Poteſt delirans errare circa * omnes internas potentias, poteſt & circa vnam duntaxat. Si circa omnes error fiat,grauiſſimam arguit cauſam; ſin circa vnam tantùm minorem. ** Poteſt tamen leuius, aut grauius malum dici, pro ratione potentiæ, quæ offenditur.

* Arabum ſchola, cum Auicennâ, ſedibus diſtinctos internos ſenſus agnoſcit. Præcipua huius rei ratio, (inter alias non paucas,quæ afferri ſolent,) eſt,quia affecta vnâ potentiâ, reliquæ illæſæ permanent; quod nos ſuperiùs admiſimus,& experimento comprobatur: Theophilus enim Medicus,de quo Galenus, imaginatiuam læſam habebat: ſiquidem imaginabatur Tibicenes eſſe in angulo domus, qui tamen non erant, ſed bene ratiocinabatur: nam ſi eſſent meritò excludi deberent. Alius verò, dequo idem,Romæ inſanus,cùm in cubiculo detineretur, è lecto ſurgens, ad feneſtram,per quam & ipſe videri, & præſentes contueri poterat, acceſſit, indeque ex vitreis vaſis ſingula oſtendens, ſciſcitatus eſt, imperarentne vt proiiceret, qui ridentes, plaudentéſque vt ea proiiceret, cùm rogaſſent, ille omnia arripiens deiecit, quòd cùm magnis acclamationibus, riſúque exceptum fuiſſet; ſubindè num puerum quoque, quem apud ſe habebat, deturbari iuberent, interrogauit, quod cùm illi, vt faceret, iuſſiſſent, puerum quoque à feneſtra præcipitem dedit. Huic vis apprehendens ſeu imaginatrix integra erat: quia & vaſa,& puerum,& acclamantes ritè apprehendebat: cogitatrix autem ægrotabat: quia & vaſa,& puerum deiiciendum dementer exiſtimabat; neque ratio aſſequebatur vaſa comminuenda eſſe, puerumque interiturum. Iam verò memoriam per ſe ſolam lædi poſſe, Thucydides nos docuit,qui retulit, euaſiſſe quoſdam,in magnâ illâ

de ſympt. differ. c. 3.

4 de loc. affec. c. 1.

 peſtilentiâ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

peſtilentiâ, quæ ſuo tempore graſſata fuit, qui neque ſe ipſos cognouerunt, neque alios. Huic exemplo Galenus alia adiungit nonnullorum, qui ſenio in eaſdem inciderunt affectiones, & aliorum, qui literarum, & artium omninò obliti fuerant, imò & ſuorum nominum, qui tamen internos alios ſenſus incolumes habebant.

de diff. ſymp. c. 8. & de cauſ. ſympt. lib. 2. c. vlt.

Itaque, ſi vna abſque aliâ potentiâ internâ lædi poteſt; non videtur rationi conſentaneum omnes ſimul habitare. Verumtamen iſtiuſmodi auctores conſiderare debuerant, facultates naturales omnes, ſimul eſſe in qualibet particulâ, vnam tamen abſque altera ſæpiſſimè offendi. Non igitur immorabor in recenſendis, & refellendis rationibus, quæ pro hâc parte afferuntur: quandoquidem iam aliorum fuit labor. Porrò melius cùm Galeno cenſere debemus non diſcerni locis internos ſenſus, quamuis ſeorſim lædi poſſint, ita ſcilicet poſcente temperamenti varietate, & maiore, ſeu minore diſpoſitione præter naturam, à quâ, vna ſeorſim, aut duæ, aut plures ſimul offenduntur: quis enim dixerit in phrenitide vnius tantùm potentiæ locum inflammatione corripi, non vniuerſum cerebrum? & tamen, vt plurimum, non omnes labuntur interni ſenſus.

Ex prædictâ Arabum ratione, quâ probant facultates eſſe ſedibus diſtinctas, quia videlicet ſeorſim lædi poſſunt, poterimus nos cum Galeno elicere potentias rectrices eſſe numerò tres, non quinque vt exiſtimant multi, non quatuor, vt eſt aliorum opinio. Prima ergo Imaginatrix ſeu Phantaſia appellatur, hæc ſpecies recipit: Altera Cogitatrix, quæ ratiocinatur: Tertia, Memoria, quæ rerum conſeruat imagines. Neque re verâ plures eſſe debent, cùm non plures actiones appareant læſæ.

Quærunt aliqui vtrùm præter has cognouerit Galenus ſenſum communem? & profectò licet videatur ſenſum iſtum communem, primum ſenſorium appellare, in quo, ait, fieri ſomnum, & vigiliam, nihilominùs cùm nullam peculiarem huius communis ſenſus noxam diſtinctam à noxâ Imaginatricis tradiderit, non videtur, inter vtramque, diuerſitatem agnouiſſe.

Sed quicquid ſit de Galeni ſententiâ, mihi magis arridet ſententia eorum, qui ſenſum communem, cum Ariſtotele, circuli centro conferentes, eum ab imaginatrice diſtingunt, ad quem variorum ſenſuum imagines confluunt, vt ibi ſimul vniantur, vnde in ſenſu communi dulcedo, & albedo ſimul, in vno lacte, repreſentantur: Imaginatio deindè puriore modo, hæc in obiecti etiam abſentiâ recipit. Ad obiectionem autem ſuperiùs adductam, nempe non dari læſionem aliquam, quæ peculiariter ſenſui communi conueniat, Reſpondebo dari vertiginem: neque enim cum pleriſque admitto Imaginatricem in vertigine læſam. Nam dupliciter contingit hominem e.g. paleas, & feſtucas circumuolitantes conſpicere; Primò per ſcotomiam læſo ſenſu externo & falſitatem imprimente ſenſu communi, & tunc æger ab altiori potentiâ edoctus, errorem ſuum agnoſcit; Altero, per delirium, & tunc Imaginatrix eſt læſa & æger non agnoſcit ſe decipi, imò manibus feſtucas, & paleas auellere tentat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

** Si quis quærat quænam sit maior offensio, Imaginatricisne, an Cogitatricis, an Memoriæ? cùm distinctione Respondebo. Nam morbo declinante vidit. Thucydides memoriam sine periculo deperditam. Hoc in filio meo Francisco, etiam aliquando expertus sum. Laborauerat malignâ & puncticulari febre, in cuius vniuersali declinatione memoriam deperdidit, adeò vt eos, qui è cubiculo discedebant, protinus discessisse obliuisceretur; & dum loquebatur, eadem sæpius repeteret, immemor eorum quæ paulò antè pronunciauerat, ab hoc malo facilè, Deo auspice, conualuit.

In augmento ægritudinis abolita memoria, pessimum est signum. Quapropter quando ab Hippocrate & Galeno, in Epidemiis, in Prorrheticis, & in Coacis, inter perniciosa signa memoriæ abolitio reponitur; intelligite hoc dictum de obliuione, quæ in augmento febris accidit: hæc namque omnimodam caloris naturalis mortificationem significat: quippe obliuio à frigiditate accidit sola, vt Galenus voluisse videtur, inquiens; *Cùm igitur vel periit, vel grauiter læsa est memoria, frigida omnino intemperies est, quocirca calefacere ipsam oportet; at verò exsiccare, & humectare, non necessarium est; sed si humiditati copuletur, arefacere; si ariditati, madefacere.* Ioubertus à frigiditate simul cùm humiditate, memoriam deperdi arbitratur; signum cuius rei est, quod infantes, & senes nimio humido abundantes, parum valent memoriâ, quod Plato etiam voluisse videtur, qui ait, *Animam omnia scientem, omnium obliuisci, cum in humidissimum fœtus corpusculum, se se demittit, ac mergit.* Ego veriorem existimo Galeni opinionem: neque enim humiditas, magis quàm siccitas, memoriæ obest, nisi frigiditas adsit, quæ obliuionem inducit.

3. de loc. aff. cap. 5.

Porrò inter omnes tres actiones, memoriam deperditam grauissimum malum, grauissimúmque signum esse censeo: neque enim cogitatio, vbi memoria desit, neque imaginatio, nisi momentanea constare potest. Inter reliquas anceps sum. Nam cùm maior vis ad cogitandum, quàm ad imaginandum requiratur, minore qualibet noxâ vitiatur Cogitatrix; Imaginatrix autem grauius ostendit malum. Ex altera parte cùm imaginatio faciliùs etiam læditur, non adhibente Animâ tantos ad imaginandum conatus, quantos ad cogitandum. Tandem si imaginatio est deperdita, cogitatio necessariò labitur: qui enim non percipit imaginatione, quomodo cogitabit? verùm potest imaginatrix læsa esse, non tamen adeò vt cogitationem impediat; & tunc poterit cogitatrix, ex hipothesi rectè munus suum peragere. Sic Theophylus ex hipothesi benè cogitabat: si enim imaginatio verum repræsentasset, & tibicines re verâ adfuissent, rectè cogitatio, eos eiiciendos, ratiocinabatur.

PARTICVLA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Particvla II.

Præsagia sumpta à Voce.

INter animales functiones *vox & sermo* recensentur, quippe vox, vt inquit Galenus, *principalissima est omnium animæ actionum.* Propterea hinc etiam non leuia præsagia accipi posse docet: nam in primis vox siue mutetur, siue minuatur, siue auferatur, semper aliquid significat. Et quod attinet ad mutationem vocis, & soni, multiplex est differentia, præcipuè verò in acumine, & grauitate. Hæ tamen appellationes per translationem ab iis, quæ tanguntur sunt acceptæ: vt enim acutum omne, & quòd in mucronem fastigiatum est, momento penetrat, quod verò obtusum, segniter; ita etiam vox acuta, auditum quodammodo perforat; grauis obtusè ferit. Quomodò hæ voces offendant, non est præsentis instituti tractare: siquidem sola præsagia indagamus; siquis rem hanc scire cupit, Galenum adeat.

6. de vsu part. c. 3.

6. epid. sect. 2. com. 43.

1. symp. caus. cap. 7.

De Voce raucâ.

Cum ex mediocri mixtione humiditatis cum siccitate, clara reddatur vox, quæ respondet dulcedini inter sapores; velut asperitas vocis, acerbitati; si aliqua duarum qualitatum excedat, vitiatur vox, atque adeò ex superfluâ humiditate fit rauca. Ergo larynx madefactus, vocem efficit raucam, ex Galeni testimonio. Quamuis autem ille, vocem raucam, & interceptam, in vno & eodem reponi genere, & solâ magnitudine differre dicat: cum enim vocis organa, ab humiditate, vehementiùs fuerint madefacta, vox intercipitur, adeò vt loqui nequeant; quando autem moderatior est humectatio raucedo oboritur; Nihilominus plures causas interceptio, quàm raucedo habere potest. Quippe rauca vox, teste Galeno, fit; vel propter destillationes à capite; vel propter pulmonis vlcera; vnde si quis raucè loquatur, interrogare oportet nùm antea fortiter clamauerit; siquidem ab hâc quoque occasione raucedo prouenire potest;

6. de sanit. tuend. c. 9.
7. de compos. med. secund. loc. c. 1.

1. prorrh. cõ. 10. & 4. de loc. aff. c. 6. 7. de vsu part. cap. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

potest; quod si non accidat, tunc scire expedit, asperam arteriam,& præcipuè laryngem, multo humore occupari. Vox autem intercepta ob multas causas potest inueniri; de quibus infrà dicemus.

De Voce acutâ.

Quemadmodum vox rauca (vt inquit Galenus) ab humiditate; ita acuta, à nimia fit siccitate; Idcircò Hippocrates ait: *Quibus vox acuta est, his hypochondria intrò tracta sunt*; Galenus legendum censet: *Quibus vox acuitur, trahuntur his hypochondria ad internam sedem*; additque septum transuersum symptomatis eiusmodi causam esse, cùm vel inflammatur, vel arescit, propter igneam caliditatem, vel à membranâ costas succingente retrahitur, cùm rursus ea ob phlegmonem, & siccitatem retrahatur; Vox etiam acuitur ex vocalium instrumentorum astrictione, cúmque per febres acutas siccitas horum angustiam efficiat, solent huiusmodi febricitantes acutam vocem emittere.

3. epid sect. 3. com. 32. 1. prorrh. sect. 2. tex. 10.

De Voce clangosâ & stridulâ.

Maiorem siccitatem indicat vox clangosa: ideò mala dicitur ab Hippocrate. Ordo igitur hic est, vt à moderatâ siccitate vox clara efficiatur; à siccitate auctâ, vox acuta; si vlteriùs siccitas progrediatur, vox fit clangosa; sin magis augeatur siccitas, fiet vox stridula, seu querula, & hæc tantò erit quàm clangosa deterior, quantò majorem arguit siccitatem.

1. prorr. sect. 2. tex. 12.

De Voce exiguâ, seu exili.

A Voce mutatâ ad diminutam accedo: hæc fit à frigore, vt cernere est in iis, qui plus nimio frigescunt, & in iis qui per loca niuosa iter faciunt, atque etiam in accessionum principiis: tùm quia aër paucissimus attrahitur, tùm etiam quia musculi ægrè attolluntur. E contrario Hippocrates *vocalissimi sunt*, ait, *qui calidum habent plurimum*: Galenus id euenire putat quoniam, qui calidissimo sunt corde, multum aërem attrahunt. Dis-

4. epid. sect. 4. tex. 24.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

plicet mihi hæc expositio: Nam febrientes, & ij qui se nimiùm exercent, multum aërem attrahunt, nec propterea eorum vox augetur. Melius videtur dicendum, ampla vasa caloris sobolem esse, quapropter, qui nimium habent calidum, arteriam habent amplam, per quam multo aëri datur transitus, ex quo vox etiam fit ampla. Vnde Galenus in arte Medicâ, hæc habet verba. *Non tamen ipsa vocis magnitudo, à caliditate, sicut neque paruitas, à frigiditate fit; sed altera quidem, asperæ arteriæ latitudinem sequitur, & vehementiorem efflatum: paruitas verò à contrariis aduenit.* Hoc quidem ita est, & ampla vox, vasorum amplitudinem; parua, angustiam vasorum sequitur: sed vasorum rursus amplitudo, fit à calore; sicut angustia à frigore. Vna tamen est differentia, nempe quòd amplitudo non nisi à naturali fit calore; angustia verò à frigore præter naturam. Interrogabis tamen, si angustia fit ex frigore præter naturam, cur & amplitudo à præternaturali calore non fiet? Respondeo in contrariis operationibus accidentalibus, non requiri rationes oppositas, comprimit frigus vocem, quia neruos, & musculos, motui ineptiores reddit, ob duritiem, quam ipsis conciliat; calor autem si præter naturam sit, duritiem etiam præstat neruis, atque ita non magis apta à calore præter naturam quàm à frigore instrumenta redduntur. Calor verò naturalis est ille, qui in primâ membrorum efformatione latitudinem vocis molitur. Itaque magna vox fit ex organi amplitudine, & percussionis celeritate: amplitudo organi, arteriæ latitudo est; celeritas percussionis, ex vehemente efflatione nascitur.

art. med. cap. 67.

De Voce ablatâ, ob vocalium instrumentorum affectum.

Signorum omnium potissimum, est vox ablata: * siquidem ad ablationem eius, reliqua auferuntur. Hinc est quod Hippocrates in historia Pythionis, qui in Thaso supra Herculis fanum decumbebat, ait: *Obmutuit, voce defectus est*; nempe per, *Obmutuit*, significauit deperditam vocis dearticulationem, hoc est, loquelam; deinde, vt auctum iam malum significaret, adiunxit: *Voce defectus est.*

3. ep. sect. 3.

* Aphonia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

* Aphonia, hoc est vocis priuatio, collapsam animalem facultatem, penéque extinctum vitalem calorem significat; ex huius enim defectu, vocalia instrumenta motu priuantur, & materia vocalis non sufficit ad edendam vocem. Nam quemadmodum vegeto calore vitali, magna vox editur, quòd multus aër spirando ducatur, accedente etiam thoracis virtute: ita vt ex duobus magnis, (magnâ scilicet aëris quantitate, magnóque thoracis robore) magnum quidpiam fit: Ita in caloris inopia & imbecillitate thoracis, exiles voces eduntur. Deindè crescente imbecillitate, penitùs auferuntur. Porrò ἄφωνοι fiunt vel vitiatâ facultatis animalis origine, & hi simul cum voce, sensum motúmque amittunt, & sic dicuntur, *Aphoni apoplectico modo*: vel interceptione materiæ vocalis, nempè aëris qui ex sufflatione acquiritur, & hoc contingit vitio thoracis, & resolutione musculorum inter costalium: vel affectis vocis organis, hoc est musculis laryngem claudentibus & aperientibus, nec non recurrentibus neruis: afficiuntur autem vel paralysi, vel spirituum defectu; Deficiunt spiritus vel resoluti ob copiosam aliquam euacuationem, vel retracti versus cor vti si quando præ timore, aut stupore, *vox faucibus hæsit.*

Corollarium.

Deterius igitur est, *Voce deficere*, quàm *obmutescere*. * Nam ille, qui propter phrenitidem aut melancholiam loqui non vult, (quod in Coacis dicitur: *Mentis emotio taciturna*,) & ille qui propter resolutionem musculorum linguam mouentium, loqui non potest; omnes isti, saltem clamores, & suspiria edunt, & hoc significat graue quidem malum, nempè vel phrenitidem valdè magnam, vel ingentem melancholiam, vel neruorum linguæ paralysin: Attamen longè horribilius est, id quod ab Hippocrate non semel, *Aphonia* dicitur. Hoc ex Galeni sententia est, *omnium actionum quæ ab electione pendent priuatio.* Diocles referente Cælio Aureliano, catalepsin, aphoniæ nomine designauit.

5. aph. 5. & 6. aph. 61.

lib. 2. acut. cap. 10.

* *Alia sunt vocis, alia sermonis instrumenta*, ait Aristoteles, cui Galenus assentitur, inquiens: *Vox & sermo, non eadem res sunt; siquidem vox, vocalium instrumentorum est munus, sermo verò eorum, quæ sermoni deputata sunt, inter quæ lingua principatum obtinet, cui non parum conferunt, & nares, & labra, & dentes. Sic etiam vocis instrumenta sunt guttur, & musculi ipsum mouentes, atque nerui, qui à cerebro ipsis vim deferunt.* Itaque *lingua* (vt idem alibi) *non vocale, sed dialecticon, id est, loquutionis instrumentum esse constat, atque ob id cum patitur, balbutiem, blæsitatémque in loquutionibus, fieri contingit.*

4. de part. anim. c. 6.

4. de loc. aff. cap. 6.

1. prorrh. 1. com. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

1. de loc. aff. cap. 6.

Porrò *vocis organa* (si Galenum consulimus) *summatim loquendo, sunt larynx; si verò particulatim explicare velimus, tres cartilagines, & qui eas mouent, musculi; quibus accedunt nerui à cerebro demissi in guttur, & lingula, quam Græci glottida vocant, & hæc maximè proprium est vocis instrumentum: etenim cùm à musculis moderatè & aperitur, & committitur, vocem efficit, quamquam vocem edi impossibile est, nisi vehementer spiritus ingrediatur, id verò intercostales musculi perficiunt.* Hæc sunt vocis organa, eius verò materia, ex Galeni doctrina, est exsufflatio, seu aër exsufflatione impulsus.

Quinque igitur sunt, quæ se ordine consequuntur, expiratio, exsufflatio citra strepitum, strepens exsufflatio, vox, loquela. Harum si prima, hoc est, expiratio lædatur, reliquas omnes lædi necesse est, vltimâ verò nempè loquela, læsâ; aliæ non læduntur: at cum secundâ, reliquæ tres; cum tertiâ, reliquæ duæ; cum quartâ, postrema sola offenditur. Cæterùm Auicenna contrarium sentit, inquiens: *Et quando fortia sunt nocumenta prædicta, in membris mittentibus, & adducentibus, destruitur vox, & non oportet vt destruatur loquutio.* Ego profectò teneo cùm Costæo, Auicennam rectè sentire, cùm sæpenumero, offensâ voce, non offendatur loquela. Nam & recurrentibus neruis resolutis, aufertur vox, & phtysi grauiter offensis, omnimoda adest vocis priuatio, hi tamen sermone suos conceptus explicant: Præterea sani homines, ad aures submissâ voce loquuntur: sed forsitan Galeni mens erat, eius sermonis verba facere, qui clara voce profertur: hunc enim deperdi, si vox deperdatur, manifestè patet. Poterimus etiam pro Galeno adiungere, cùm submissè loquimur, siue ex morbo, siue ex industriâ, non esse omnino ablatam vocem, sed depressam, cui depressus respondet sermo.

lib. 5. fen. 10. tr. 2. c. 1.

Existimat Mercurialis, aphoniam significare posse vocem exiguam, exilem, & paucissimam, & ideò Pythionem, quem Hippocrates ait fuisse refrigeratum, sine loquelâ, sine voce, non arbitratur fuisse omnino voce priuatum, sed vocem habuisse admodùm exilem. Hoc probat: quia ἄπνοια dicitur non omnimoda respirationis ablatio, sed breuis, & vix perceptibilis respiratio: & Aristoteles nonnullas aues appellat ἄποδας quæ habent pedes admodum exiguos: neque enim tunc temporis, cognita erat Manucodiata, quæ pedibus omninò caret. Verùm debilis est isthæc coniectura: nam respiratio adeò exigua vt vix perceptibilis sit, meritò ἄπνοια appellatur: quoniam non datur alia minor; cum qua animal possit viue: vndè, *paruam respirationem esse*, Galenus ait, *in quâ spiritus periisse à quibusdam putatur*, & hæc est illa, quàm Heraclides ponticus ἄπνοιαν idest, *spiritu priuatam* appellauit. Volucres sine pedibus

lib. 1. de difficult. resp. cap. 8.

bus dicuntur: quia adeò exiguis sunt prædita vt eis vti nequeant. At Hippocrates, qui per pleonasmon dixit, non solum Pythionem fuisse, *mutum*, sed etiam, *sine voce*; non est cur ita declaretur, præcipuè cùm refrigeratio, in febre acutâ omnimodam vocis, & aliarum actionum ab electione nostra pendentium ablationem poterat inducere.

4.acut.tex.6

Obiicies tamen, ea signa, quæ morbi longitudinem significant, licèt mala sint, nihilominùs non esse valdè perniciosa. At Hippocrates *Vocis priuatione, longitudinem morbi significari*, scriptum reliquit: non est igitur vocis priuatio adeò perniciosum signum, vt supra diximus, præcipuè cùm Hippocrates ibi dicat; *longitudinem morbi significari, si decimaquarta die accedat*: cùm igitur praua symptomata in diebus decretoriis contingentia, longè sint deteriora; illud symptoma, & quia vocis priuatio, & quia in die decretorio, peius aliquid, quàm morbi longitudinem debuit indicare, nempe mortem.

Primum quod ad hanc obiectionem respondendum occurrit, est, quartum librum acutorum, in quo prædicta sententia habetur, neque esse genuinum Hippocratis, neque inter alios optimum habere locum. Deindè, quæ est excusatio ab aliis allata) vnum tantum signum est, vocis priuatio, & cùm alia perniciosa non habeat ad uncta, poterit non mortem significare. Hæc tamen mihi videtur, turpis excusatio: siquidem vnum lethale signum potens est ad significandam mortem; vnum verò salubre, non est potens ad significandam sanitatem. Verum quidem est ex concomitantibus accidentibus posse aphoniam maius malum, quàm per se solam portendere. Sic *Aphoniæ cum singultu pessimæ* dicuntur; hoc tamen in morbis acutis. Existimat porrò Galenus id fieri; *quoniam humiditas, quæ aphoniam procreauit, in os ventriculi defluxit, atque ibi vel quantitate, vel acrimoniâ, vel frigiditate, singultum, qui veluti conuulsiua illius partis affectio est, excitauit.* Verum tamen hoc modo semper aphonia erit prior; non debuit ergo Auctor Prorrhetici dicere, *aphoniam cum singultu*; sed ex *aphoniâ singultum.* Ideò melius videtur dicendum, aphoniam simul cum singultu prauam esse: quia possunt à siccitate conuelli tàm musculi vocales, quàm fibræ ventriculi.

1.prorr.1. tex.23.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Annotatio.

Addidi superiùs, *in morbis acutis*: quia extra morbos acutos potest hoc contingere, nec esse admodum malum signum: siquidem ob cruditates tàm aphoniæ, quàm singultus fieri possunt, & de singultu quidem planum est; aphonia autem fieri potest, eleuatis halitibus à cruditate ventris, qui halitus vocales neruos impediant; hoc autem multoties intra vnius diei spatium cessare solet: facilis quippe est halituum discussio.

Appendix Prima.

1. prorr. 1. tex. 24.

Aphoniæ etiam, *quæ cum exolutione fiunt, valdè malæ* esse dicuntur: valde malæ vocantur aphoniæ cum exolutione: quia nullum est symptoma, aut morbus adeò grauis, qui constante virtute, non præbeat salutis spem. At si cum aphoniâ, graui scilicet symptomate, virium adsit debilitas, & exolutio, valdè mala est; quid si his accedat spiritus promptus, hoc est sublimis, pessimum signum est: tunc enim aphoniam à neruorum læsione fieri apparet, ob quam etiam spiritus sublimis fieri solet, non potente ægro intercostalibus musculis spiritum trahere, quare & naribus, & scapulis adiuuatur.

Adiungit Hippocrates, quasi addubitans, *Nùm & delirium portendit?* cuius rei Galenus rationem reddit, in hunc modum: *Cùm possit aphonia contingere, tum ipsis vocalibus instrumentis læsis, tùm ob affectum neruorum principium, pariterque spiritus promptus: incertum erat, quantum ad hæc an futurum esset, vt deciperent: atque ob eam rem ambiguè protulit, an & tale, delirium portendat? quòd verò malum signum sit, non vt dubitans, sed vt verò sciens, pronuntiauit: si enim non perpesso neruorum principio, sed oblæsis tùm respirationi, tùm voci deputatis organis, talis respiratio cum aphoniâ facta sit, periculum, non qualecumque, affert; cum, qui ita affecti sunt, celeriter strangulentur.* Sic Galenus; sed profectò ex aphoniâ delirium quomodo portendatur, non facile est intelligere.

2. prorr. sect. 2. tex. 19.

Certum tamen est aphoniam transire in delirium, vnde in Prorrheticis & in Coacis prædictionibus: *Si in febribus aphoniæ conuulsiuæ*

conuulſiuo modo, in motionẽ mentis, cum ſilentio tranſeant; pernicioſũ. Quid per *aphoniam conuulſiuo modo*, ſit intelligendum, non admodum conſtat: Videtur dici, *conuulſiuo modo*, hoc eſt, ſicut motus conuulſiuus modò tendit, modò laxat; ita aphonia non perpetua, ſed interpolata, ſi tranſeat in omnimodam vocis priuationem, cum delirio, malum: quia graue malum, in grauius mutatur, ſeu potius dicemus, *aphoniam conuulſiuo* modo, eſſe *vocem tremulam*, de qua in Coacis fit mentio; & mihi multoties videre contigit, ægros tremulam vocem, cùm tremulâ linguâ habentes, quos ſi iubebam, vt linguã exererent eam extra os emittere non poterant, ſed intra os tremulam oſtendebãt. Ex hâc voce tremulâ, delirium accidit: quia conuulſio eſt in parte cerebro vicinâ, atque ita indicatur cerebrum pati, & maius malum paſſurum. Accidit etiam: quia conuulſio, quæ tantùm in neruis linguam mouentibus conſpiciebatur, poteſt & reliquis vocalibus communicari, atque ita deperditur vox, & loquutio, fitque exitioſum ſilentium.

Annotatio prima.

Dicuntur autem in Coacis; *Aphoniæ ſtupefactiuo modo pernicioſæ*, & *Aphoniæ cum exolutione peſsimæ.* Nota tamen, quòd quamuis parum diſtent, hæc duo vocabula, *Peſsimum* & *Pernicioſum*; nihilominùs exolutio peior eſt ſtupore. Cùm verò in Coacis leges: *Aphoniæ, cum virium exolutione, non ſudanti quidem lethales ſunt: minus verò ſubeſt periculi, vbi exudat æger: ſed hinc longitudo morbi oſtenditur.* Caue ab hâc ſententiâ, vt etiam, à tribus ſequentibus; addititiæ enim videntur, & nullo modo admittendæ; quicquid Hollerius in earum explicatione defatigetur. Prudentius Duretus ab hoc labore ſe exemit.

Annotatio Altera.

Dicuntur etiam in Prorrheticis: *vocis interceptiones cùm exolutione, & cathoce pernicioſæ*; & meritò: cùm enim vnumquodque iſtorum, ſcilicet aphonia, & cathoce, per ſe, pernicioſum ſit; Si ſimul iungantur pernicioſiſſima erunt.

1. prorr. ſect. 3. tex. 4.

Appendix

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Appendix Secunda.

1. pror. sect. 2. text. 20.

Præterea: *Quibus ex dolore, aphonia; hi difficulter moriuntur.* Difficulter mori (vt interpretatur Galenus) duobus dicitur modis: vel enim difficiles ad moriendum sunt, qui tardiùs moriuntur; vel qui cum dolore. In præsenti sumendum arbitror; pro morte cum dolore; maximè, cùm in coacis: *vocis interceptiones ex dolore, dolorosam mortem inducere* dicantur; vt è contrario cum exolutione aphoniaci, clam moriuntur. Solent vehementi dolore iactati vehementer clamare, & vociferationibus acerbè conqueri, à quibus, & à dolore resoluti, transeunt in silentium, & aphoniam; non quòd dolor absit, qui clamare cogebat, sed quòd vires desint ad clamores, imò ad vocis vel exiguæ expressionem, & tunc iam mortem propè adesse prædicendum est.

Vox ablata, absque vocalium instrumentorum Vitio.

2. de loc. aff. cap. 6.

Lædi actionem, nullâ existente in propriis instrumentis noxâ, docens Galenus, multas narrat historias eorum, qui thorace affecto, vocem amiserunt: quippè materia vocis est aër excufflatione impulsus; musculi autem intercostales, contracto thorace vocem efficiunt: his ergo nihil agentibus mutũ animal redditur.

6. aph. 51. & 2. de morbis.

Aufertur etiam vox, ex capitis affectibus. Hippocrates *eos, qui sani, dolore capitis, derepentè capiuntur, & statim mutui fiunt, in septem diebus perire* ait; *nisi febris apprehenderit.*

5. aph. 5.

Et alibi: *si ebrius quispiam repentè obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febris superueniat, aut ea horâ, quâ soluuntur crapulæ, vocem recuperet.* Considerare autem oportet, aphoniam (quæ, vt diximus, non solùm vocis, sed omnium actionum à libertate pendentium ablationem significat) tribus ** morbis solere esse peculiarem; Apoplexiæ, Epilepsiæ, Syncopæ. Idcircò

4. acut. cons. 23.

Hippocrates nomine aphoniæ (vt aliquando notauit Galenus) tres prædictos affectus comprehendit. Verùm licet alibi Hippocrates, aphoniæ nomine, exprimat actionum à voluntate pendentium ablationem, tamen in prædictis sententiis, intel- ligit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ligit, (vt arbitror;) vocis duntaxat priuationem vt sit sensus. *Quibus ob repentinum capitis dolorem, aphonia fit; videtur malum neruis vocalibus, imò & neruis thoracis communicari, quo iam ingrauescente, fit suffocatio apoplectico modo, ita vt apoplexia non inceperit, sed potuerit sola aphonia, hoc est, locis interceptio, vsque ad septimam extendi diem. Ita etiam, cùm ebrius repentè obmutescit, solos habet neruos vocales conuulsos, sed ampliata posteà per vniuersum neruosum genus conuulsione, mors aduenit.*

Ita (vt habetur in Prorrheticis) *Ex capitis dolore, si aphoniæ fiant, malum*: quia caput in eâ parte affici significatur, in quâ neruorum est origo. Vidi hominem sanum vehementissimo capitis dolore derepentè correptum: cui apoplexia superuenit.

1. pror. sect. 3. text. 2.

* Cùm absque potentiis rectricibus, quæ in cerebro resident, operationes, quæ ab electione nostrâ pendent, edi nequaquam possint; fit vt læso cerebro, & amissis rectricibus potentiis, amittatur etiam vox: siquidem electione fit. Hinc argumentum accepit Galenus ad probandum, animales, & voluntarias actiones à cerebro, non à corde pendere: si enim cerebrum detractis ossibus aperias, aliquémque ex eius ventriculis comprimas, statim efficies vt animal non modò mutum, spirationéque orbum, sed etiam prorsus sensibus, motionibúsque voluntariis priuatum collabatur. E contrario, in sacrificiis contingere, ait, victimas erepto corde, arísque imposito, respirare, & intensè clamare, nec non & fugere, donec per sanguinis effluuium cadant.

1. de plac. Hipp. & plat. cap. 4.

** Sed cur suffocationes vteri, aliásque similes passiones, in quibus nonnunquã & vocis, & sensuum interceptiones, carentiæque accidũt sub nomine Aphoniæ, Hippocrates nõ comprehendit? Petrus Salius rationem reddit: quia nempe interceptiones, quæ subito fiunt, aphoniæ vocantur: at in vterinis suffocationibus, aliisque similibus affectibus non subitò fiunt, sed præludia adsunt plura, vt animi defectiones, anxietates, inquietudines, desperationes, aliáque similia temporanea. Ait præterea idem Salius, quamuis epilepsiam, apoplexiam, syncopem cardiacam, subita vocis interceptio denotet, non tamen has omnes passiones intelligendas esse in hac sententiâ, videlicet: *Qui dolore capitis derepentè capiuntur, & statim muti fiunt, in septem diebus pereunt*; Quia cum vltra vocis interceptionem adsit corporis impotentia, idest, imbecillitas, & motus carentia, clarè hinc excluditur epilepsia: siquidem epilepticus non manet immotus, sed conuulsiuo motu agitatur. Excluditur etiam syncope cardiaca: quoniam hæc subitò interficit, præsens verò, de quo agitur, affectus, vsque ad diem septimum durare potest. Sola ergo remanet intelligenda Apoplexia.

Veruntamen hæc omnia à Salio liberè sunt dicta. Nam inprimis non minùs derepentè cadunt mulieres à suffocatione matricis, quàm quiuis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

alij ſyncopizantes. Præthereà Epileptici, licèt habeant conuulſiuos motus, non dicuntur motum habere; imò verò, non minùs quàm apoplectici motu voluntario priuantur. Neque Hippocrates dixit, eos, qui derepente obmuteſcunt, reddi immobiles, ſed ſui impotentes, hoc eſt, non liberas habentes actiones. Tandem ſi excludit ſyncopen ab hoc ſermone, quia derepentè interimit: hic verò dicitur ſeptem diebus ægrum mori; cur ſimiliter non excludit apoplexiam, quæ intra quartum diem, ad ſummum, terminatur? Cardanus non aſſentitur Galeno pro Aphoniâ Apoplexiam intelligenti, ſed Caron debere intelligi ait: neque enim apoplexia, quæ interimit, ad ſeptimam vſque diem prorogatur. Ego ſententia prædicta: *Qui dolore capitis derepente capiuntur & ſtatim muti fiunt in ſeptem diebus pereunt*, non video quomodo accommodetur tribus modis. Epilepſiæ, Apoplexiæ, & ſyncopæ: Nam ex epilepſiâ ferè ſemper patiens liberatur, & per plures annos paroxyſmos patitur; ſyncopizans autem & apoplecticus non expectant ſeptimum diem, qui exactè peracutis laborant morbis. Dices fortaſſe non omnibus epilepticis, apoplecticis, & ſyncopizantibus, ex Hippocratis ſententiâ, mortem die ſeptimo aduenire, ſed iis duntaxat, qui dolore capitis derepentè capiuntur, & ſtatim muti fiunt. Sed hæc non adhuc ſatisfacit reſponſio quippe: ſimiles affectus non adeò prorogari experimento eſt compertum.

Appendix Prima.

Non ſolùm ex neruis læſis in ſuo principio, fiunt ſubitæ obmuteſcentiæ; ſed ex venarum etiam interceptionibus, & occluſionibus, vt cenſet Hippocrates. Nec ſolùm in ſanitate poteſt hæc ſubita obmuteſcentia accidere, verùm etiam in morbo; itavt ſit praua quædam criſis, de quâ in Coacis: *Quibus vox deficit in iudicatione * febris; tremuli moriuntur*: dixit *tremulos*; quia ſæpè ex rigore remanet tremor. Et in prorrheticis: *Quibus voces cum febre deficiunt poſt iudicationem; hi trementes & comatoſi pereunt.*

4. acut. text. 23.

1. pror. ſect. 2. text. 59.

* In Coacis legitur μετ᾽ ἀκρισίην poſt Acriſiam: in Prorrhiticis ἐπὶ κρίσιν poſt iudicationem. Cæterùm illud, μετὰ κρίσιν nihil aliud ſignificare videtur quàm δυσκρισία hoc eſt, difficile iudicium quarè in *Iudicatione*, aut *poſt Iudicationem* dicatur, parum intereſt, dummodo non criſim ſed acriſiam intelligas; non autem acriſiam quaſi criticæ mutationis vacuitatem, ſed criſim tentatam non tamen obtentam; Duplex námque eſt acriſia; vna quæ criſi priuatiuè opponitur, cùm propter cruditatem humorum Natura pugnam non tentauit; & hæc diuturnitatem morbi ſignificat, de quâ nunc non agitur: Altera, quâ praua criſis ſignificatur, in quâ Natura aggreſſa eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

eſt, ſed in pugna ſuccubuit, victorque exultat morbus, & de hâc agitur, quippè conata eſt Natura criſim obtinere, ſed fruſtra: quippè cauſa morbifica tanquàm ſi in malos abſceſſus abiret, abiit in neruorum offenſiones nempe tremores atque rigores. Galenus ita velle videtur, inquit enim explicans prædictam ſententiam Porrheticorum: *Quibus apparente ſolutâ febre aphonia fit, & poſt indicationem, hi trementes, & comatoſi pereunt, febribus, ſcilicet non ſine ſignis, ſed cùm mala indicatione, viſis deſiiſſe. Conſtat autem malas dici indicationes, quæ cùm naturalibus vacuationibus, vel abſceſſibus factæ, non ſolùm ægros nihil iuuerunt, verum quoque & deterius habere, quàm anteà fecerunt.* Hactenus Galenus.

in commento prorrh. 59.

Appendix Secunda.

Fit etiam obmuteſcentia propter cerebri ſphacelum. Huius meminit Hippocrates: *Quibus inquit cerebrum ſphacelatum, ideſt, corruptum eſt, tribus diebus pereunt; ſi verò hos euaſerint, ſani fiunt.* Ex hoc modo vidit Amatus Luſitanus periiſſe quendam iuuenem. Pereunt igitur citiſſimè: quia morbus eſt acutiſſimus; ſi verò ad quartum diem prorogentur, iam vel morbus declinat, vel vires adeò ſunt fortes, vt poſſint morbum ſuperare: Braſſauolus hanc ſententiam non vult eſſe perpetuæ veritatis: ſiquidem ſe vidiſſe ait multos, qui cerebro ſphacelato, vltra quartum diem perdurarunt, & tandem perierunt.

7. aph. 50.

cent. 1. cur. 9.

Ego ſententiam in hunc modum interpretor. *Qui cerebrum ſphacelatum, ideſt, corruptum habent; hoc eſt; qui ſigna cerebri ſphacelati habent, tribus diebus pereunt; ideſt, intra hoc ſpatium: nam & duobus, & vno perire poſſunt; ſi verò hos effugiunt, ſani fiunt: quia videlicet cerebrum non eſt ſphacelatum: etenim ſi ſphacelatum fuiſſet, in tribus periiſſent. Itáque effugere trium dierum ſpatium, nihil aliud eſt, niſi cerebrum, quod ſphacelatum videbatur, & fortaſſis principium quoddam, & rudimentum corruptionis habebat, non eſſe omninò ab ſphacelo comprehenſum.*

Appendix Tertia.

Si cerebrum aliquâ occaſione, vt à re contundente, aut caſu *concuſſum fuerit, tunc neceſſe eſt hos mutos fieri*, ex Hippocratis ſententia. Iſti autem, niſi à concuſſione noxam inemendabilem accipiant, vt eſt, neruorum læſio, aut ventriculorum cere-

7. aph. 58.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

bre compressio, redeunt ad sanitatem, vt mihi bis vidisse contigit. Alter illorum, quos ita affectos vidi, cecidit ab alto, & tamen non videbatur habere læsos cerebi sinus, sed duntaxat ob venarum ruptionem, sanguinem extra venas effusum: quoniam loquebatur, sed delirans; ac tandem periit.

PARTICVLA III.

A sermone præsagia.

NEc verò ex voce solùm, sed ex sermonibus etiam præsagia sumuntur. Cum enim dicitur. *Vox in composito ferox*, sermonem pro voce intelligito. Quippe si is qui naturâ suâ est compositus, crociter se gerat; si è contrario ferox mitescat; si is qui naturâ suâ est taciturnus, valdè loquatur; si loquax in taciturnitatem incidat: Hæc omnia præter naturam cùm sint, malum significant. Sed quodnam malum? nempè mentis perturbationem. Sunt námque voces signa conceptuum. Verba igitur dissona mentem inconstantem arguunt, quod similiter in sanitate arguitur, videlicet in gaudio, in mœrore, in irâ, in reliquis passionibus, in quibus homines dissueta, dissueto modo loquuntur.

Annotatio.

Considerato quàm fuerit Hippocrates diligens prescrutator eorum, quæ ægrotantibus accidebant: Neque enim eum latuit, *in Charitide, quòd confidentiùs, ac benigniùs quàm pro tempore loquebatur*; hoc est, *quàm pro statu in quo erat.* siquidem, cum in periculo versaretur, adeò erat periculi oblitus, vt accedentes benignè exciperet, & cùm eisdem confidenter colloqueretur. Hoc itaque agnoscens esse præter illius status, & occasionis dispositionem, ex delirio fieri meritò iudicauit.

7. epid.

PARTICVLA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

PARTICVLA IV.

PRÆSAGIA SVMPTA A RESPIRATIONE.

Bona respiratio quid significat.

FAcilitatem respirationis, ex Hippocratis sententiâ, perquam magnam vim habere ad salutem prædicendam existimare oportet; adiungito *in morbo acuto cùm febre*: in acutis enim, dùm bona est respiratio, benè de ægroto speramus: siquidem respiratio difficilis ad mortem ducit. Dixi *in febribus*: quia in iis, praua respiratio, prauum signum est, si verò bona sit, bonum est: bonum námque signum censetur prauo signo carere. Intelligito in quibusdam magis, in aliis verò minus: sunt quippè nonnulli qui facili quâpiam de causâ difficulter respirant, præsertim molles, vt notat Galenus in opere de difficultate respirationis, quòd omninò lectitare oportet. Itáque bona respiratio duas præcipuas facultates benè se habere significat: * Animalem, à qua fit, & Vitalem, propter quam fit; significat prætereà instrumenta, quæ plurima huic muneri dicantur, esse sana. Vt respiratio rectè fiat, necesse est cerebrum benè valere, vtpote quod diaphragma, thoracem, & musculos respirationi inseruientes facultate moueat animali: Itémque cor, & pulmones nullam noxam pati.

1. progn. 25.

* Tres sunt respirationis causæ continentes: Facultas, Instrumenta, Vsus. *Facultas*, animalis mouens, *Instrumenta*; diaphragma, musculi thoracis, & pulmo, *vsus*, caloris refrigeratio, spirituum restauratio, fuliginum expulsio. Qualibet harum causarum, quomodocúmque alteratâ, respirationem quoque alterari necesse est.

Constat ex inspiratione & expiratione. Expiratio est per quam fuligines depellimus; Inspiratio autem per quam aërem attrahimus. *Facultas quidem animalis*, inquit Galenus, *mouet thoracem*; *cùm hoc simul mouetur pulmo*; *ad huius verò motum*, *vbi distenditur*, *sequitur inspiratio*, *vbi contrahitur, expiratio.* Porrò primæ simplices respirationis differentiæ sumuntur, vel penes motum, vel penes quietem. Et penes motum quidem, vel iuxta tempus, quod motus consumit, vel iuxta spatium, quod tali motu percurritur. Sic tres differentias, non plures, constitues; Prima, quæ motus tempus respicit, dicitur *velox, aut tarda.* Altera, quæ respicit spatium, dicitur *magna vel parua.* Tertia, quæ pertinet ad quietes, *frequens aut rara* nuncupatur. Quippe si breui tempore spatium percurratur, *velox* est res-

1. difficult. respir. c. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

piratio. Si ſpatium magnum occupetur adeò, vt valdè attolli conſpiciamus thoracem, dicitur *magna*. Si exigua mora, in vnaquâque quiete, contrahatur; *frequens*, ſiuè *crebra*, ſiuè *denſa* vocatur, ſin magnam in quieſcendo contrahat moram, tunc dicitur *rara*. Ex ſimplicibus differentiis multæ componi poſſunt. Vt e.g. ſi coniungatur parua cum frequenti, aut cum rarâ; vel ſi magna cum veloci & quamplurimæ aliæ, ex quibus prædicendi ratio ſumitur.

Differentiæ reſpirationis (idem de pulſuum differentiis dictũ puta) non omnes ſimul aut ſaltem aliquæ (vt quidem perperam exiſtimarunt) ſed ſucceſſiuo quodam ordine acquiruntur. Ita vt ſi vſus augeatur, ſiue adductis ſit exhauſtis animalibus ſpiritibus, quod in defatigationibus euenit; ſiue caloris augmento, vt in diariis; ſiuè fuliginum expurgandarum neceſſitate, vt in putridis; ſi inquam, vſus duntaxat augeatur, reliquis duabus cauſis non variatis, primò magnitudo acquiritur, poſteà celeritas; quæ duo ſi non ſufficiant, tertia adiicitur, frequentia. E contrario in reditu ad naturalem ſtatum prius amittitur frequentia, poſtmodum celeritas, vltimò magnitudo.

Ratio ſuffragatur, primò, quia licèt per illas differentias, natura neceſſitati ſubueniat; tamen ab eâ differentiâ priùs ordietur, à qua minorem ſuſcipit noxam: At per frequentiam non datur tempus, ſpirituum coctioni; per celeritatem aër frigidior, quàm oportet, cordi occurrit; magnitudo nullum huiuſmodi damnum affert; Tentare igitur debet Natura ſagax; an magnitudine ſolâ poſſit vſui ſatisfacere; quod ſi non poteſt, tunc damna celeritatis, & frequentiæ, vt potè minora, ad euitandum maius damnum, cogitur tolerare.

Secundò, viri, ſi ad fæminas conferantur, & tàm viri, quàm fæminæ, verno tempore, vſum habent auctum, nec tamen viri aut fæminæ, aut vtrique verno tempore, magis quâm aliis temporibus, habent pulſus vel reſpirationes celeriores, aut breuiores; habent tamen in magnitudine auctas. Et quamuis dicas viros potiùs quàm fæminas, non ſolum vſum habere auctum, ſed & facultatem robuſtiorem; Sic etiam vegetiores verno tempore, quàm aliis temporibus: Adhuc reſpondebo, veriſimile eſſe naturam ſoli vſui, magnitudine reſpondere.

Tertiò, non leuis eſt coniectura, quæ ex progredientis hominis exemplo accipi poteſt: primò enim paſſus prolongat, quod ſi id non videatur ſatis, greſſum accelerat; at, niſi magna adſit cauſa, non quieſcit fatigatus.

Sed præſtat ea, quæ pro contraria parte afferuntur, in examen trahere. Dicunt primò, qui contra ſentiunt, tres illa differentias à Galeno dici inſeparabiles aucto calori; ſed in hoc interpretum eſt lapſus; nec legendum inſeparabiles ſed οἰκείας hoc eſt familiares, ſeu peculiares; quantum autem diſtet familiare aliquod ſignum, ab inſeparabili, videndum apud Galenum. Iam verò quod afferunt ex Arte medicinali, in quâ tres illas differentias perpetuas facit calido cordi, nihil conuincit: Nam in illis caſibus, facultas imbecillior ſupponitur; qui enim ab ortu intemperato corde ſunt, factam intem

1. de cauſ. pulſ. c. 4.

intemperiem contrahentes, in opere ipſo, & facultate deficiunt; quod ergo in illis, propter imbecillitatem, non poteſt magnitudo (quia licet non ſit tanta quæ manifeſtè paruam faciat reſpirationem non eſt tanta quæ aucto vſui ſufficiat) ſuppletur velocitate & frequentiâ. Eſt & alius locus Galeni, vbi videtur velle magnitudinem ſimul cum celeritate fieri: ait enim. *Si calor quomodocunque augeatur, neceſſariò maiores fiunt & celeriores, non tamen manifeſto crebriores; niſi valdè neceſſitate.* Hæc Galeni verba excuſari poſſunt, quia illic initio tractationis nondum exactè definitam tradidit doctrinam, quam paulò poſt perfecit; concedens magnitudini priorem, quàm celeritati locum.

1. de cauſ. pulſ. c. 3.

Rationem adiungunt: quia ſi in pulſu v. g. tempore quietis internæ, augeatur neceſſitas aucto calore, & in tempore quietis externæ, augeatur fuliginum copia, neceſſariò vtraque quies reddetur breuior, abſque vlla velocitate; & ſic crebritas antecedet velocitatem, & magnitudinem. Reſpondeo magnitudine ſola, aut ſimul cum velocitate, tantùm aërem attrahi, & fuligines tantas expelli, vt tempore vnius quietis, non poſſit enaſci neceſſitas variandi vel pulſum, vel reſpirationem.

Dicunt præterea ſi aliquando, propter auctum calorem, omnes illæ augentur differentiæ, ſemper augeri, quandoquidem eadem cauſa in principio eſt, quæ & poſterius: ſed non vident quàm inualida ſit iſta argumentatio; neque enim ſi in extremâ neceſſitate pinnis narium reſpiramus, æquum eſt vt in quâuis, id perpetiamur.

Tandem ita argumentantur ſi eſt vna ex continentibus cauſis, vſus; neceſſe eſt vt factâ in vſu, mutatione; fiat in omnibus differentiis. Reſponſio ad hoc, eſt in promptu: nam neceſſe quidem eſt, vt complexus ille differentiarum, ſentiat mutatum vſum, ſed differentiarum complexus mutatur, vnaquâque differentiarum mutatâ.

Deperditio differentiarum eo ordine procedit, vt ea, quæ vltimò acquiſita fuit, priùs deficiat; & ſic crebritas eſt prima, quæ abeſt: quia quemadmodum natura incipit acquirere eam differentiam, à quâ minùs læditur; ita incipit perdere eam à quâ maiorem noxam ſuſcipit. Deinde etiam à contrariis duobus, contrariæ inducuntur operationes; auctus calor primò inducit magnitudinem, vltimò frequentiam; diminutus frequentiam priùs amittit, vltimò magnitudinem.

Reſpiratio magna, & rara.

Proprium deſipientiæ ſignũ eſt, magnam, & raram reſpirationem reddere; videnturq; ambę hæ differentiæ, obliuionis cuiuſdam eſſe ſigna. Nam immoderatam moliri ſpiritus attractionem, rurſuſq; immodica ceſſare quiete, eius eſt qui nec quando deſinere ab actione oporteat, neq; iterũ quando incipere aut nouit, aut recordatur, ſed in vtraque menſuram egreditur ob defe-

ctum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ctum conſiderationis. Quoniam igitur reſpiratio animale eſt opus, deſipientes autem habent animalem facultatem, nempe rationem oblæſam, obliuiſiores tùm circa actiones, tùm circa ipſarum interſtitia fiunt. Porrò & actiones & quietes longo tempore factæ;magnitudo, & raritas in reſpiratione ſunt; quod Hippocrates,tùm in aliis locis,tùm in Prognoſticis ſenſiſſe videtur,inquiens: *Spiritus magnus, & per multum tempus, deſipientiam ſignificat*; quo ſane oraculo reſpirationem magnam, & raram delirantibus attribuit. Hanc habuiſſe dicitur Philiſcus: *Spiritus huic perpetuo veluti ei,qui vocatur rarus, & magnus*,quem etiam *prorſus deliraſſe* dixerat. Et ibidem Silenus à principio, ad finem, habuit reſpirationem magnam raram, & ſimiliter Dromeadæ vxor.

1.prog.24.

1.epid.ſect.3. text.18.ægr.

1.ibid.ægr.2.

ibid.ægr.11.

Annotatio.

Non tamen neceſſe eſt,vt ſemper is, qui delirat magnam, & raram reſpirationem efficiat:neque enim inſeparabilē magnum, & rarum ſpiritum, ſed proprium eſſe delirij dicimus. Quicquid autem proprium dicitur, non continuò eſt etiam inſeparabile, ſed ſolùm id, quòd Logici proprium quarto modo appellant, quod ſcilicet *conuenit omni, ſoli, ac ſemper.* Geometram eſſe proprium eſt hominis, non tamen inſeparabile, quemadmodum riſibile.

Dicunt aliqui, nec profectò ſine ratione, delirium quidem eſſe ſeparabile ab ſpiritu magno,& raro: quoniam ſine magnâ & rara reſpiratione ægrum delirare contingit. At verò magnam, & raram reſpirationem eſſe inſeparabilem à derilio: quia quotieſcúmque adeſt magna, & rara reſpiratio, delirium ſimul adeſt. Si verò obiicias oſcitantes, & imaginationibus detentos, qui ſine delirio magnam,& raram edunt reſpirationem. Reſpondetur optimè, hos ſemel tantùm, aut bis, hoc modo reſpirare, & degere ſine febre: eos verò, de quibus Hippocrates, loquitur,& ſæpè ita reſpirare, & morbo acuto laborare: detinentur námque à falſis ſimulachris, & propterea non ſolùm reſpirare, ſed omnes actiones liberas præſtare obliuiſcuntur, vt potare,& lotium reddere. Has autem operationes poſtquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

quam diutiùs omiſerunt, coguntur poſteà magnas edere, atque ideò longam faciunt vno ictu potationem, & vno mictu matellam implent, eodem modo & vno impetu magnam edunt reſpirationem.

1. difficult. reſp. c. 12.

Alia obiectio afferri poſſet, ex Galeno, dicente, ſpiritum magnum, proprium ſimul, & inſeparabile deſipientiæ eſſe ſignum, vbi ſe demonſtraſſe ait in libris Epidemion, *omnes, quibus magna, & rara reſpiratio fuit deſipuiſſe.* Verùm huic Galeni ſententiæ optimè quadrat prædicta reſponſio, * nempe ſpiritum magnum & rarum eſſe inſeparabile ſignum delirij, ſed non è conuerſo delirium eſſe inſeparabile à reſpiratione magna, & rarâ.

1. prorr. ſect. 1. com. 4.

* Hanc reſponſionem narrat Galenus ſe dediſſe cuidam, qui Hippocratis doctrinam irridebat. Aderant curationi cuiuſdam delirantis, cui non erat magna, & rara reſpiratio. Arguit Galenus Medicum illum ignorantiæ, in Hippocratis doctrinâ: ſiquidem Hippocrates in Epidemiis multorum refert, hiſtorias, qui delirarunt, nec tamen magnam, & raram habuerunt reſpirationem. Vt præter alias eſt illa, de Dealcis vxore. Hæc multis modis delirauit, modò cum riſu, modò cum planctu; aliquando taciturna erat; aliquando loquax, & ſimiliter breuiſpira hoc eſt (vt mox dicemus) paruam habens reſpirationem, aliquando autem magnam, & raram habebat per tempus, quod duo ſignificare poteſt, vel non fuiſſe ſemper, ſed per tempus; vel fuiſſe per tempus, hoc eſt, per ſpatia longa. Vtcúmque accipias illa rurſus breuiſpira reddebatur.

2. diffic. reſp. c. 4. & c. 5.

3. epid. ſect. 3. tex. 86.

Exceptio.

Oportet igitur ex Hippocratis doctrinâ accipere, deliriis, ſpiritum magnum, & rarum (iuxta ipſorum rationem) comitem eſſe; non tamen omnibus, ſed iis tantùm; qui non per aliam affectionem delirio maiorem, habent reſpirationem alteratam. Nam e.g. dolor ex inflammatione in partibus, quæ ſunt in ſepto tranſuerſo, aut iuxta ipſum, frequentem & paruam efficit (vt mox dicemus) reſpirationem, delirium magnam & raram. Vbi verò vtraque cauſa, delirium, & dolor coniungitur, aut delirium vincet, & inclinabit reſpiratio in magnitudinem, & raritatem, plurimùm diſtractâ facultate ab vſu reſpirationis; aut vincet dolor & reſpiratio ad frequentiam, paruitatémque tendet; aut, ſi medio modo ſe habeant, aliquando vna diffe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

rentia vincet, aliquando alia, vt accidit prædictæ Dealcis vxori, quæ 14. *ſpiritum habuit magnum, & rarum, & rurſus fuit breuiſpira.* * In qua duæ diſpoſitiones præternaturam implicabantur, delirium quod magnam, & raram reſpirationem efficit, & poſteà refrigeratio, quæ paruam. At Anaxion morbo laterali laborans, *difficulter reſpirabat*, ** *& delirabat*: hic non debuit habuiſſe raram reſpirationem: talis enim pleuriticorum non eſt.

3. epid. ſect. 3.

* Videtur Galenus in ſignificatione breuiſpiri ſibimet contradicere: Nam interdum hoc eſt in libro de difficultate reſpirationis agens de Pythione, breuiſpirum eum ex Hippocrate appellat, tunc addit; *breuis enim reſpiratio, & actionem, & quietem ipſam breui fieri indicat, quemadmodum longa reſpiratio, contra ambo eſſe producta.* At ſi breuem reſpirationem appellat eam quæ breuis in actione, & in quiete eſt, parua, & frequens reſpiratio erit illius, qui breuiſpirus ſeu βραχύπνυς appellatur. Verumtamen contrarium legitur apud eundem Galenũ alibi: quippe ait: Hos βραχυπότας *dices qui & parum, & longo intervallo bibunt; ſi verò quis parum quidem, ſed aſſiduè bibat, hunc non ſimpliciter dixeris* βραχύποτον, *ſed* μετάπινοντα *ideſt paulatim bibentem appellaueris.* Haud aliter qui ſpiritum trahit, non parum tantùm, verùm etiam interuallo longo interpoſito externum per guttur aërem attrahit.

2. diffic. reſp. cap. 4.

3. epid. ad hiſt. Ryth.

Excuſatur Galenus: quia in libro de difficultate reſpirationis parum videtur ſollicitus de vtraque ſimul differentiâ; paruitate, inquam, & frequentiâ, cùm ſatis ei foret, ſi altera ex his deficeret, vt contra Medicum illum concluderet, Pythionem delirantem obſeruatum fuiſſe ab Hippocrate, ſine magnâ, & rarâ reſpiratione. Nam vtcumque ſit, ſpiritum paruum habens poterit breuiſpirus appellari. Et profectò in Pythione conueniens erat, vt fieret ſpiritus paruus quidem ſed rarus: quia refrigeratus erat. Idcirco Hippocrates (vt eſt Valleſij coniectura) Pythioni ait fuiſſe *ſpiritum tenuem, & imminutum*; talis eſt ille, per quem inſpiratur parum aëris, parum autem aëris per ſpiritum rarum & paruum ſpiratur: per paruum enim & crebrum non inſpiratur minus aëris ſed per minores partes.

** Ne exiſtimes difficilem reſpirationem eſſe eandẽ cum magnâ & rarâ, ſed difficilem frequentem dixeris: cùm enim Hippocrates dicat: *ſi in febre non intermittente difficultas reſpirationis, & delirium fiat, lethale*, ſi nomine difficultatis reſpirandi, magnam & raram reſpirationem intelligeret, non dixiſſet *lethale*: nam magna, & rara omne delirium, quamuis non lethale quod aliam affectionem adiunctam non habet, comitatur. Cùm igitur dicat, *lethale*, innuere videtur inflammationem diaphragmatis à quâ delirium lethale eſt.

4. aph. 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Appendix.

Cùm dicimus magnam reſpirationem delirij eſſe ſignum, magnam abſolutè intelligimus, hoc eſt, eam, quæ vtróque motu, tam inſpirationis, quàm expirationis, magno conſtet. Adde nunc reſpirationem magnam ſecundum alteram iſtarum motionum, aliter ſignificare: nam ſi aucta ſit ſola expiratio, magnam fuliginum quantitatem adeſſe demonſtrat ſi ſola inſpiratio augeatur; tunc calor ingens cor opprimit. Rectè igitur in Coacis dicitur: *Tum magnus foras efflatus, intro paruus; tum è contra foras paruus, intro magnus, peſſimus eſt ſanè, & morti propinquus.* Itáque ſi foras magna, intus parua ſit; cùm ſignificet, fuliginum abundantiam, periculoſa eſt. Fuliginum námque cumulus ſuffocationem caloris inducit. Si foras parua ſit, intus magna; incendium adauctum oſtendens, etiam perniciem ſignificat; neque enim in magnis ardoribus, reſpiratio, quantumuis aucta, voto reſpondet. Morti autem propinqua vtraque dicitur, quoniam eò poteſt accedere vel fuliginum, vel caloris augmentum, vt illud ſtatim ſuffocet, hoc ſpiritum vitalem, humidúmque ſubſtantificum exhauriat.

Reſpiratio Meteora.

Quædam eſt reſpiratio, *in quâ thorax valdè dilatatur*; alia, *in quâ multum aëris attrahitur*: vtrámque aliqui appellant magnam; ſed prima quidem, ab Hippocrate meteora, hoc eſt, ſublimis dicitur. Sic quando agit de anginoſis illius tempeſtatis quam deſcribit; *Spiritus*, ait, *his non valdè ſublimis*; & quando refert anginoſam, quæ apud Bitonem erat, *ſpiritum habuiſſe ſublimem*; dicitur autem ſublimis reſpiratio, non (vt quidam falsò putant) quæ trahitur rectâ ceruice, ſed vt Galenus inquit, quia ſublimioribus thoracis partibus inſpiratur, hoc eſt, per quam ſublimia reſpirationis inſtrumenta muſculi ſcilicet venientes à ceruice, ſimul cum clauiculis mouentur. Hæc reſpiratio in ſummâ fit neceſſitate, propter viarum anguſtiam, aut animalis facultatis debilitatem. Hunc eundem ſpiritum Hippocrates alibi appellat πρόχειρον hoc eſt, promptum, (vt Galenus

2. epid. ſect. 2. iuxta fin.

3. epid. ſect. 1. ægr. 7.

4. loc. aff. c. 7.

in Coacis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

1.prorrh.1. com.24.

lenus ait (*quoniam promptè facilitérque his qui ægrum cer¨unt videtur.* Φανόμενον etiam aliqui vocant; quia primus omnium sub aſpectum intuentis Medici venit, ac veluti ſit in promptu vt eum tueamur. Multi vertunt ſpiritum ſublimem; alij, quaſi paraphraſi quadam transferunt ſpiritum præ manibus expoſitum. Verùm cùm Hippocrates adiungat, veluti iis qui ſtrangulantur, manifeſtum eſt, eum loqui de ſpiritu, in quo æger inter reſpirandum, totum mouet thoracem, parte nempè anteriore vſque ad iugulum, poſteriore ad ſcapulas, è lateribus vtrinque ad ſummos humeros.

Annotatio.

4.loc.aff c.4.

Verum animaduertere oportere, (admonet Galenus) *ne aliquando in hâc decipiamur, exiſtimantes eam ſpirationem, quæ ob virium imbecillitatem, omnibus agentibus muſculis efficitur, eandem eſſe cùm magnâ.* Magnam Hippocrates vocat, quam poſſumus multam appellare, hoc eſt, in quâ multus attrahitur aër, etiamſi abſque ſuperiorum muſculorum actione fiat.

Reſpiratio magna & frequens.

Magnitudo reſpirationis, ſemper pro hypotheſi: habet ſpirabilium inſtrumentorum obedientiam; quare ſi magnitudini raritas adiungatur, raritatem non ad inſtrumentorum vitium referemus: obſtat enim magnitudo quominùs ita ſentiamus; referenda ergo eſt, ad facultatis impedimentum. Ecce cur dictum eſt, ſpiritum rarum, & magnum, eſſe ſignum facultatis impeditæ, facultatis, inquam, animalis, impeditæ hoc eſt, occupatæ variis ſpectris, & imaginationibus. Si verò magnitudo frequentiam comitem habeat, tunc graue incendium vigere, meritò ſuſpicabimur, vbi enim ignis in penetralibus vitæ, corde, & pulmonibus incanduit, magna fit, celer, & crebra reſpiratio, celerem dico, quam frequens ſupponit: ſiquidem priùs (vt diximus) celeritas; crebritas poſteà acquiritur. Igitur ſi virtus adſit & inſtrumentorum obedientia, vt non impediatur magna fieri reſpiratio; adſit & incendium magnum, erit ſimul magna & crebra; crebra inquam, tum in-

ſpiratio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſpiratio, tùm expiratio. Inſpiratio, quoniam calor exæſtuans plurimo aëre ad refrigerium indiget, hinc inſpiratione attrahitur: rurſus expiratio, quia in magno igne multæ, quæ expellantur, fuligines adſunt. Quare meritò magna hæc & frequens reſpiratio dicitur in Coacis *Spiritus exæſtuans & fuliginoſus*, eſtque cordis incendio flagrantis propria, & inſeparabilis.

Reſpiratio parua & frequens.

Magnæ, & raræ reſpirationi, opponitur parua,& frequens; quid hæc ſignificet ex ſuo contrario addiſces. Magna, virtutem validam, inſtrumentorúmque obedientiam ſignificabit; parua quid indicabit, niſi aut virtutis imbecillitatem aut inſtrumentorum ſpirabilium renitentiam; frequentia ſemper neceſſitatis eſt index, ſiquidem Natura, id quod vno ictu conſequi nequit, multiplicatis ſibi comparat. Igitur reſpiratio parua, & frequens, vt frequens incendium denotat, vt parua ſi impedimenti inſtrumentorum ſigna deſint, facultatis impotentiam exiſtimare oportet.

Appendix Prima.

Non ſola imbecillitas eſt, quæ paruam,& frequentem reddit reſpirationem, ſed dolor etiam, idem præſtare ſolet;ideò cùm Hippocrates dicat: *Spiritus autem qui creber eſt, ſignificat dolorem, aut inflammationem in regionibus, quæ ſupra præcordia ſunt.* (*1.prog.24.*) Galenus in commento ait,ſpiritum crebrum, & paruum,ſignificare dolorem;vt magnus & creber inflammationem ſignificat. Dixit autem Hippocrates;*In regionibus, quæ ſupra præcordia ſunt*; quaſi dicat partium in thorace; quæ ſunt (cor,& pulmo,) poſitæ ſupra ſeptum tranſuerſum: Maiores enim præcordia, & diaphragma ita appellarunt, cur autem reſpiratio parua, & frequens, dolorem earum partium indicet,Galenus eleganter docet: (*lib.1.diffic. reſp.c.9.*) videlicet vbi dolet pars aliqua, ab arteriis circumpoſitis, vexatur in diſtenſionibus, compreſsâ parte dolente,& fluxione etiam concitata: quòd ſi pulſatio eſſet libera, eam omnino cohiberemus, aut ſaltem, quoad fieri poſſet de magnitudine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

detraheremus. At verò quia respiratio est libera, si thoracis aut diaphragmatis pars aliqua, aut peritonæi aut iecoris, aut al a quæcunque, earum quæ thoraci compatiuntur, laboret; spiritum quoad magnitudinem cohibemus, nec verò de frequentiâ; aut velocitate detrahimus: *Etenim dolor non ita grauiter vexat thoracem, ob motus velocitatem, sicut ob dilatationis magnitudinem. Velocitas enim quamuis circa ipsam actionem sit dolorosa, tamen quia breui tempore omnem motum efficit, minùs thoracem offendit.*

de diffic. resp. cap. 9.

Si verò quæras diminutâ magnitudine ob dolorem, quid circa alias differentias euenit? Respondet Galenus; *Manente calore cordis intra terminos à Natura constitutos, motum thoracis manifestè tardiorem reddi, si verò ardor quidam in ipso corde oboriatur; velocitas quidem non exoluitur, ob eas quas antea diximus causas; aufertur autem etiam hic multum de magnitudine; verùm pro ipsâ, densitas generatur, ob vrgentem vtilitatem.* Sic ille. Et profectò crebritatem deficiente magnitudine augeri, rationi consentaneum est; quippe vt ex eodem colligimus, cùm spiratoria organa, imperfectam relinquant respirationis operam; eámque vsu nondum expleto dissoluant, necesse est vt mox altera illi succedat actio, non tanta interpositâ quiete; quantâ dum naturaliter se haberet; indéque spiritus frequens redditur, & paruus. Cæterùm quod ille de velocitate sentit, nempe velocitatem deperdi & tardiorem respirationem edi, hoc non admitto; cum enim velocitas sit via media ad crebritatem; non potest crebritas aucta consistere cum diminutâ velocitate, & quæ respiratio est frequens, velox simul necessariò esse debet, quod ex comparandarum differentiarum modo poteris addiscere.

de const. art. cap. 15.

Appendix Secunda.

In dolore partium, quæ sunt supra præcordia, pulsum paruum, & crebrum fieri ex Hippocrate, & Galeno colliges: Ego addo, eundem fieri in omni vehementi dolore cuiuslibet partis, nam versus partem dolentem comprimuntur membra omnia, versus eandem sanguis & spiritus suppetias allaturi confugiunt; accedit debilitas ex resolutione, hoc est resolutio virium ex dolore: his de causis dilatatio impeditur, ad impeditam

tam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tam autem dilatationem frequentia neceſſariò conſequitur. Conſidera in colicis, in cardialgicis, in arthriticis dummodo violenter doleant; in omnibus adeò exiguam reſpirationem inuenies, vt aër per eam attractus vix ſufficiat vocibus efformandis.

Reſpiratio parua, & rata.

Ad ſummum miſeriarum deuentum eſt, cùm parua, & rara editur reſpiratio,quæ vt plurimũ frigida * eſſe ſolet, ac ſubindè omnium peſſima: Nam iuxta Hippocratis doctrinam; *Spiritus qui frigidus de naſo & ore expiratur; admodùm exitialis iam eſt;* & alibi: *Frigidus quidem ſpiritus eſt lethalis, lethalis eſt etiam æſtuoſus, & fumidus; minùs tamen quam frigidus.* Quia vt inquit Galenus; *Rarus ſpiritus, ſi magnus eſt, indicat delirium, ſi paruus, extinctionem natiui caloris.* In hanc paruam, & raram incidunt vt plurimum ij, qui priùs magnam & raram edebant, videlicet aucto morbo, & deficiente virtute; ita accidit vxori Dealcis, quæ per aliquot dies magnam, & raram edidit reſpirationem, poſtèa facta fuit breuiſpira: iam autem diximus breuiſpirum, propriè appellari eum,qui ſpiritum habet paruum & per interualla. Meritò ergo diximus ex magnâ, & rarâ in paruam, & raram ægros incidere, quoniam febrilis æſtus, perſeuerando natiuum calorem ad inopiam deduxit, & cerebri inflammatio, quam phreniticus,magnam,& rarã edens reſpirationem, patiebatur, ferè ad gangrænam commutatur: commutari námque eryſipelata, in affectum frigidum habes apud Galenum, imò, hoc eſt,proprium omnium affectuum,qui ad ſummum magnitudinis perueniunt, vt, ſi ſanari nequeant, ad ſuos contrarios transfugiant:ſic vſu euenire ſolet in ægrotantibus, pro clamore ſilentium; pro iactatione quies; pro artuum vibratione,tremor; pro vigiliis,coma, & cataphora. Rara quidem eſt quoniam exiguus eſt ſpirandi vſus, propter exiguum calorem, qui exiguum expoſtulat refrigerium, paucáſque extollit fuligines, ac proinde nec inſpirationis, nec expirationis vrget neceſſitas; parua etiam eſt, propter extremam imbecillitatem conſequentem ad caloris natiui iam penè extinctionem, in qua conſiſtit mors.

1.prog.24.

in coac.

3.epid.ſect 3. tex.8.ægr.2. 15.

7.ſimpl.

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Et ſanè adeo eſt certa mortis prænotio in frigido ſpiritu, vt nulla ampliùs ſpes ſupereſſe poſſe videatur, licèt denuò ægrotus incaleſcat: atque ideò dictum puto ab Hippocrate: *Signa lethalia, per cutem calidus vapor; priùs autem naſus frigidum ſpiritum reddit*; quaſi diceret; cùm eo deuentum eſt, vt frigida reddatur reſpiratio, quamuis deinceps exiguus ille calor, qui ſe intra cor continebat, diſſipatus, per cutem exhalans, caloris ſpeciem præſeferat, lethale ſignum eſt; quippe calida iſta vaporatio, non excuſat à prauitate ſigni reſpirationẽ frigidam. Itáque hoc certiſſimum & vniuerſaliſſimum habeto, omnem intemperiem ab ardore frigidam, eſſe lethalem; non ita tamen, ſi non præcedat cauma, nam in principiis acceſſionum, & in affectibus vterinis, frigida reſpiratio non eſt lethalis: intellige igitur lethalem eſſe in morbis acutis.

* Interrogabis quî fieri poſſit vt corde per ardentem febrem accenſo reſpiratio frigida reddatur? dupliciter reſpondeo. Primò aërem trahi ad pulmones duntaxat, inde per arteriam venalem ad cor peruenire. Cum igitur in ſummo virium languore arteriæ parũ pulſent, fit vt arteria venoſa parum pulſans vix aërem attrahat, ac proinde remittitur aër à pulmonibus, qui ad cor non acceſſit. Prætereà cùm in extrema frigiditate extrema frigeant, & quò maior eſt inbecillitas, eò plures partes infrigidatio occupat, (vt e. g. digiti prius refrigerentur, poſteà manus, tandem brachium) euenit, vt non ſolum naſus, & labia, ſed & fauces refrigeratæ aërem refrigerent. Tandem aër tranſiens repræſentatur frigidus: quia motus, quam quietus magis refrigerat, ideò in æſtate flabello refrigeramur.

Altera reſponſio. In febre non tantum conſideranda eſt caloris intentio, ſed etiam eiuſdem quantitas. Intentio penes maiorem gradum attenditur; quantitas penes ſpirituum, & ſanguinis vbertatem, quæ duo tanquam materia ſunt, quæ igneum ſuſcipiunt calorem. Hæc caloris quantitas non minùs, quàm eius intenſio ad actionem exigitur. Nam quamuis caliditas, qualitatum omnium ſit efficaciſſima, tamen quantitatem quandam ad agendum requirit: quoniam, vt Galenus ait, *centeſima vnius fauillæ pars eſt quidem omninò genere ignis, cæterum corpori occurrens, nec calefacit, nec ſentitur quidem, ſic granum piperis eundem caloris continet gradum, quem integra libra, ob quantitatis tamen paucitatem inſenſibiliter nos immutat.* Quemadmodum igitur, ignis aliquando adeò accenditur luculentus, & magnus; vt totum cubiculum, in quo continetur, abundè valeat calefacere, interdum minor vt vicina quidem loca ſufficienter calefaciat, remotiora non alteret, nonnunquam tamen adeò exiguus vt ne vicinum quidem immutet

3. de temp. cap. 4.

aërem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

aërem : Ita de febrili calore eſt ſtatuendum : nam hic interdum adeò magnus in viſceribus accenditur, vt corpus vniuerſum inflammet, aliquando minor vt viſcera tantùm vrat, interdum adeò puſillus, vt nec aërem inſpiratum queat calefacere, cùm tamen ſiuè minimus, ſiue maximus fuerit, ſemper naturali intenſior exiſtat : nam non poſſe ad longinqua pertingere, aut vniuerſum aërem inſpiratum calefacere, non indicat illum non eſſe præternaturaliter accenſum, ſed ipſius paucitatem & inopiam, propter quam nequit ad omnes partes ſe ſe extendere. Dicendum igitur eſt cor febrientibus propè mortem aliquando caloris copiâ deſtitui, non tamen caloris intenſione : ſiquidem quantuluſcumque ſit calor, etiamſi non ſit magnus (ſi febris adeſt) accenſus magis eſt, & intenſior redditus, quàm naturalis. Ad quod reſpexerunt Medici cùm dixerunt, *Febrem eſſe calorem accenſum in corde, aut intenſum ſupra moderatum.*

Corollarium.

Colliges ex dictis, decipi nonnullos, qui quoniam vident prope mortem frigidum reddi ſpiritum, arbitrantur cor prope mortem ſemper frigida intemperie laborare, etiamſi anteà calidus affectus fuerit, deceptioni occaſionem præſtitit Galenus, qui explicans ſententiam Hippocratis *Signa mortifera, per cutem calidus vapor, priùs nares ſpiritum frigidum reddunt.* In hunc modum ſubiungit : *Omne igitur cor, propè mortem frigidâ intemperie affectum eſt, ſed non in quolibet morbo, huiuſmodi affectio ſemper eſt ; verùm in ardentiſſimis febribus plerumque calidiſſimum.* Sic Galenus. Verùm iudicio meo ex hâc opinione, duo præcipuè abſurda ſequuntur.

6.epid.ſect. 4.text.30.

Primum abſurdum.

Neminem cum febre mori : nam ſi quando æger moritur, frigidâ intemperie cor eius afficitur, perſpiciuum eſt, illum tunc temporis febre nequaquam laborare : quandoquidem febris *calida cordis intemperies* ab omnibus definitur.

Secundum abſurdum.

Si cor prope mortem frigidâ intemperie laborat ; omnes, frigidum exſufflando, mori debent, hoc tamen verum non eſt : quoniam plurimi calidum ſpiritum reddentes moriuntur. Rurſus plurimi, qui in ardentiſſimæ febris ardore è vita diſcedunt, à morbi vehementiâ (vt Galenus inquit) Naturâ ſuperatâ, non quidem ob exuperantiam frigiditatis, ſed propter caloris exceſſum, moriuntur. Quare tunc rationi eſt conſonum, eos calidum exſufflando mori.

Igitur Galenum dicentem omne cor propè mortem frigidâ affici in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

temperie, benignè interpretabimur, accipientes eius dictum, quasi loquatur de frigidâ intemperie, quæ sequitur ad diminutionem quantitatis caloris; non de eâ, quæ citra intensionem infestat. Nam ij qui ex acuto morbo moriuntur, licet frigidum spirent, adhuc calorem quoad gradum intensiorem habent, quàm cùm sani erant: caloris verò quantitas, nempe spirituum, valdè diminuta est.

Interrogabis rursus; si aër qui inspiratur, vtilis suâ qualitate est: quia calorem cordis refrigeratione attemperat; quando respiratoria organa sunt nimis refrigerata, vt in magnâ fame, quam Boulimon Græci appellant, & vbi quis in magno frigore sit versatus, contingit; non solùm non refrigerari eam, quæ in nobis est, caliditatem oportere, sed etiam calefieri esse necesse; vt quæ parum absit, quin penitus sit refrigerata: non igitur tunc respiratione est opus, & præsertim eâ opus non est, cùm frigidus inspiratur aër.

de vtil. respir. cap. 3.

Hoc quæsitum apud Galenum reperies, & ex eodem respondeto, respirationem non exigi solùm causa refrigerationis natiuæ caliditatis, quæ fit per inspirationem, sed etiam expurgationis fuliginum per expirationem. Quia tamen non possumus expirare nisi prius inspiremus, idcirco inspirat æger refrigeratus vt postea expiret, & aër expiratus fuliginosa recrementa secum deducat. Adiungito respirationem non solùm ad refrigerationem, sed etiam ad spirituum restaurationem esse necessariam. Attamen instabis, fuligines non dari, vbi calor non adest, ita est, sed in viuente animali semper calor quantumuis exiguus necessario datur. Sic pisces frigidissimi, vt potè exangues, quia nempe sunt viuentes respirant, quod Galenus optimè demonstrat, licet renuente Aristotele, qui veteres respirationem in piscibus agnoscentes frustra reprehendit.

Respiratio suspiriosa.

Coarctationem spirabilium instrumentorum paruæ & frequentis respirationis causam esse diximus: quippe coarctatis instrumentis, non tantus attrahitur aër, quantus naturæ sufficiat, vnde cogitur motiones multiplicare, vt pluribus suppleat, defectum vnius. Hoc quidem ita est, sed aliquando adeò vehementer opprimitur, vt prima motione in medio itinere relictâ, aliam incipiat. De hâc respirationis noxa, mentionem sæpe facit Hippocrates, atque eam aliquando; *Spiritum offendentem appellat*; aliquando; *Suspiria luctuosa*; alibi: *Duplex intro reuocatio velut in superspirantibus.* Galenus quænam ea sit, hoc exemplo explicat: *Infantes sæpè videntur, quo tempore plorant spirare inspiratione interruptâ, stante interim thorace, de-*

4. aph. 56. 6. aph. 54. de vict. acut. sect. 2. tex. 44. 6. epid. sect. 2. tex. 10. 6. aph. 54.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

inde rursus id quod deest, adiiciente. Queritur tamen idem, ab Hippocrate dictam, *duplicem intro reuocationem, veluti super-inspirantibus*: ita vt de solo vitio inspirationis egerit, non de expirationis interceptione; putátque hoc trascribentium culpâ euenisse. Cæterùm videtur Galenus suimet oblitus; quippe cùm Hipprocrates dicat; *Spiritus offendens, in eâ quæ sursum fit latione*, de interceptione secundùm expirationem verba facit; nam ex sententiâ Galeni: *Latio, quæ sursum fit expirationem facit.* Cur ergo aliquando interceptionis secundum inspirationem duntaxat meminit; alibi verò alterius, quæ secundum expirationem accidit? nempe quoniam cum paruam interceptionem proponere voluit, eam attulit, quæ secundùm inspirationem fit, quippe prauum signum est, & (vt mox dicemus) conuulsionis ex inanitione nota; cum verò de vitiis quæ ex nimio cibo procedunt ageret, tunc interceptionis secundum expirationem, verba fecit. Hoc non latuit Galenum, quippe ita ait. *Verùm spirandi facultas, qua spiritus offendit, ob cibum intempestiuum, magis quàm ob indigentiam oritur. Nam spiritum inter inspirandum & offendi, & quasi sisti, tum angustiæ, tum conuulsionis est nota.* Quasi dicat, spiritus offendens in latione, quæ sursum fit, hoc est, in expiratione, accidit ob cibum intempestiuum: Spiritus verò offendens intro reuocatus (de quo alibi Hippocrates) hoc est, quoad inspirationem, fit ob indigentiam; ac proinde conuulsionem significat. Vnde cauere oportet à Fuchsio, qui interceptionem in expiratione confundit, cum alia quæ in inspiratione fit.

3. difficult. respir. c. 3.

de vict. acut. cõ. 2. tex. 44.

Quid autem mali portendat, Hippocrates exprimit inquiens: *Conuulsionem significat*, ob quam musculi thoracis non cedunt, sed actionem antequam perficiatur interrumpunt, rursúmque poscente vsu, aliam denuo aggrediuntur. Meritò autem huius solum causæ meminit, quippe, *in febribus*, ob exsiccationem à calore extraneo factam, conuulsio hanc efficit respirationem, affectio autem conuulsioni similis, nempe refrigeratio, à quâ hanc eandem interruptam respirationem fieri dixit Galenus, non per febres accidit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Particvla V.

Præsagia sumpta ab insomniis.

lib. de hum.

in coac.

SVmuntur etiam præsagia ab insomniis quod nos docet Hippocrates inquiens: *Insomniis qualia quis videt*; & alibi: *Insomniis, quibus, & quando*, hoc est, qualitatem somniorum, & tempus, quo fiunt, quæ duo considerare oportet, aduertentes priùs Medicum agere de insomniis naturalibus, * hoc est à causa naturali prouenientibus; possunt namque, (imò re vera ** ita accidisse ex Sacrâ Pagina constat) causæ supra naturam insomnia inducere. Verùm Hippocrates eas quæ Medici sunt partes duntaxat agens, libellum de insomniis scripsit, in quo sola prosequitur ea, quæ fundamentum in naturâ habent, ad cuius imitationem Galenus etiam tractatulum de dignotione ex insomniis, nobis scriptum reliquit.

* Plutarchus, Præcipuè, inquit, partem animi visorum informatricem apparet, à corpore opprimi alterato, vnáque cum eo conuerti, sicut ex somniis liquet. Nam interim frequentes nobis; & variæ visiones offeruntur; interim multa est à talibus tranquillitas, & quies.

** Somnia in Sacrâ Paginâ, multa, variáque commemorantur, vt somnium, in quo [a] Abimelech Deum sibi alloquentem audiuit, & exprobantem quod mulierem tulisset, quæ virum habebat. Aliud quod vidit [b] Iacob: nempè *Scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Et [c] somnium Labam, quo sic admonitus fuit à Deo: *Caue ne quicquam asperè loquaris contra Iacob* & duo somnia [d] Iosephi, quæ retulit fratribus suis, vndè inuidiam fratrum sibi concitauit; alterum de manipulo suo consurgente, & stante, quem fratrum manipuli adorabant; alterum, in quo vidit solem, & lunam, & stellas adorare eum. Et [e] somnia pincernæ Pharaonis & pistoris, qui in carcere simul cum Ioseph detinebantur. Et ipsius [f] Pharaonis somnium quod Iosephi exaltationis fuit causa. Et [g] somnium quo iussus fuit Iacob cum promissione magnâ descendere in Ægyptum. Et somnium Madianitæ, quo significabatur Gedeon vniuersam Madiam destructurum. Et [h] somnium quod obtulit Deus Samueli; Et [i] somnium quo apparuit Deus Salomoni dicens: *Postula quod vis, vt dem tibi.* Et somnium quod vidit [l] Nabuchodonosor, *quo conterritus est spiritus eius, & somnium eius fugit ab eo*, quæ fuit occasio exalta-

a *gen. c. 20.*
b *cap. 28.*
c *cap. 31.*
d *cap. 37.*
e *cap. 40.*
f *cap. 41.*
g *cap 46.*
h *Iudicũ. c. 7*
i *1. Reg. c. 3.*
l *3. Reg. c. 3.*

tionis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tionis Danielis. Et somnium quod [m] Daniel ipse vidit admirabile. Et somnium quo Angelus Domini apparuit sancto [n] Iosepho, & iussit vt Mariam coniugem acciperet: *quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est.* Et alterum quo idem admonitus fuit, vt fugeret Herodis iram, & quod acceperunt Magi ne ad Herodem redirent. Et [o] somnium quo vir Macedo diuo Paulo apparuit. Et [p] aliud, quo eundem Paulum Deus exhortabatur ne timeret. Et aliud [q] quo idem Paulus iubetur, vt ad Damascum iter faceret. Et [r] rursus alio somno idem Paulus socios saluos esse admonetur, & pleraque alia.

m *Daniel. cap. 1.*
n *Matth. c. 1. & cap. 2.*
o *Act. apost. cap. 16.*
p *Act. 18.*
q *Act. 21.*
r *Act. 27.*

Qualitas somniorum.

Si quis in somno videat incendia, hunc offendit flaua bilis: igneus quippe humor in nobis præualens, facit vt in somno, quando rationis norma caremus, ad incendia, * quæ cum illo humore familiaritatem habent, cogitanda conuertamur.

Si quis imbres abundare somniat, indicium est, eum frigidis humoribus scatere, sed longè frigidioribus, si niuem, aut glaciem somniet.

Si fumum vel caliginem, vel profundas tenebras, quis somniauerit; hoc fit ab atrâ bile, aut etiam à flatibus: quicumque Gallorum cristas habere, vel ruffa quædam dormiens viderit, huic sanguis abundat.

Sitientibus bibendi somnia se se offerunt, esurientibus comedendi, at verò iis qui seminaria vasa habent multo ** semine repleta, venereorum contingunt insomnia,

* Per somnum percepta multo maiora, vehementioráque iudicantur, quam re ipsa sint. Ita qui bilem superabundantem habet, ex bile, de igne somniat; qui pituitam habet, cogitat de niue, & sic alij. Similiter quidam sudore, & humido vapore cutem infestante, somniabat de balneo tepido. Et ille cui crus imminente resolutione refrixit, dormiens existimabat, se crus habere lapideum. Cui pituita defluit ad fauces, strangulari se somniat, cuius verò ater halitus cerebrum occupat, incubum patiens concipit imaginem grauantis turris, premẽtísque se, & vniuersos artus impedientis, adeò vt mugire cogatur.

Accidunt hæc, quoniam quando Natura per somnium, sui corporis statum, tanquam ex speculâ contemplatur, spectrorum imagines, insigni magnitudine, & incremento fingit, siue obrutus per somnum sensus impotens discernere sensilium differentias, confert se, imaginationémque suam, ad id, quod in quouis genere notissimum est. Est autem notissimum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſenſu, quod ſummum eſt. Mel inter dulcia, lapis inter dura, glacies inter frigida. Siuè quo tempore otiatur facultas à reliquis ſenſationibus, obiectum vnum cenſet vehementius eſſe, ita vox noctu, quàm interdiu meliùs auditur, & dulcedo pituitæ maior ſomnianti eſt quam vigilanti. Siuè quia dormiens non excitatur, vt ſentiat, niſi à vehemente, ferientéque obiecto: quia ergo ita aſſueuit non aliter dormiens, ſentire, vbi ſomniat dormiens, meritò exiſtimat, ſenſilium eſſe eximiam magnitudinem, quam dormiens ſentire potuit.

** Imaginatio per ſomnum, nullo fræno cohibita nos turbat, & phantaſia aliis tum temporis caret obiectis, à quibus diſtrahatur; propterea efficaciores ſunt eius actiones adeò, vt qui circa res venereas ſomniant, polluantur, quod vigilantibus raro accidit, qui lumbricis infeſtantur dentibus frendent dum dormiunt, non dum vigilant; hinc fiunt terrores, & tremores infantium in ſomno ex lacte corrupto, aut ſtomachi repletione.

Appendix.

Ex graui aut bono odore per ſomnum repreſentato, ſumitur etiam præſagiendi occaſio. Nam qui in cæno, & ſtercore ſe verſari imaginatur; vel humores prauos, graueolentéſque, & putrefactos in ſe habet; vel copiam ſtercoris, in inteſtinis contenti. Qui verò in locis beneolentibus verſari ſe credunt, contrario modo eos ſe habere cenſendum eſt.

Tempus ſomniorum.

Etiam tempus quo inſomnia fiunt, ſuam habet obſeruationem, & prædicendi occaſionem. Si in principio acceſſionum, aut vigore, aut alio tempore, prætereà ſi à cibo, vel ſine cibo. Itaque qui ſub acceſſionis initium ſe niue conſpergi putet, tempori id potiùs quàm alicui alterius generis cauſæ eſt attribuendum. Si verò in febris remiſſione ita ſomniet, fideliùs frigidorum ſuccorum argumentum præbet; & longè magis, ſi antè nullum pituitoſum cibum comediſſet. Nam dum pituitoſus cibus in ventre continetur, poteſt ægro talem inducere imaginem.

Somnia conſpicua.

1. pror. 1. tex. 5.

Phreniticis ſomnia conſpicua fieri dixit Hippocrates. Ne tamen intelligito hæc ſomnia phrenitide laborantibus accidere: nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

nam ſic affecti nec dormiunt, nec ſomniant. Dicemus ergo ſomnia conſpicua, accidere iis, quibus inſtat phrenitis. Sunt autem ſomnia conſpicua, quando æger expergefactus, adhuc de iis, quæ ſomniauit, loquitur, quaſi non iudicans id ſibi dormienti occurriſſe; quodnam enim euidentius turbatæ mentis inditium eſſe poteſt, quàm non diſcernere quempiam in ſe ipſo dormiátne, an vigilet?

Appendix.

Non ſolùm phreniticis, ſed melancholicis etiam, ſomnia fiunt conſpicua: cùm enim hi præ cæteris hominibus, ſomniorum multitudine terreantur; cùm rurſus mente non ſatis conſtent, fit vt turbulẽtæ imagines quę dormiendo repreſentantur, adhuc poſt ſomnum perſeuerent, & ob rationis impedimentum non ſit diſcernendi locus.

Somnia ſanorum.

Paucis in vita contigit non ſomniare. Ego nullum, qui hanc habuiſſet felicitatem, cognoui. Plutarchus duos refert Cleonem Daulienſem, & ex Antiquioribus Thraſymenum Heræenſem, qui multis, quos vixerunt, annis, nullam ſibi per ſomnium ſpeciem obſeruatã affirmarũt. Non ſomniare quidem ſanitatis eſt ſpecimen: ſomnus enim ſi naturalis ſit; quò profundior, eo eſt melior, & rurſus quò profundior, eò magis ab ſpectris eſt immunis. *Itaque ſi arctior* (inquit Fernelius) *atque profundior ſomnus occupat, non modò externi ſenſus, ſed etiam interiores facultates ſopitæ iacent, vt neque diſcernere, neque fingere, neque comminiſci quicquam poſſint, nullámque in illis vim habet ſpectrorum turbulenta concurſio. Vnde tùm nullum inſomnium offendit, aut obſeruatur, eáque ratione, ſtatim à cibo non ſomniant animalia, neque cùm primum in lucem edita ſunt, vt infantes.* Hæc Fernelius optimè. Cæterum quod addit, leuiter dormienti multa, quæ ante ſenſum obſeruantur, non appellari ſomnia, non eſt recipiendum. Nam ſomnus tres habet gradus: dicimus enim leuem, mediocrem, & profundum

de Oracul. defectu iuxta fin.

lib. 6. de funct. c. 11.

ſomnus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Somnus leuis somnus est,& qui leuiter dormit poterit somniare, cuius rei signum est, quod admonitus resipiscit.

lib. 5. cap. 9. Multò minus ferendum est, quod alibi scriptum reliquit, nempè somnium ad sensum communem pertinere; quia somnus ad sensum communem pertinet. Imò verò quia somnus ad sensum communem pertinet; somnium non pertinet ad eundem. Nam sensus communis somno ligatus, somnia impedit: ea námque potentiam liberam,solutámque expostulant: quippe somniare actio est, at omnis actio fit à facultate non impedità.

Augentur sanis somnia propter ciborum, siue qualitatem, siue quantitatem; & quod ad quantitatem * attinet, tàm ebrij, quàm qui multo se cibo ingurgitarunt, varia somnia patiuntur; quoniam ex multitudine vaporum, multitudo imaginum formatur. Quòd ad qualitatem spectat, multi sunt cibi, gignendis somniis accommodati. Plutarchus à fabis, & capite polypi,eos, qui præsagia ex insomniis quærunt,abstinere oportere ait: ** *Edunt enim somnia grauia*; & per somnos fluctuantia. Melissa somnos iucundos facere dicitur: Si quis puluinar in quo caput reclinet, sibi anisi semine refertum parauerit; lætissimis gaudebit somniis: Caules tristes somnos reddunt: *** Phaseli turbulentos: Allia,& cæpæ, terribiles.

in quæst. conuiual. lib. 8. cap. 10.

Pauſ. lib. 1. Herodot. l. 8. Philostratus in vit. Apollonij l. 2. cap. 14.

* Vt Pausanias, & alij dicunt, sacerdotes, qui responsa per somnum accipere vellent, integrum diem à cibo, triduò autem à vino abstinebant, *vt pura, purgataque anima ostensorum rationes colligere melius possent.*

** Pythagoras (vt Diogenes Laertius in eius vita ait) fabarum interdicebat vsum, quòd vento essent plenæ, atque animato maximè conuenirent. Ad hæc nisi sumantur leuiores, ac modestiores fieri ventres,atque adeo, quæ insomnis contingunt imagines leues, ac perturbationis vacuas reddi.

*** Ab his nata dicitur opinio lamiarum, quæ apio,castaneis,fabis, cæpis, caulibus,phaselisque victitantes,videntur per somnum ferri in diuersas regiones, atque ibi diuersis modis affici,provt vniuscuiusque fuerit temperies.

Appendix.

Est etiam, quæ præbet somniandi occasionem, vehemens

per

per vigiliam, de re aliquâ cogitatio: etenim vt poëta Ægyptius cecinit.

Omnia, quæ sensu voluuntur vota diurno,
Pectore sopito, reddit amica quies.
Venator defessa thoro, cùm membra reponit;
Mens tamen ad siluas, & sua lustra redit.
Iudicibus lites, aurigæ somnia currus,
Vanáque nocturnis meta cauetur equis.
Furto gaudet amans; permutat nauita merces,
Et vigil elapsas, quærit auarus opes.
Blandaquè largitur frustra sitientibus ægris;
Irriguus gelido pocula fonte sopor.
Me quoque Musarum studium, sub nocte silenti,
Artibus assuetis sollicitare solet.

Annotatio.

Cum somnia fiant tàm sanis quàm ægrotantibus; scire oportet, ægrotantium somnia, esse solito plura, & magis confusa; vnde Horatius.

——— Velut ægri in somnia Vanæ
Finguntur species, cum nec pes, nec caput vni
Reddatur formæ.

Accidit tamen hoc maximè febricitantibus: quoniam calor tumultuariè mouet typos.

Particvla VI.

De Somno & Vigilia.

CVm *somnus concoquat, vigilia digerat*, * teste Galeno, hoc est, somnus conferat tùm ad primam ciborum coctionem, quæ in ventriculo fit tùm ad secundam, quæ hæmatosis appellatur, & fit in iecore: vigilia verò ad distributionem, quæ per venas in vniuersum corpus peragitur; meritò dictum est ab

12. meth. c. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

2. aph. 3. Hippocrate. *Somnus, atque vigilia, vtraque si modum excesserint; malum.* Videlicet tàm ratione causæ, quàm ratione signi: Causa quidem praua est, si alterutrum excedat, quia excedente vno, alterius defectu, diminuta fit aut coctio, aut digestio, & signum est prauum, quoniam vel humiditatis ** somnum efficientis vel siccitatis vigiliam inducentis excessum significat. Hoc autem sanorum etiam respicit statum, in quo, mediocritas somni profundi, atque tranquilli laudatur.

Laudari similiter solet eadem profunditas, & tranquillitas in ægris vnde Hippocrates: *Somni profundi non turbulenti firmam indicationem significant*: rarissimum quippe est ægros, præsertim in acutis, benè dormire, nempe sine turbationibus. Ergo profundè, & quietè dormire bonum quidem est: significat enim, maximè in pueris crisim, salutemque futuram; in adultis & natu maioribus, perfectum iudicium, præsentemquè salutem. Solent sic dormire qui transactis criticis tùm perturbationibus, tùm euacuationibus, sanitatis, portum attingunt. (in Coacis.)

* Cautè legendi sunt Barbari, ne te vocabula decipiant, in quibus differunt à politioribus: digestio nàmque apud illos idem est atque concoctio; Apud hos verò distributionem alimenti per venas significat. Et e. g. Elephantiasis apud Barbaros est affectus ille, quo crura vlceribus scatentia tument, & elephantorum crura imitantur: lepra verò est totius corporis cancrosa ab humore atro exulcerario. Politiores hanc prauam exulcerationem elephantiasim appellant, quia per eam cutis pellem elephantorum similitudine refert: Lepra verò leuis quædam est scabies.

1. 3. tr. 1. c. 7. ** Auicenna non assentitur Galeno dicenti siccitatem vigiliæ causam esse; eundem tamen recipit, in eo quod somnum humiditati tribuit: nam humiditas salsa, vel ex ipso Galeno, senes vigilare facit. Verùm animaduertere debuerat salsam pituitam, licèt actu sit humida, potestate siccam esse, quare immerito à Galeno referente vigiliam ad siccitatem discedit, (3. aph. vlt.) Præsertim, quòd vigilias senum Galenus ad curas, & corporis ariditatem refert, non ad salsam pituitam, quæ licet in ea ætate reperiatur. (salsuginem nàmque propter diuturnam in corpore moram, recipit) non tamen in ea quantitate est vt somnum auertat, & hinc est quod, teste Galeno, cùm vigilant, meliùs habent, quàm somnolenti: quoniam scilicet magis excrementis vacant.

Corollarium Primum.

Ex somno vtilitas * adeò sequitur necessariò, vt in eo vtilitatis

tatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tatis defectus prauum sit signum. Vnde Hippocrates sic ait: *vbi somnus laborem facit mortale*: significatur hoc labore graue aliquod malum, nempe inflammatio interna, ad quam per somnum calor recurrens valdè nocet. Malum quoque est, quia (vti superius me dixisse memini) deficit leuamen, & damnum accumulatur.

2.aph.1.

* Si rectè somnus accipiatur teste Galeno, cibum & crudos humores optimè concoquit: quia toto tempore, quo quis dormit, animalis facultas quiescit, naturalis validiùs operatur; hoc insinuat Hippocrates inquiens: *Labor articulis & carnibus conducit; cibus verò & somnus visceribus*: Animi ægritudines obliuione delet; mentis insaniam corrigit; dolorem lenit; lassitudinem solatur; vim motricem confirmat; sensus vegetiores reddit. Hæc omnia reperies apud Paulum Æginetam.

1.caus.symp. cap.8.
12.meth. cap.13.
6.epid.sect. 5.tex.10.
lib.1.c.97.

Annotatio Prima.

Aduerte tamen, Hippocratis morem esse, mortalia signa appellare, ea, quæ salubribus opponuntur: quapropter quamuis in præsenti dicat *mortale*; Intellige quasi dicat, *malum*: neque enim ad laborem ex somno, semper mors sequitur. Vtrum verò mors sequutura sit, cognosces ex adiunctis, quæ, si desint, saltem scire expedit, aliquid noxium in corpore latere, quod impediat ne natura ex somno reficiatur.

Addit Hippocrates in eodem Aphorismo: *Si verò iuuat, non lethale*, hoc est, *non malum*: quasi dicat; solatium ex somno malum quidem dici nequit, ita tamen vt hinc securitatis ratio non assumatur: potest enim propter alia symptomata æger, quantumuis ex somno iuuetur, ad interitum duci. Dicitur ergo signum *non malum*; seu mauis dicere, etiam *bonum*; quemadmodum dicimus *vrinam esse bonum signum*; *mente constare, & benè se habere ad oblata, bonum*. Nam quemadmodum vrina bona, significat malum nondum esse ad venosum genus multiplicatum, & mente constare ac bene se habere ad oblata, nondum ad mentem, aut ad appetitum, damnum peruenisse; ita per somnum, qui iuuat; significatur interiora non esse admodum inflammata.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Annotatio ſecunda.

Eſt tamen animaduerſione dignum, differentiam eſſe inter hæc tria: Vrinam bonam; Mentis conſtantiam, & Vtilitatem ex ſomno. Etenim vrina bona, eſt duntaxat bona, vt ſignum; Mente conſtare & benè ſe habere ad oblata, vt ſignum, & vt cauſa: vt ſignum quidem, quia ſignificat internarum potentiarum inſtrumenta rectè eſſe diſpoſita; vt cauſa, quoniam æger benè oblata accipiens, & mentis ſuæ compos, facilis ad curationem redditur. Ex ſomno vtilitas, eſt bonum quidem, vti diximus, ſignum, eſt & bona cauſa: quia ſcilicet ſomnus efficit id quod in homine ſano efficere debet, hoc eſt naturam recreat, vireſque reſtituit.

Annotatio tertia.

2. aph. 2.

Cùm inter vtilitates quas ſomnus ægrotantibus afferre poteſt vna ſit, ſedare delirium, vnde Hippocrates: *Si ſomnus delirium ſedet, bonum*; aduerte nomine delirij, intelligi leuem mentis agitationem: nam verum delirium ſomno ſedari, eſt impoſſibile: requirit enim maiorem vim, à quâ cohibeatur.

Corollarium Secundum.

Non ſolum laudabatur in ſomno vtilitas, ſed & profunditas etiam, & merito: quia facultas * non impedita facilè ſuauiſſimis ſomni, funibus ligari ſe ſinit. Et hinc collige ſomnum non profundum, ſed turbulentum, fieri ex facultatis ſuum bonum non ſuſcipientis nec agnoſcentis, perturbatione. Idcirco Hippocrates: *Si timores, ait, vel conuulſiones in febribus à ſomno fiant; malè:* pugnat namque natura, hoc eſt, facultas cum ſuo amico, nempe cum ſomno à quo poſſet iuuari, pugnat tamen impedita ab humoris atri redundantiâ, ex quâ vapores ad caput eleuati, horrendas formant imagines, cúmque prædicti halitus propter aduſtionem, ſint acres; neruos, & muſculos mordicant, cogúntque eos ad conuulſiuas peragendas motiones.

4. aph. 3.

* Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

* Ad quam facultatem somnus pertineat, non leuis est controuersia, ex cuius decisione, somni essentia cognoscitur, quæ adeò cognitu difficilis est, vt dicat Galenus; *difficile esse indicare an somnus sit opus naturale, an actio, vel passio?* propter multorum definitiones qui somnum esse, inquiunt, reditum, seu reuocationem caloris ad suum principium; Vel sensuum à suis instrumentis, ad internas partes: Somnum naturalem dicunt alij esse actionem, præternaturalem verò passionem, quia à præternaturalibus fit causis. Verùm de præternaturali agemus infrà. Naturalem quidem tenent esse actionem: quia non fortuitò vaporum assensui tribuitur, sed Naturæ quasi per hanc actionem, statutas vicissitudines, & maximè necessarias ad deperditorum spirituum restaurationem conseruanti.

de instrum. odorat. c. 5.

Hæc opinio licèt recipi possit, & Auctorem habeat præceptorem Thomam Rodericum à Veiga, quem meritò semper venerabor, tamen libentiùs assentior sententiæ eorum, qui somnum priuationem esse volunt: somnus enim formaliter impotentia quædam & fere carentia operationum videtur esse. Nam licet fiat à motu caloris ad interna; licet fiat à frigiditate; nihilominus, nec est motus, nec frigiditas: quoniam sic somnus esset frigiditas, aut saltem aggregatum ex frigiditate, & humiditate: quod apertè est falsum; cùm potiùs requies quædam dicatur.

Deindè Aristoteles ad vnam, & eandem animalis partem somnum, & vigiliam pertinere ait: *Quandoquidem opposita inuicem sunt, & ille vt priuatio quædam huius habetur.* Prætereà somnus, & vigilia sibi inuicē contrariantur, sed vigilia est sensuum, aut localis motionis actio; Ergo somnus erit priuatio sensus & motus. Tandem somnus si non esset priuatio, esset vel obstructio, vel aliqua actio. Non est obstructio: nam tunc vigilia esset meatuum apertio, quod est falsum, quamuis vigilia sequatur apertis meatibus. Non est aliqua actio: quoniam aut esset facultatis naturalis; & esset aut attractio, aut retentio, aut coctio, aut expulsio, quorum nullum esse satis constat. Non est etiam vitalis facultatis actio: quoniam ad ipsam tantùm pertinent pulsatilis, & irascibilis. Non est animalis facultatis, quoniam non est sensatio, aut motus localis. Est ergo priuatio.

lib. de somno & vigil. c. 1.

Cæterùm huic argumentationi obstant multi, cum Auerrhoë sentientes, somnum pertinere ad facultatem animalem, quam ille vocat; *Naturam, quæ regit corpus animalis*; atque huius operationem somnum esse ait: Hoc colligit ex eo, quod somnus datus fuit animalibus perfectis: quia sine eo perirent sensus propter nimium exercitium, & pereuntibus sensibus periret vita. *Inde*, ait ille, *est quod citrinatur facies dormire non potentium, & læduntur eorum operationes, & propriè operatio virtutis nutritiuæ.*

Verum hæc impropriè sunt dicta. Nam si somnus propter aliquam facultatem est, propter nutritiuam esse, non tamen solam, dicere oportet: quoniam hæc vigoratur per somnum, & somni defectu deperditur. Ego propter omnes facultates somnum datum fuisse existimo; sed non hinc infertur somnum esse alicuius facultatis actionem: cùm enim sit cessatio quædam, ad quam sequitur spirituum restauratio, potest, priuatio cùm sit, ex acci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

dente tamen prodesse, sicut ex accidente prosunt tenebræ, vt homines à negotiis otientur, & cæcitas memoriæ, propterea se se aliqui ex cæcarunt.

Quod verò Auerrhoës ait, somnum datum fuisse perfectis animalibus; sciat oportet, omnia suas vicissitudines habere laboris, & quietis: nàm; *Quod caret alternâ requie, durabile non est.* Plantæ suo modo somnum habent: quandiu enim in Autumno, & hyeme vniuersus plantarum calor ad radices repit, eásque auget, & alimento implet, exteriora deserens, vt ne alendis, tuendísve fructibus, foliísve sufficiat; meritò dormire dicuntur. Vigilare autem vere, & æstate: tunc enim nihil crescente radice germinatio fit in flores, stolones, & fructus.

Appendix.

Ad prauas somni significationes adiungito aliam non leuem: si æger semiapertis dormiat oculis; ita, vt aliquid ex eorum albo appareat: hoc enim valdè perniciosum est. *Suspectiones* vocat Hippocrates, & has iubet considerare: *Si enim* (inquit) *aliquid de oculorum albo apparuerit, commissis palpebris, non ob fluxum ventris, aut purgantis medicamenti potionem; malum signum est, & lethale valdè.* Enumerat videlicet causas, à quibus possit suspectio oculorum prouenire, sine eo quod sit prauum signum. Si verò à nullâ harum causarum proueniat; tunc vel naturam omnino à morbi vi superatam, & propterea nequeuntem oculorum palpebras claudere, significabit; vel conuulsionem musculorum palpebras claudentium; quorum vtrumque miserrimum est: Adiungito tamen, cum Hippocrate: *Dummodo æger non fuerit ita in sanitate assuetus.*

[6. aph. 52.] [1. prog. 11.]

Cornelius Celsus cùm plurima mortis signa retulisset, adiungit: *Per somnum palpebræ non committuntur; sed inter has aliquid ex albo oculorum apparet*, dixit, *non committuntur*: Hippocrates verò, *commissis palpebris.* Aliqui contextui Hippocratis negationem apponunt, sed frustra: nam cùm palpebrarum commissio non sit integra, siquidem album oculorum inter ipsas apparet, vtraque lectio vera est. Hanc oculorum suspectionem videtur habuisse Eniates: *Qui* (referente Hippocrate) *oculos habuit veluti eorum, qui animo linquuntur*: quippè in deliquiis has suspectiones oculorum fieri frequentissimum est. Nec verò recipiendus est Vallesius, dum ait, oculos huic

[l. 2. c. 5.] [3. epid.]

fuisse

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

fuisse excauatos, tristes, marcidos, & sine fulgore: At in deliquiis non ita subito oculi excauantur.

PARTICVLA VII.

Præsagia sumpta ex somno præter naturam.

DIcamus nunc de affectibus * soporosis. Hippocrates sic ait: *Sopor an vtique malus?* Dubitanter hoc protulit, quia *Sopor, aut caros* non semper pro affectione cerebri perniciosâ accipitur; sed interdum pro omni somno profundo, siue sit coma, siue crapula. Itáque si morbus fuerit Caros malus est, sin minus, non ita; quia potest aliquando somnus in profunditate, & longitudine excedere, & nihilominus esse vtilis. ** Verùm melius (meo quidem iudicio, *Sopor vtique malus*, sine interrogatione legitur in coacis: quia frequentiore significatu pro morbosâ somnolentiâ accipitur; hæc verò non potest non esse mala: significat enim cerebri humiditatem, vel frigiditatem, vel vtramque.

1. Pror. text. 19.

Itaque (vt scribitur in Coacis) *Soporosi somni, & perfrigerationes, perniciosæ sunt.* Hæ quidem in continuis febribus valdè malæ, in principiis autem accessionum non admodùm; semper tamen timorem ingerunt. Quod *Si cum Sopore, magna adsit excalfactio, malum esse* dicitur in Coacis, imò debet dici *Perniciosum*: nihil enim deterius est, quàm humorum inter se pugnantium, per morbos, concursus. Vnde verùm etiam eadem ratione est quod eodem opere legitur: *Soporosi rigores aliquatenus perniciosi.* Hoc est, sopor fit ab humoribus frigidis, rigor à biliosis: perniciosi ergo morbi sunt, vbi duo contrarij humores dominantur, rarissimum tamen est (teste Galeno) Coma cum ardente febre copulari.

3. epid. sect. 3. com. 34. & 62.

* Quamuis apud Latinos somnus, & sopor idem sit, consueuerunt tamen Medici, somnum, qui præter naturam est, soporem appellare. Græci variis vtuntur nominibus, vti coma, caros &c. Distinguuntur verò soporis species ex eo, quod quidam, nihil aliud præter propensionem ad somnum præ se ferunt: húncque affectum verum coma, cataphoram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

phoram, & marcorem dicimus. Hæc dilatio ad somnum sic describitur: *Est deficiens, & imbecillus motus facultatis imaginatricis à frigido, & humido, magnam somni cupiditatem inducens.* Apud Hippocratem duplex eius differentia legitur: (vt adnotauit Galenus in libello huic affectui dicato:) Vnum *somnolentum*; Alterum *insomne* statuit: hunc Medici ἄγρυπνον κῶμα, hoc est, vigilantem soporem appellarunt. Hoc phreniticos: alterum lethargicos comitatur. Ita tamen vt cùm de somnolento loquimur, simpliciter *Coma* dicamus; cùm de altero tunc cùm addito dicimus *Coma vigil.* Alij non solùm habent ad somnum propensionem, sed inexpugnabilem dormiendi necessitatem, qualis in lethargo obseruatur. Alij congelationem omnium corporis partium videntur pati: hic affectus Latinis congelatio, Græcis catoche, & catalepsis dicitur. Alij cum inexpugnabili illâ dormiendi necessitate sensum, motúmque deperdunt; & hic affectus Græcis dicitur caros; Arabibus subeth: A Galeno describitur, *totius corporis insensibilitas immobilitásque repentina.* Et alibi *quædam veluti resolutio principis facultatis, imaginatricis præsertim, ac priuatio sensuum, vniuersarúmque motionum*; & licèt grauior quàm coma sit affectus, nihilominùs ab eodem Galeno cum conate seu cathaphora confunditur. Itáque somni à præternaturali causâ orti, soporis nomine designantur, licèt posteà singulæ species suis quæque nominibus appellentur.

5 aph. 5. diff. symp. cap. 3.

1. prorrh. sect. 2. com. 29.

citat. prorr.

** Vtilitatem soporis à Galeno sic accipito. *Si verò profundus, excitatu difficilis somnus, carus intelligatur, nullâvique genere dissidentem affectionem carus morbosus habeat, erit sanè aliquando bonus Carus, tùm causâ tùm notâ. Vidimus enim in ægris quibusdam, qui tribus, aut quatuor deinceps diebus vigiles permanserant, difficilem excitatu somnum superuenientem, qui prorsus nocte diéque perseuerant, magnum attulit auxilium. Sæpius quoque, & infantibus somnum eiusmodi superuenientem, non vno die solùm, verum quoque & duobus ordine diebus, magno ipsis fuisse commodo conspexi.*

Annotatio.

Solet aliquando ad phrenitidas sequi lethargus; hoc autem, vel à nimio narcoticorum vsu, vel ab extinctione caloris, factâ propter spirituum dissipationem, quod cùm accidit, lethale signum est, & maximè timendum.

Appendix Prima.

Fit præterea coma, propter debilitatem, vigilare non potentibus; quod accidisse videtur Hermocrati, in cuius historiam Galenus ait: *Quin etiam propter infirmitatem virium, talis affectus* (nempè somnus comatosus,) *fit, adeò iàm emorientium,*

3. epidem sect. 1. tex. 7.

vt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

vt apertas palpebras seruare non valeant. Ac ita affecti hoc habent, vt postquam oculis conniuerint, aut nihil, aut parum prorsus dormiant, sed vigilent, nec attollere palpebras queant. Cognosces an hæc vigilandi impotentia sit à debilitate, ex pulsibus, qui languidi, parui tardi, & rari sunt.

Appendix Secunda.

Vlteriùs si coma ex humido, & frigido factum, in principiis accidat febris, periculum minatur. Sic accidit Olympiadæ; quæ *Quintâ die, comatosa excitantes non sensit.* Periculosa quidem res est in principio morbi caput refrigerari, humiditatéque irrigari, adeò vt veternum inducat: quid enim sperandum, nisi quòd calore procedente, amplior materia colliquetur, & æger apoplectico modo intereat? *7.epid.tex. 36.*

Plurima ex veternoso somno præsagia, in Prorrheticis & Coacis reperies; quæ tamen tanquam minùs rationi, & experimento consona, libens relinquo: quæ etiam, ex aliorum iudicio, ab Hippocrate in parua tabellâ relicta fuerunt, nec ad magnam translata.

PARTICVLA VIII.

De Stupore.

SVa etiam stupor * siue torpor præsagia offert, qui cùm diminuta paralysis, diminutáque sit apoplexia; rectè in Coacis syderationis dicitur signum; sententia ita habet: *Torpores, & sensus stupiditates, præter morem fientes, syderationis sunt signum.* Torporis, stuporísve nomine, intelligito phantasiæ suspensionẽ; sensus autem stupiditates sunt, siuè imbecillæ, siue omnino ablatæ externæ sensationes. Syderationis vocabulo accipito, (quod sæpè Hippocrates facit) tam paralysim, quàm apoplexiam. Cùm ergo stupor accipitur pro mentis segnitie; siue sit sine causâ manifestâ, vt in prædictâ sententiâ; siue ob causam manifestam, vt in aphorismo: *A capitis ictu, obstupescentia, & de-* *7.aph.14.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſipientia, *malum* : vtroque modo perniciosum eſt; adeò vt licet Hippocrates non adiecisset, *Malum*; nihilominùs (vt Galenus annotauit poſſemus nos id meritò ſubaudire : manifeſtum enim eſt læſionem ad cerebrum, & ad facultates, quæ in eo ſunt pertinere.

* Aliqui differentiam conſtituunt inter ſtuporem, & torporem, exiſtimantes ſtuporis nomine, diminutum ſenſum ; torporis vocabuli, motum diminutum ſignificari. Sed prorſus decipiuntur ; nam hæc duo ſynonima ſunt & ab Interpretibus græcum vocabulum νάρκη modo torpor, modo ſtupor dicitur. Galeno etiam Auctore, *ſenſus, & motus difficultatem inducit torpor* Attamen ἔκπληξις communiter obſtupeſcentia, aut ſtupor dicitur, vt in Aphoriſmo : *A capitis ictu, obtupeſcentia & deſipientia malum.* Galenus ait tunc fieri ; *Cum quis ex morbo, nec loquitur nec quicquam agit; ſed apertis oculis quietus manet, veluti apertis oculis præ timore attonitus.* Author definitionum medicarum dicit eſſe, *Mentis abalienationem, quæ ex repentinâ aliquâ perturbatione extrinſecus prouenit.* Poſſumus etiam dicere γνώμης νάρκωσιν mentis ſtuporem. Ego hanc obſtupeſcentiam magis ad animum pertinere dixerim, in quâ propter animi ægritudines, homo redditur ſtupidus, & immotus ; & ideo in capitis ictu prauum eſt ſignum : indicat enim percuſſionem ad cerebrum, in quo rectrices animæ facultates reſident, penetraſſe. Ideò Galenus *Mentis*, inquit, *torpor, mentis eſt imbecillitas*; *cùm ita ſcilicet ſubſtantia cerebri, ſicut etiam neruorum diſſoluitur.*

2. loc. aff. c. 2. & 1. de ſympt. cauſ. c. 5. & c. 8.

7. aph. 14.

5. aph. 16.

Cauſa ſtuporis eſt, teſte Galeno, in toto corpore, & maximè in artubus, aut frigiditas, aut compreſſio neruoſorum corporum ; fitquè, iuxta eundem Galenum, *torpore laborantium particularum, non parua in exceſſu, defectúque differentia* : *propterea quòd id ſymptoma ex morbo, & facultate eſt mixtum* : *quippe ſi morbus virtutem prorſus ſuperet, omnino membrum ſuſtinere non valet*; *ſin virtus vincit, haud quaquam impeditur. Ac ſi veluti pugna quadam eorum eſt, mouetur quidem membrum, ſed ægrè* : *ac ſi iubeas, cùm læſum membrum extendunt, vt id extenſum ſeruent, nequeunt : decidit enim naturali pondere, propter imbecillitatem ſuſtinentis id virtutis deorſum*: *quod enim attollit, ac ſuſtinet virtus eſt.*

1. cauſ. ſymp. c. 5.

2. cauſ. ſymp. c. 2.

Corollarium.

Vt ſe habet apoplexia ad paralyſim ; ita mentis ſtupor ad ſtuporem alicuius membri. In apoplexiâ pereunt potentiæ animalis internæ, externæque omnes; in paralyſi, partis alicuius ſenſus deperditur & motus. Mentis ſtupor totum hominem occupat; partis, partem : vt igitur ſtupor mentis, apoplexiam minatur, ſic ſtupor partis eiuſdem paralyſim.

Appendix

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Appendix Prima.

Paralysímne tantùm ? imò aliquando conuulsionem. Idcirco in Coacis: *In torpido dolore capitis conuulsiones fieri dicuntur*; & in Prorrheticis; *Caput dolentes, stupore detenti, oculum ferocem præ se ferentes, florescentes, opisthotono (posteriorum partium conuulsoriá distentione) corripiuntur.* Sed hoc forsan aliquis non admittit, nam quemadmodum Galenus stuporem mediam affectionem vocat inter paralysim & omnimodam sanitatem: sic idemmet paralysim quæ perfectus est stupor, simul cum conuulsione posse esse negat, imò conuulsionem paraplegiæ vtilem esse ait. *Nam cùm partes affectas motu priuet paraplegia, conuulsio ad motionem agit naturali vehementiorem, ita vt violenter hæ concutiantur: quòd si obstructio, vel humidorum, aut crassorum, aut glutinosorum impactio in neruis fuerit, ob id paraplegiam iuuare videbitur*, & se semel hoc vidisse affirmat. Cæterùm cùm paralysis à conuulsione, maioris, minorísve affectus ratione differat, & conuulsio fiat ab humore magis in substantia nerui impacto; à quo dilatatur: nihil prohibet id quod via est, ad paralysim, esse quoque viam ad conuulsionem. Quòd si contingat motu conuulsiuo, qui conuulsionem antecedit, humorem à nerui meatibus discuti, & sic paralysim sanari; fortuitum hoc est, & rarum, à Galeno semel visum, ab aliis fortasse nunquam. Nec ex iis quæ rarò eueniunt argumentum deduci oportet, nec Galenusmet negat id quod in Prorrheticis dicitur; nempe. *Oculorum hebetudine conuulsionem instantem significari.*

2. loc. affect. c. 3. 1. sympt. caus. c. 5. 2. eiusdem c. 2.

in 1. prorrh. sect. 3. cons. 16.

1. prorrh. sect. 3. com. 20.

Appendix secunda.

Vltra futuri mali prognosin; præsentis etiam diagnosis, ex stupore sumitur. Adeò vt stupor præsens, vel *Qualitatem* præsentis morbi, vel *Mores*, vel *Magnitudinem* indicet. *Qualitatem*; vt * *si aliqua pars corporis stupore langueat*; hoc dicitur ab Hippocrate *melancholicum*; cuius rei causam Galenus se ignorare fatetur. *Mores*: sic malignitatem indicat, vt in Coacis *rigores torporem inferentes maligni* quia nempe vt Galenus est auctor νωθρότης, idest, segnities, commune est symptoma omnium ob immoderatam intemperiem morientium; habétque pul-

7. aph. 40.

in 1. prorrh. sect. 1. com. 13.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſus, tùm languidos, tùm tardos, tùm etiam raros; quod Galenus obſeruauit in hiſtoriâ Hermocratis. ** Si itaque poſt rigorem, torpor, ſtupor, ſegnities, appareat, corpus vniuerſum ex rigore perfrigeratum fuiſſe ſignificatur; quâ intemperie cerebrum coafficitur, & motus, & ſenſus, quorum ſedes eſt, læduntur. *Magnitudinem* demum indicat vt in Coacis: *Stupores, qui citò permutantur, mali*: Nam qui modò percipit ſtuporem, modò nil ſe tale percipere ait permutationem habet ſemper ad malum: ſiquidem cùm ille qui anteà ex ſtupore querebatur, mox nondum excuſſa ſtuporis causâ, non queritur; mente ægrotat (habet enim cauſam doloris, & dolorem non ſentit): Si rurſus ita mente ægrotans queritur de ſtupore; ſtupor debet eſſe maximus & iam paralyſi aut conuulſioni proximus: ſiquidem qui mente ægrotat non excitatur niſi à vehemente obiecto veluti ille qui mingere obliuiſcitur, niſi cùm adeo ab vrinæ multitudine premitur, vt mictio ſequatur maxima, aut vt ille qui non niſi ad valdè dolorificas ligaturas exclamat, & hic eſt huius ſententiæ verus ſenſus, quem multi non intellexerunt.

* Difficile, ne dicam impoſſibile, videtur Galeno, linguæ incontinentiam, aut partis alicuius ſtuporem, eſſe ſigna melancholica. Nam melancholiæ propria ſymptomata tradidit Hippocrates, metum, & mœſtitiam. Rurſus melancholicas dicimus eſſe paſſiones cancros, ſcabies, lepras, & vitiligines nigras. Tandem eò confugit vt dicat; quod *Quemadmodum quartanæ cauſa eſt humor melancholicus, ſic dictarum paſſionum, & linguæ incontinentiæ, & partis reſolutionis; fierique poſſe, vt propter humoris craſſitudinem, tales paſſiones conſequantur, quales ex craſſa, & lenta eueniunt pituita.* Satius tamen illi fuiſſet, vt quoniam verum ſententiæ Hippocraticæ ſenſum ſe ignorare faſſus eſt, ab hac interpretatione ſe contineret.

6. aph. 23.

Cardanus proteruiens (vt ſolet) Galenum in Græcia natum, græcè loqui docere conatur & vocabulum ἀκρατὴς, quod eſt in Hippocratis contextu, ſignificare ait incontinentem, intemperantem & impurum. At verò ἀκρατὲς infirmum, hoc tamen ſic apud linguæ græcę peritos nullibi reperitur, nec Galenus ignoraſſet, qui vocabulum per η ſcriptum, infirmitatem ſignificare affirmat. Explicationem ergo de ſua penu Cardanus hanc promit: *Si quis abſurda, & turpia loquatur repentè, non ex compoſito, aut aliqua parte, id eſt, non toto, aut dimidio corporis ſtupore lanqueat, hoc eſt melãcholicũ, id eſt, ex imaginatione, quæ ex atro humore proficiſcitur.* Proh inanem chymerã! linguã incontinentẽ fieri, eſt turpia loqui, quaſi turpia loqui ſit affectus linguæ; deinde pars corporis ſtupore languens ex imaginatione, non quod re verâ ſtupeat quaſi vnum tantum mentis errorem ſcripſerit Hippocrates

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

pocrates, vbi plures contingunt. Profectò longè melius Cardano foret cum Galeno propriam agnoscere in hac parte ignorantiam.

Alij sunt, qui quoniam Hippocrates repentè dixit, aiunt fieri tùm linguæ incontinentiam, tùm partis stuporem, ex melancholico, non ex pituitoso: pituitosus enim humor paulatim accedit: siquidem propter suum lentorem derepentè labi nequit. Præterea (quæ est consideratio Vallesij) quibus hoc malũ à pituita fit;habitu sunt pituitosi,molles,& balbi, & non possunt dici ea derepentè pati,quorum signa priùs gerebant. Quibus verò derepentè,& insperato hæc accidunt,ex melancholia fiunt: nam ex crassis omnino succis fiant necesse est. Addito non leuem Triuerij coniecturam, melancholia modica est in corpore,& non nisi raro vniuersũ corpus sufficit afficere: è contrario pituita multa est, ac subindè vniuersum corpus obruit. Iam vero melancholia promptè initium particularis nerui init, pituita vero circa principium vniuersale suo lentore subsistit. Itaque particulares partium affectiones, ac stupores, ferè melancholiam, vniuersales verò pituitam,magnâ ex parte sequuntur.

Ego ad flatus,huius sententiæ veritatem,refero, qui vt plurimum sunt melancholici, imò verò licet aliquando à cruditatibus eueniant, melancholici dicuntur, & flatulentus affectus melancholia flatulenta, seu hypochondriaca appellatur. Itaque affectu melancholico subitæ interceptiones, subitique stupores accidunt, propter venarum ab eisdem flatibus repletionem. Nec vero insolitum est,videre melancholicos habentes oculos in aliquam partem defixos, vt non nisi excussi dimoueantur; rursus non posse loqui, & postmodum loquendi potestatem recuperare: Quare cùm aliquem stupidum videmus, ac taciturnum, meritò melancholicum esse agnoscimus; vnde Iob: *Quid te reuelat cor tuum, & quasi magna cogitans attonitos habes oculos?* *Iob.c.15.*

* * Modus perfrigerationis in rigore est, quia concussione validâ quæ in rigore fit, spiritus vniuersi partim ad externa impulsi dissipantur, partim contracti ad interna suffocantur. Vndè corpus præ inopiâ spirituum remanet frigidâ intemperie affectum: si vniuersum corpus; ergo & cerebrum. Accedit quod per spinalem medullam frigus ascendens cerebri auget intemperiem.

Appendix Tertia.

Vtilis quoque est stuporis cognitio, ad partem affectam dignoscendam; vnde Hippocrates in nephritico affectu vt cognoscat quisnam Ren laboret, signum affert, * *Stupor femoris è regione positi*; quod explicans author libri de Renibus, sic ait: *Ex stupore cruris, quod à rene secundum lumbum porrigitur, cognoscere poteris, quis ren laboret: nam si dextrum crus stupor occupabit, dexter ren ægrotat: sin læuum;sinister.* *6.epid.sect. 1.tex.6.* *de renib.c.3.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

* Auctor libelli de renibus, stuporem in crure reni affecto respondente ideò fieri ait; quia vena, quæ ad inferiora demissa est, triplici ramo diuiditur, quorum vnus cum arteriis ad testiculos vadit, & vasa seminalia; alius renes ingreditur; tertius ad crura porrigitur. Galenus dolorem stupidum ad crus descendentem, propter vasorum dorso incumbentium, cauæ scilicet venæ, magnæquè arteriæ cum renibus, & cruribus coniunctionem, ortum habere, dixit. Langius in suis epistolis; Iacotius in commento ad Coacas prædictiones, ad venarum repletionem hoc referunt. Vasa, inquiunt, insignia Cauæ, & Aortæ descendentium, spinæ substrata sunt; ab his rami insignes ad renes, & ad crura diuaricantur, quorum repletione, quæ obstructis renibus, vreteribus, venis emulgentibus contingit, nerui, & musculi coarctantur, vnde stupor. Hoc non recepit Andreas Laurentius: neque enim à renum calculo ita implentur venæ, vt musculos premant, cùm & tabidi quamplurimi, quorum venæ exhaustæ sunt, calcudo renum laborent, & nihilominùs stuporem in crure persentiant. His additur quòd plethorici, quorum venæ apparent turgidæ, stupore crurum, & brachiorum non laborant. Duplicem igitur affert rationem. Prima est; compressio musculi Psoas dicti, cui renes ambo incubant. At hunc musculum cruri inflectendo dicatum esse, & in cruris interiorem partem inseri norunt Anatomici omnes. Altera est compressio nerui, qui in cruris musculos omnes expanditur, fit autem compressio à duritie, & pondere calculi; nam incipiens lapillus stuporem non parit. Hanc rationem ab eo recipimus non tamen propterea aliam Langij & Iacotij reiicimus: nam plethorici propter venarum repletionem, quasi totius corporis, & præcipuè artuum obstupescentiam incurrunt, vixque manus in pugnum adducunt.

Exceptio.

Ad præsagia, vel ad aliud quidpiam, in re Medicâ, nihil faciunt stupores, quos externæ causæ excitant, ideò ab hac tractatione excludendos duco. Sunt autem ij de quibus Galenus. Non autem hic nomine causarum externarum comprehendo res non naturales, vt alimenta, aut medicamenta frigida, aërem gelidum, & similia, quæ stuporem eum efficiunt, cuius cura habenda est, & à quo prognosis timenda sumitur: sed causas externas stuporis appello, quæ neruosas partes (in quibus maximè fit stupor) premunt, vt si vinculo membra arctentur, aut pondere quouis neruis apposito, opprimantur; sicuti quando in alteram manum innixu dormitur, aut duriuscula sede infima premuntur, vel quando crus cruri superimponitur. Hic etiam

1. caus. symp. cap. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

etiam adiungam quando ossis fractura, aut abscessu, in carne orto, vicini nerui comprimuntur. Torporem etiam (quod mirum sanè videtur) inducit torpedo animal marinum; *Vt potè cui* (vt Galenus ait) *vehemens sit potentia, vt per piscatoris tridentem transmissa ad manum, alteratione, derepentè totam reddat torpidam.* 6. loc. aff. cap. 5.

PARTICVLA IX.

Præsagia sumpta à sensibus externis.

EX stupore nunc ad sensus, deinde ad motus deperditionem, & deprauationem progrediamur. Possunt sensus, motúsque vel seorsim, vel simul offendi. E. g. * *In febre non intermittente, si labrũ, aut palpebra, aut superciliũ, aut oculus, aut nasus peruertatur, si non videat, si non audiat, ægro iam debili existente, quodcumque horum fiat; mors proxima est.* Peruerti partes illas vitiosus est motus, nempe conuulsio, non videre, non audire, ablatus sensus. Hæc omnia, aut singula seorsim, in febre non intermittente, pessima sunt, imò lethalia. Forsitan illud: *In febre non intermittente*, addititium est: nam quorsum hoc dictum? Profectò si febris intermittens ex Hippocratis decreto, *periculo vacat*, lethalia signa, & mortem proximam significantia habere nequit. Imò nec in acuto morbo sententiam reciperemus, nisi adderet summus Author; *Ægro iam debili existente.* Tunc enim credibile est conuulsionem fieri ex defectu sensuum; priuationem, ex impotentiâ.

* 4. aph. 49.

4 aph. 43.

Ex Visu.

Incipiamus à visu, tanquàm à sensu omnium præstantissimo cuius anteà meminimus: siquidem peruerti oculum, & lumen perdere, mortis aduentantis signum esse diximus, quod simili sententia confirmatur: *Hebetatus oculus, malum; concretus, immobilisque, & tenebrosus, malum* *: Et alibi: *Oculi obscuratio, malum*; & rursus: *Oculi audacia deliratoria, & abiectiones, & infractiones;*

1. prorr. sect. 2. tex. 11. 6. epid. sect. 1. tex. 24. & tex. 31.

ctiones; *malum*: & in Prorrheticis: *Quibus oculus ferus, clausúsque*, ** *medicari non oportet: perniciosum enim est*: Quod phreniticum signum esse Galenus, ait, imò phrenitica signa: duo námque sunt, licet de vnâ parte dicantur: potest quippe alterum, sine altero constare, vt scilicet oculus sit ferus, non tamen clausus; interdum verò clausus, non tamen ferus. Hæc omnia, & plura alia considerat in Prognosticis: *Si lucem effugiant*; *** *aut nolentes illacryment, aut peruertantur, aut alter altero fiat minor; aut candidum rubrum appareat; aut liuidas, aut nigras venulas, aut pituita appareat circa obtutum, aut sublimes, tumidíve oculi, aut caui admodum fuerint; aut obtutus squallidus, & sine splendore.* Sic Hippocrates, & singula à Galeno in commento rectè explicantur.

1. prorr. sect. 2. tex. 37.

1. progn. tex. 10.

* Siquis autem quærat, cur hic malum duntaxat; illic mortem aduentare dixit: sciat multoties Hippocratem generaliter proferens, *Malum*, significare omne malum videlicet perniciosum & lethale: neque enim semper exquisitè differentiis horum vocabulorum vti solet, quas iàm aliquando se agnouisse ostendit, vt iàm superiùs enarrauimus.

** Hi de quibus Hippocrates ait; *Medicari non oportet*, sunt, quos Galenus *Deploratos appellat*; hos enim non oportet attingere, sed relinquere, & morbi finem tantummodo prænunciare: *Nè* (vt idem alibi ait) *infamentur artis præsidia, quæ multis fuêre saluti.* Sed cur Celsus; *Melius esse*, ait, *anceps remedium, quam nullum*? quia scilicet ægroto licet in ancipiti sit positus, anceps remedium adhuc conuenit, imò humana misericordia suadet, vt eum quoad fieri possit, auxiliis medicis iuuemus. Talis autem est, qui periculosa habet signa, & morbo laborat, à quo magna ægrotantium pars perire solet. E.g. si pestilens sit morbus, aut si signa habeat, mortem quidem minantia, sed cum aliqua quantumuis exiguâ spe salutis. At verò, sicut in mortis periculo pro virili, succurrendum ægrotanti est; ita in exitio certo non est inaniter laborandum; nè sine ægri beneficio, & cum artis dedecore agere dicamur. Ita hecticæ vltimâ specie laborantes, phthysi consumptos, & signis omnino lethalibus, nullámque spem relinquentibus, affectos, de quibus Hippocrates nunc agit, non debemus medicamentis ampliùs fatigare; sed eos præmonere, vt disponant domui, & animæ suæ, neque inani vitæ spe ampliùs irretiti nugis adhærescant.

3. aph. 19.

11. proth. c...

*** Cùm spirituum, & interni fulgoris inopiâ oculi laborent, occurrente eis aëris nos ambientis lumine, illud effugiunt, quasi instinctu naturali timentes, ne spiritus, & lux interna præ sui exiguitate, imbecillitatéq; resoluantur, & euanescant, quò fit, vt nos tunc simili impulsi affectione, eos vel palpebris obseremus, vel manu, operculóve alio abscondamus.

Dubium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Dubium.

Videtur visorium organum, suapte naturâ splendidum, non posse oblædi ab externo splendore: quia, vt Galenus ait: *Quæ similia vndequaque corpora sunt, à se motiuo nullam accipiunt mutationem.* Et Aristoteles: *Simile*, inquit, *non agit in simile; nec à simili patitur.* Hoc quidem axioma in actionibus directis verissimum est, non autem in indirectis. At lux aëris indirectè luci oculi aduersatur: nimirum quia eius & albedinis proprium est, spiritus dissipare; vnde fit vt dissipatis spiritibus organum reddatur ad functionem imbecillius. Ita lucerna ardens, vel aliqua alia flamma Soli exposita marcescit, donec extinguatur.

2. simpl. med. facul. c. 24.

lib. 1. de Ortu, & inter. c. 7. & lib. 6. & hic c. 1.

Quòd ab excellente lumine, visus offendatur; multis exemplis comprobat Galenus, affértque in primis historiam sumptam à Xenophonte, videlicet milites per loca niuosa iter facientes, ex perpetuo niuium aspectu oculos amisisse. Deindè adducit Dionysij Syracusani crudele iussum; quippe splendidissimam domum supra carcerem construi iussit, ad quam vinctos sursum derepente educi iubebat, qui subitæ lucis occursum non ferentes, cùm tamen inuiti intueri cogerentur, occæcabantur. Prætereà pictores, qui in albis coriis depingunt, colores cæruleos, & fuscos apponunt, in quos subinde aspicientes oculos recreant.

lib. 10. de Vsu Part. c. 3 xenoph. li. 4.

Corollarium.

Hoc te docet quomodo tractandi sint opthalmici, nempe ne in cubili lucido commorentur, oculísque virides, aut cæruleos offerant colores.

Appendix.

Nec solùm opthalmici, sed ægroti omnes ne in nobilissimo sensorio molestentur, cubile habere debent, quale suis carminibus depingit Ouidius.

Pars adaperta fuit pars altera clausa fenestræ,
Quale fere syluæ lumen habere solent.
Qualia sublucent fugiente crepuscula Phæbo,
Aut vbi nox abiit; nec tamen orta dies.

Vnde sapientissimus Hippocrates, nè in hoc quoque ægrotantium curæ deesset iubet ægrum vt faciem splendori aduersam habeat.

libello de medico.

Annotatio.

Aduerte quanta sit differentia, in vnâ, & eadem re: si consideretur vt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

causa, aut si consideretur vt signum. Quemadmodum enim (vt dicemus inferiùs) decubitus supinus est bonus quia in eo quiescunt omnia fere membra corporis, prauum tamen signum habetur, quoniam significat ægrum præ debilitate eum situm quærere, in quo minùs laborat. Ita in præsente optimum est oculos luci non exponere, ne fatigentur: pessimum tamen est signum, si æger lucem ferre nequeat; indicat enim extremam debilitatem.

De parorasi, seu hallucinatione.

Decipitur visus, & oculi* quandoque mentiuntur; Deceptio vel circa colores duntaxat fit, vel circa rerum figuras. Et quod ad colores attinet, omitto ictericorum oculos, flauo colore tinctos; qui raró quidem, & non nisi quando cornea valdè bile est infecta, flaua obiecta repræsentant: quod si repræsentent nihil inde ad prognosin accipitur. Porrò hallucinatio, quæ ad colores duntaxat spectat, fit aliquando vbi oculos tenebricositas occupat, aliquando, vbi hebetudo quædam, aut fulgor, aut denique rubor, in causâ est vt visio fiat deprauata.

de sympt. diff. c. 3.

* In deceptione deceptus fuit Aristoteles, dum quærit, *Cur falsitas*, in solo visu contingat? An non etiam in auditu? dicat Theophilus Medicus (cuius mentionem facit Gal.) qui cum alioquin prudenter differeret, ac disputaret, atque eos, qui tunc præsentes erant exactè cognosceret, tibicines tamen quosdam arbitrabatur esse in angulo cubiculi, in quo decumbebat, eósque tibiâ canere, & se illos videre putabat, alios quidem stantes, vt nec interdiu, nec noctu, quicquam cessarent, aut remitterent, ne minimo quidem temporis momento, proinde assiduè clamans iussit eos à cubiculo expelli. Itaque hic & in visu, & in auditu hallucinabatur; quandoquidem & audire tibicines canentes, & videre sedentes dicebat, vtrumque falsò. Dicant similiter qui amaro succo linguam imbutam habent, num illis amara omnia representententur, sic in aliis sensibus: Verùm omnia quæ Aristoteles in illo problemate scripta reliquit, censuram postulant, quam nos in commodiorem occasionem reseruamus.

Ex tenebris.

Si ergo tenebricosum aliquid æger sibi oculis obuersari quæratur, tunc Hippocratis doctrina instructus Medicus vomitionem expectabit: quippe humor albugineus, videndi medium internum est, non aliter ac aër est medium externum: si verò

3. progn. 30.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

iſte humor in ardente febre exuſtos fumos è ventriculo ſuſcipiat, ſimul & tenebræ oculis ſe offerent, & ventriculi infecti ac proinde ſeſe exonerare volentis ſuſpicio aderit. Bilioſus namque humor in ventriculo abundans, ex quo aduſti fumi eleuantur surſum ſua leuitate fertur ac per ſuperiora expelli poſtulat.

Annotatio.

Vomitum prædices ex tenebricoſis ante oculos obuerſantibus; dummodo febris non ſit exitioſa, ſic notante Hippocrate: ſi enim exitioſa fuerit, magis ſpirituum inopiam & quandam (vt ſic dicam) vitalis lucis extinctionem, quàm futuram per vomitum, euacuationem, ſubleuationémque ſignificat.

Ex hebetudine fulgore, & rubore.

Si verò *pro tenebris* (inquit Hippocrates) *ob oculos effuſis, hebetudines ſubeunt oculorum, ac ſplendor obuertitur, ſanguinem è naribus his fluere pro vomitione expectandum.* Hebetudinis oculorum præter alias cauſas, vna eſt ſanguis ad caput aſcendens, ac meatus per quos viſoria facultas mandatur obturans. Ob hanc etiam cauſam ſplendores quidem, interdum autem rubedines oculis obiiciuntur: Nam, authore Galeno, ſanguinis color * nonnunquam flauior exiſtit, nonnunquam autem rubicundior apparet, vnde & ſanguis etiam aliquando ruber dicitur. Hâc Hippocraticâ doctrinâ inſtructus Auicenna ait, *Sæpè eum cui fluxurus eſt ſanguis, fila videre rubicunda lucentia & reſplendentia.*

3. prog. 33.

1. criſ. c. 12.

2. 4. tr. 1. c. 5

* Si flauus color efficit ſplendores, quibus ſanguinis fluxus præoſtenditur; Cur ex flauâ bile in ore ventriculi abundante, & fumos ad oculos mittente, fiunt potiùs tenebroſitates vomitum ſignificantes, quàm ſplendores? Quod autem flauus color fulgoribus efficiendis ſit aptus, Galenus docet, ſic inquiens: *Propria verò ſigna profluuij ſanguinis, quidam fulgoris motus in oculis apparentes: quoniam humor eſt flauus, obtuſiones autem: quoniam multus & totius ſimul elatus ad ſuperiora ſpirituum meatus obſerat.* Cardanus ait non tenebras prorſus fieri; ſed tenebricoſam nebulam offun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

di oculis; & quicquid visum impedit, & ante spiritum animalem, qui est in oculo, obuersatur, id totum tenebricosum quoddam præ se fert, tametsi nigrum non sit. Hæc tamen Cardani responsio magis veritatem quæsiti impugnat, quàm eiusdem difficultatem soluat. Nam si omne id quod visum impedit, & ante spiritum animalem, qui est in oculo obuersatur, quamuis nigrum non sit, tamen tenebricosum quiddam præ se fert; nunquam poterunt in oculis fulgores apparere: siquidem omnis humor, siue flauus, siue ruber, ante spiritum obuersatur, & visum impedit; atque ita vana erit doctrina Hippocratis, qui sanguinis fluxum prædicit à fulgoribus; vomitum à tenebricoso quodam ante oculos obuersante. Quare, relicto Cardano, Vallesius ait, vapores qui tenebrositatem inducunt esse turbidos, ex bile simul cum multis aliis succis, & cibo, & ventriculi excrementis confusos, ac proinde nil mirum, si tenebras quodammodo efficiunt. Meliùs Musa, & ab eo Vega, bilem, quæ excitat tenebras esse adustam, ac proinde nigredinem præ se ferentem. Ideò Hippocrates, tenebrositatem coniungit cum ventriculi mordicatione, vt vomitum significet, quasi innuens tales mordicationes, talésque obtenebrationes à bile adustâ, & in atram conuersâ fieri.

De rerum figuris, ante oculos obuersantibus.

Accedamus ad rerum imagines: In his etiam quandoque color consideratur. Nam siquis obiecta rubro colore saturata se conspicere dicat, fluxuri sanguinis è naribus, suspicionem ingerit. Hâc arte Galenus in quodam iuuene ægrotante, instantem criticam hæmorrhagiam aliis Medicis prorsus ignorantibus prædixit. Erat iam criticæ diei proximus, & è lecto se substulit tanquam prosiliturus, interrogatúsque cur exilire voluisset, cum nihil adesset, à quo id facere cogeretur, rubri coloris serpentem per laquearia repentem se vidisse dixit, ac propterea expauisse, ne si aliquo modo aberrasset supra se caderet. Hæc historia mihi in mentem reuocat aliam non absimilem, quæ *Stephano* dilectissimo meo ex filio nepoti contigit. Febre vehemente correptus prope me in lectulo iacebat, & nocte intempestâ derepente prosiliit exclamans se in lecto carbones accensos habere, & valdè conturbato animo pauidus, cæpit currere, & in medio cubiculo cecidit; & sic præsignificatum instantem variolarum prouentum, non multò post confirmauit euentu.

de prædict. ad Posth. cap. 13.

Isthæc simulachra duplicia censentur: quædam clausis etiam oculis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

oculis imaginationi repreſentantur; & hæc delirantium ſunt propria: alia oculis ſe offerunt ſimilia ſuffuſis, fiúntque propter opacum vaporem interpoſitum criſtalloïdi, & corneæ; propterea putat patiens ea intueri, quæ re ipsâ non ſunt. Viſa clauſis oculis tanquam apertis recepta, quæ delirantium propria eſſe dixi, neceſſariâ quadam ſequelâ imaginatricis facultatis noxæ attribuuntur, & aduentatis phrenitidis ſigna cenſentur falſo: quippe ſic affecti exiſtimant veras ſe videre imagines, quas propterea inani conatu ſatagunt apprehendere. At hunc inanem conatum reſpiciens Hippocrates geſticulationes manuum vocat, ſic inquiens: *De geſticulatione manuum hæc cognoſcere oportet. Qui in febribus acutis, aut phrenitidibus, aut pulmoniis, aut capitis doloribus, manus ob vultum fert, aut fruſtra venatur muſcas, aut colligit feſtucas, aut de veſte euellit pilos, aut de pariete ſtipulas carpit, malum, exitialeque eſt.*

1. progn. 23.

Dubitare poſſes cur geſticulationes has aduentantis phrenitidis ſignum eſſe dixi, cum tamen eaſdem Hippocrates *in phrenitide* iam factâ dicat *eſſe prauas & exitiales*? Scito tamen vtrumque eſſe verum, neque vllam hic ſubeſſe contradictionem. Nam & poſſumus imaginationis errare incipientis ſignum ex geſticulationibus accipere, & poſſumus ex eiſdem augmentum phrenitidis cognoſcere; ita vt in aliquibus ſint Epiphenomena, hoc eſt, mox apparentia, in aliis Epigenomena, nimirum ſuperuenientia. Sunt nonnulli qui ſomnia turbato iam cerebro habent, quæ cum de ſomniis agerem, conſpicua cum Hippocrate appellaui. Videlicet quiſpiam expergefactus, ea ſe videre putat, circa quæ ſomnians verſabatur. Hoc Galenus ſibi contigiſſe refert; Cum enim per æſtatem ardente febre laboraret, & feſtucas atro colore ex cubili eminere, & floccos ſimiliter in veſtbus eſſe putaret, quos auferre tentans, nihilque ſub digitis eductum inueniens, accuratius, vehementiuſque id efficere conabatur. Audiens itaque duos ex amicis, qui tunc aderant, dicentes; Vidéſne hunc iam & floccos euellere, & feſtucas colligere? ſtatim intellexit id ipſum quod dicebant eum feciſſe; cum verò ſic animo conſtaret vt rationalis in eo facultas non vacillaret. Rectè, inquit, dicitis; Proinde ne phrenitis me arripiat auxilio

4. loc. affec. cap. 2.

eſtote. Ecce manifeſtum exemplum quo oſtenditur geſticulationes poſſe aliquando inſtante phrenitide nondum tamen facta euenire.

Aliis in ſummo phrenitidis augmento, hæ geſticulationes ſuperueniunt, nempe propagato iam malo externis ſenſoriis. Propterea; *In phrenitide*, dixit Hippocrates, eſſe exitiales. Nam tunc fiunt per epigeneſin: omnis autem epigeneſis eſt praua quippe mali denotat augmentum.

Appendix Prima.

Nec ſolùm in phrenitide geſticulationes iſtæ ſunt ſigna epigenomena, ac proinde mala; ſed etiam; *In febribus ardentibus, in pulmoniis, in capitis doloribus.* Nam in his malis non peruenitur ad imaginationem, & ad apparitionem phantaſmatum; niſi cum valdè excreſcunt: tunc enim multis vaporibus caput impletur; cerebri temperies ſubuertitur; animales ſpiritus agitantur; ex quibus mentem conturbari neceſſe eſt.

Appendix Secunda.

Adde fieri etiam in pulmoniâ hallucinationes iſtas, non tam ex vaporum multitudine * quam ex iam cerebro communicatâ inflammatione, & facta iam phrenitide, quæ ſemper eſt pernicioſa: quippe *Vniuerſum phrenitidis genus* (Gal. authore) *pernicioſum habetur.* Itáque Hippocrates in eo libro, quem aliqui de Epigenomenis inſcribunt, inquit: *A pulmonis inflammatione, phrenitis malum.*

7. aph. 12.

Appendix Tertia.

Poteſt etiam ab initio ſtatim & phrenitis, & ingens quidem phenitis eſſe; ac propterea tunc geſticulationes erunt Epiphenomena, vt vicem Epigenomanωn ſubibunt: Erunt quidem Epiphenomena, quia mox apparent; ſubibunt autem vicem Epigenomenωn quoniam malum ingens factum, perinde ac ſi eſſet auctum, comitantur. Exemplum habes in Dealcis

3. epid. ſect. 3. ægrot. 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

cis vxore, quæ, *Semper tacita, villos captabat vellebátque, & ſcalpebat; plorabat, mox ridebat.* Galenus in commento. Sic ait: *A primo, hæc fuiſſe phrenitica videtur, ſunt autem tales grauiſſimæ phrenitides, ac ocyſſimè quoſquos inuadunt, tollunt.*

Exceptio.

Poteſt delirium, ac ſubinde hallucinatio ad quam geſticulationes conſequuntur, eſſe non praua; videlicet quando criſin venturam præmonſtrat, quod Galenus inſinuauit dum inter futuri ſudoris critici ſigna delirium recenſet. *3. criſ. c. 11.*

* Fiunt imagines ante oculos oberrantes, à vaporibus denſis, vel à portiunculis humoris, qui veluti corpuſcula quædam in humore albugineo innatant. Quæri tamen ſolet, quî fieri poſſit, vt hæc corpuſcula intra oculum exiſtentia, cernantur; cum tamen teſte Ariſtotel. ſenſibile ſupra ſenſorium, non faciat ſenſationem. Brauus ait, medium aut eſſe externũ, aut internum: Internum dicit eſſe humorem albugineum; externum verò, aërem. Quare hæc viſa non fieri ſine medio, ſi non externo, ſaltem interno. Similiter ſentiunt Conimbricenſes, cum enim albugineus non exiſtat ſupra cryſtallinum, cryſtallinus autem ſit viſionis inſtrumentum, iam non poteſt dici in his imaginibus eſſe ſenſibile ſupra ſenſorium. Cæterùm decipiuntur: etenim licèt cryſtallinus ſit magis præcipuum viſionis inſtrumentum, nihilominùs reliqui humores ſunt etiam inſtrumenta licet minùs præcipua, & ex omnibus ſimul fit vnum perfectum. Præterea perſpectiuæ ſcientiæ Profeſſores, pro indubitatâ re tenent, neceſſariam eſſe externam lucem vt fiat viſio. *2. de anim. cap. 9. & 10.*

Alij dicunt, Ariſtotelis axioma referendum eſſe ad viſionem perfectam: hæc enim non fit exiſtente ſenſibili ſupra ſenſum: at imagines iſtas imperfectâ viſione conſpici. Hæc ratio nugatoria eſt. Nam quæ eſt perfecta viſio, nempe ea quæ non fit niſi per medium. Rurſus quid eſt viſionem non fieri poſito ſenſibili ſupra ſenſum? nempe viſionem non fieri niſi per medium. Sic ergo dicemus viſio perfecta, hoc eſt, viſio quæ non fit niſi per medium, non fit poſito ſenſibili ſupra ſenſum, hoc eſt, non fit niſi per medium. Vt ſit nugatio. Sic, viſio quæ non fit niſi per medium, non fit niſi per medium.

Multorum ſententia eſt viſionem vnam eſſe poſitiuam, priuatiuam alteram: Poſitiua eſt, quâ res per propriam ſpeciem conſpicitur; Priuatiua, quando ex impedimento viſionis id quod conſpici nequit, quaſi figuram rei conſpectæ exhibet. E.g. ſi in medio obiecti ſit impedimentum, res perforata videtur, ſic etiam videtur perforata, ſi impedimentum ſit in medio pupillæ. Iſta priuatiua viſio ob impedimentum exiſtens in oculo non opus habet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

habet medio. Porrò imagines quæ conſpiciuntur, nihil aliud ſunt, quàm partes illæ rerum externarum, quæ non conſpiciuntur, quemadmodum dixerunt aliqui, de maculis lunæ, exiſtimantes maculas illas, nihi aliud eſſe, quam partes Lunæ que non videtur. Et quoniam impedimentum exiſtens in oculo eſt humor, aut vapor qui in albugineo quaſi innatans mouetur, ideo etiam imagines illæ quaſi moueantur nobis imponunt.

Hanc opinionem quam veram exiſtimo, Mercurialis argumentis conuellit, quibus reſpondere facile poſſumus. Prima: *Si imagines eſſent partes rerum externarum non viſæ, ſequeretur quòd nunquam vbi adſunt iſtæ imagines, res integræ viderentur: ſed hoc falſum eſt: quia ſæpe videbitis homines laborantes hiſce apparitionibus, qui nihilominùs res integras vident.* Reſpondeo. Vident quidem res integras, ſed infectas floccis, pilis, muſcis, & ſimilibus. Nam cùm tenue & exiguum ſit, id quod impeditur, non aufert integritatem obiecti, ſed illam ſeruat imaginibus prædictis infectam.

Secunda, *ſi hoc eſſet verum ſequeretur imagines formari ſecundùm corpora: ſed hoc experientiâ falſum probatur; quia apparent interdum cimices, interdum catenæ, interdum pili, quæ formæ, & figuræ non poſſunt efformari à rebus externis.* Reſpondeo, imagines non formantur à rebus externis; ſed vitiantur ab internis; recipitur tota obiecti imago in oculo, ſed accedens ad humorum albugineum diſrumpitur quodammodo; aut, vt meliùs dicam, depingitur; tranſit per obturatas & ſic redditur imago quaſi ſimilitudines in ſe habens cimicum, muſcarum, pilorum. Nonne qui totum pupillæ medium obturatum habet, obiectum conſpicit perforatum? ſic Galenus nos docet: Conſiderato ergo, non eſſe obturatum vniuerſum pupillæ medium, ſed tenues quaſdam partes; Iam ergo obiectum non perforatum, ſed tenuibus partibus interſecatum apparebit.

1. cauſ. ſymp.

Tertia, *ſi hoc ita eſſet; non videtur quod ita crebro poſſent permutari huiuſmodi figuræ ſicuti permutantur; quod ſi permutarentur, neceſſariò quoque imagines rerum variæ apparerent: quia ſi catena apparet, eo quod pars rei non videtur; profectò deberet aliqua ſimilis forma, non admodùm diſſimilis, in re viſâ eſſe.* At quid prohibet tenuem illum vaporem in oculo exiſtentem permutari, & varias conſtituere, atque omnino inter ſe diuerſas figuras, quæ figuræ totum obiectum non immutant, ſed illius imaginem vario modo efficiunt, modo pilis, floccíſve infectum, modo catenulis, modo & muſcis & ſic aliis.

Quarta, *Huiuſmodi formæ ſemper deberent apparere nigræ, & obſcuræ, vt ſunt maculæ Lunæ, ſed hoc falſum eſt, quia interdum cinereæ, & albicantes, ſæpè nigricantes conſpiciuntur.* Dixit, *Sæpe nigricantes*, in quo ſibi eſt contrarius, qui ait falſum eſſe, apparere imagines nigras. Apparent ergo nigræ ſæpè quia ſæpè denſus eſt vapor; apparent aliquando albicantes; aliquando etiam minùs albæ, pro maiore, minoréve vaporis denſitate. Neque hic loquimur de ſuffuſione factâ; in quâ omnino concretus humor nullum relinquit tranſmiſſioni ſpeciei locum.

Vltimò adducit authoritatem Galeni, in Prognoſticis, qui ſcribens in

humore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

humore albugineo aliquibus fieri apparitiones suffusis similes, ita scribit: *Quod quando humidum atrum opponitur, vel crassum, prohibens radios visibiles, quominus exeant, ibi apparent imago secundum humidi consistentis materiam.* Ex quibus videtur Galenus velle has imagines positiuè non priuatiuè fieri ab humido consistente apud pupillam. Proh quam violenta est ista verborum Galeni explicatio! Ait Galenus, quod quando opponitur humor crassus prohibens radios, imago apparet secundum humoris naturam. Nunquid hoc est dicere, imagines fieri ab humore? Crediderim potiùs significare imagines impediri ab humore: si enim humor opponitur prohibens egressum radiorum visibilium; profectò hoc non est imaginem facere, sed impedire, At non impedit totam tunc enim suffusio esset, sed impedit aliquas particulas, & sic firmantur imagunculæ, quas diximus.

Porrò opinatur Mercurialis, *Radios, qui ad oculos speciebus visibilibus imbuti redeunt sicut secum ferunt species illustratas, ita illustrare eas quas in albugineo inueniunt.* Hæc ille; Sed animaduertere debuerat in albugineo non existere species, sed rem ipsam, scilicet vaporem in varias figuras efformatum, atque concretum; quod si vapor iste potest illustrari à radio visuali redeunte ad oculum, poterit & illustrari quidpiam extra corneam, positum supra oculum; At, inquit ille: *Non videtur, quia deest externum lumen.* Sed cur deest externum lumen in re exteriùs positâ, non vero in ea quæ est interius? Profectò chymerica est ista responsio.

Valleriola in librũ de Symptomatum Causis, & Themistius in libros de animâ, dicũt ex Aristotele; *Sensum non decipi circa propriũ sensibile*, quod intelligunt dũmodo sensoriũ sit benè dispositũ; cum igitur prauè dispositus est oculus, repræsentantur imagines illæ, & visio fit nec certa, nec vera, sed fallax, & deprauata; quod vel ex eo cõstare potest, quòd sequens eam functionem iudicium, corruptum est, & vanum. Sic existimant isti Authores, sed re verâ falluntur, dum visum falli dicunt: nam rem vident sicut est, impeditam tamen à re impediente; qui enim per rete aliquid videt, obiectum conspicit quasi diuisum nec tamen visus illic hallucinatur. Quod si sequitur iudicium corruptum, id contingit in iis quibus potentiæ internæ sunt læsæ, qui etiam sine externâ sensatione possunt corruptè iudicare vt Theophilus qui corruptè iudicabat se tubas audire, cum tamen corruptum illud iudicium non sequeretur ad hallucinationem visionis. Cæterùm interrogabitis; Cur Galenus aliquando nebulas de quibus loquimur hallucinationes appellat? Quia videlicet hallucinatur visus & decipitur, non in sensibili proprio, sed in communi; hoc est, in loco: videt enim res quæ interiùs existunt, tanquam si exteriùs adessent.

2. de anima cap. 6.

1. sympt. caus.

Quæret aliquis adhuc, vndenam proueniat ista hallucinatio, vt scilicet res intra oculum existentes videantur, tanquam in aëre obuolantes. Respondeo, non videri res intra oculum existentes; sed id quod exteriùs est, videri imaginibus infectum, quia eius species accedens ad albugineum, non inde ad crystallinum aliter quam in partes (vt sic dicam) diuisa, ingreditur. Diximus id quod per rete videtur, videri quasi diuisum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

quod igitur exterius rete facit, faciet interiùs vapor, qui si in minutula corpora fuerit diuisus, apparebunt obiecta puluere conspersa; si extensus, & subtilis, pilorum imaginem referunt, & sic de aliis figuris, in quas potest vapor multoties transmutari.

Thomas Rodericus à Veiga valdè subtiliter, ita inquit; *Vapor crassus, ab oculo, in quo multus est, in aërē immittitur, & tunc per speciem videtur, iuxta suam figuram, magnitudinem, colorē: sic enim laborans abigit muscas, & festucas, & modo accedere, modo recedere, modo sursum, modo deorsum volui videt, quod profectò non aliter quàm per speciem fieri dicendum est*: Et quoniam remaneret difficultas, nempe si hæc corpuscula in aëre volitantia videntur ab ægrotante, cur non etiam videntur ab aliis? Respondet ille sic; *Laborans nimirùm animaduertens, & vapores iuxta oculos habens, videt; aliorum verò intuitum fugiunt prædicti vapores, tum quia sunt magis distantes, tum quia præ tenuitate non discernuntur ab eo, qui non aduertit à principio. Laborans enim sensim exeunte vapore excitatur ad intuendum, & licet obiectum sit satis latens, & obscurum, discernit illud, non aliter ac videmus eum, qui à principio semper sequitur oculis sagittam, aut aliud quidpiam, quod ascendit, videre illud è remotiore loco, quam non videt ille, qui à principio rem ascendentem non est comitatus.* Atque hæc de imaginibus; iam verò ille, cui, vt narrant Aristoteles, & Seneca propria semper ante oculos obseruabatur imago, non ob debilitatem visus (vt prædicti Authores volunt) sed ob debilitatem cerebri id habuit.

Signa ex oculorum motu.

Signis ex visione consectaria sunt signa ex oculorum motu. In primis contorsionem considerato, de quâ multoties Hippocrates: Fit vel ex conuulsione, quod iam supra de torturâ oris declarauimus, vt trahitur maxilla conuulsa, sic etiam oculus, vt maxilla resoluta trahi se sinit, sic de oculo est censendum. Graue est malum in oculo, tum quia membrum est nobile, tum quia prope membrum princeps. Hoc insinuat: Gal. inquiens: *Mala grauia esse, quando prope neruorum originem fuerint constituta.*

4 aph. 49. 6. epid. sect. 1. com. 26.

Affinis distorsioni est, albi dilatatio, nigri verò constrictio: fit autem *quando*, teste Gal. *Membrana musculis oculum mouentibus agnata, ad circulum vsque coronam appellatum porrecta, dissoluta, relaxatáque, fuerit, tunc oculos interius corrugari accidit, nam si exteriùs corrugati fuerint, erit sanè cutis ipsius hæc affectio,* Ego verò magis consentaneum esse existimo dicere, siccitate excedente in moribundis, membranam adnatam ad latera tendi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

di, rhagoidem in conum, quâ parte opticis alligatur, colligi.

Longè grauius est, *Nigrum oculi ad superiorem partem ascendere, & fere palpebris occultari*, quod in animi deliquiis contingit, imò in acutis non futuræ mortis est signum, sed morientis animalis effectus: Imò sic constitutis oculis remanent cadauera. Est extrema actio musculorum eleuantium; quia scilicet facilè oculus ad suam originem tendit.

Reponito etiam inter prauos oculorum motus, *Concretionem* Idcirco damnat Hippocrates *Concretos oculos & vix versiles*. Gal. *Concretos*, explicat, hoc est, *Immobiles*: illud verò, *& vix versiles*, proximam huic affectionem significat. Fit immobilitas, vel propter potentiæ extinctionem, vt Galenus existimat, vel propter instrumenti vitium, hoc est, quia omnes musculi oculo inseruientes laborant, vnde non magis hi quam illi moueri queunt, aut saltem ille, qui opticum circundat conuulsione est impeditus: hic enim oculum dirigit, hic oculi pondus sustinet. Catalepticorum confixi oculi hanc immobilitatem præ se ferunt. Hactenus immobilitas necessaria hoc est, in qua licet velit patiens mouere oculos, non potest. Fit etiam immobilitas spontanea quando scilicet aliquis occupatione mentis apprehensus, non vult, aut potiùs non recordatur mouere oculos, sed quasi in ecstasi motionem omnem suspendit.

6.epid.sect.1. tex.27.

Ex aliâ parte, crebra oculorum mobilitas damnatur. Hæc præter quam quod multis, à diuturna consuetudine inest; contingit etiam in morbo, & tremor quidam palpebrarum est, significátque imbecillos esse musculos motores oculorum, non tamen omnino; sed adeò vt facultas cum membri pondere pugnam exerceat, quod in omni tremore contingit. Porrò crebra nictatio à bilioso humore mordicante prouenit, & sicut palpebras immotas remanere cogitabundis, & subinde melancholicis contingit, sic easdem agitare biliosis; Est etiam biliosorum propria oculorum ferocitas; ac propterea phrenitidis signum.

Est prætereà prauum signum: *Si oculus alter altero fiat minor.* Gal. ideò prauum signum esse ait, quia indicat extinctionem facultatis oculum regentis. Sed cur alterum altero minorem dixit, non vtrumque? Crediderim vtrumque oculum mino-

1.Prog.10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

rem reddi dixisse Hippocratem, quando *Oculos cauos*. Cæterùm alterum altero minorem considerat in inflammationibus: cum enim eius lateris in quo fit inflammatio oculus minor redditur signum est auctæ inflammationis, propter quam spiritus omnes, qui ad oculum illius partis concurrere deberent, ad partem inflammatam rapiuntur.

Cauitas itaque oculorum, non solùm initio morbi in facie illâ cadauerosâ, quæ ab Hippocrate describitur, praua est, sed omni etiam morbi tempore; quippe oculi in statu naturali puinguedine vestiuntur, & spirituum multitudine referti turgent, cum autem vi morbi defraudari incipiunt, collabuntur.

Ex aduerso oculi, *Exerti*, prauum exhibent signum. Sed cur? nempe quia humore illuc confluente, quasi abscessus quidam fit, qui multis nominibus perniciosus censetur; tum quia iuxta membrum princeps videlicet cererbum, ad quod per patentes meatus palimdromia fit; Vnde oculi ictus periculosus sæpè etiam lethalis: tum quia in membro etiam nobili, tales enim sunt oculi vt ex eorum fabricâ, ex vsu etiam, ex naturæ curâ quâ illos tuetur conspici potest; tum quia in parte, quæ materiam multam nequit recipere, vnde abscessus miminores fiunt quam oportet. Hoc lethali signo, vndecimâ die apparente decimaquartâ lethaliter iudicata fuit *Domina Iuliana* Comitis de Villa franca filia, puella egregia, cuius memoriam, non sine lacrimis possum renouare. Intumuit ei dexter oculus, qui prope mortem denigratus, pulcherrimam illam faciem fœdauit.

Ex Auditu.

Non solùm ex visu, sed ex auditu etiam accipiuntur præsagia, vnde superius citata sententia, ait Hippocrate: *Si non videat, si non audiat*, & in libello de iudiciis: *quibus in febribus, aures obsorduerunt, non solutâ febre, insanire necesse est.* Imò multoties surditas vltra progreditur, ægérque fit non solùm surdus, sed valdè surdus, & tremulus, & resolutam habens linguam; vt in Coacis malum esse dicitur: posset & dici perniciosum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ciosum, ac lethale; siquidem quodlibet ex his signis per se solum prauum est.

Appendix Prima.

Adde perniciosiorem esse surditatem quæ simul cum aliis symptomatibus accidit, neque enim hæc critica esse vnquam potest, sic in coacis: *Valde surdi, prehendendo tremuli, lingua resoluti, torpidi,* Et rursus: *Surdastri, intermiscentes manibus, dolentes ceruice, meientes condensata, vomentes nigra, lethaliter habent*; Et alibi: *Qui in capitis doloribus, æruginosos habent vomitus, vigilántque cum surditate, citò vehementer, insaniunt.* Et item: *In acutis febribus obsurdescere pessimum signum est.*

1. Prorrh. 10.
1. Prorrh. 13.

Appendix Secunda.

Inter omnes surditates, pessima habenda est illa, quæ accidit cum virium langore; ideò in Coacis: *Iam labascentibus viribus, siquidem æger non videat, aut non audiat, lethale.*

Appendix Tertia.

Nec solùm surditas, sed tinnitus etiam aurium, humoris raptum ad cerebrum significat, quod Galenus dixit: Idcirco in Coacis: *Bombus in acutis Lethalis* habetur. Sæpe etiam apoplexiam, epilepsiam, obliuionémque portendit. Et in iis qui mentem perturbatam habent, phrenitidem aduentantem significat.

1. Prorrh. 1.

Appendix quarta.

Vltra prædictas prauas surditates, praua etiam est illa quæ accidit, *Post sanguinis eruptiones & nigras deiectiones*: Praua etiam in Coacis habetur; quoniam prauus humor eiectus qui omnino morbum non soluit, sed transmutationem fecit ad membro præcipuo vicinum, prauitatem eius quod remanet, significat. Sicut è contrario, si materia sit benigna, eam potest natura vincere; ac proindè: *Quibus aures obsurduerunt, sanguis*

4 aph. 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

enaribus fluens, aut aluus turbata soluit morbum; quasi hæc sententia aduersetur priori, quippè in illa fluxus sanguinis & deiectio surditatem afferre dicitur: In hac surditas ex sanguinis & alui fluxu soluitur. * Ita est, sed in priore materiæ malignitas, in posteriore benignitas consideratur; in priore non potuit Natura malignam materiam superare, proindè eam transmutauit, quò impetus tulit, nempè iuxta membrum princeps, & surditatem induxit: In posteriore benignam materiam Natura vicit, domuit & omnino extinxit.

Annotatio.

4. aph. 18.

* Quemadmodum alui fluxus superueniens soluit surditatem; ita surditas, si alui fluxui superuenit, auxilium est: Ideò Hippocrates; *Quibus biliosæ deiectiones; superueniente surditate cessant: Et quibus surditas; superueniente biliosâ deiectione, cessat.* Commentatores ferè omnes, in hoc aphorismo, reperiunt reuulsionem illam, quæ fit à superioribus ad inferiora, & ab inferioribus ad superiora. Mihi tamen potiùs videtur in hâc sententiâ reperiri duos modos; quorum vno, vel altero, singuli morbi materiales terminantur, nempè aut per transmutationem, aut per euacuationem. De transmutatione loquutus est alibi Hippocrates, cùm ait: *Alterius loci morbos loca excipientia*; aut ob dolorem, aut ob grauitatem, aut ob aliud quippiam, liberant. De euacuatione autem quando dixit: *Quicumque morbi ex repletione fiunt; curat euacuatio.*

6. Epid. tex. 3.

2. aph.

Itaque, & ad rem nostram accedamus, surditas superueniens biliosis deiectionibus, transmutatione fit, non reuulsione: nam reuulsio euacuationis species est, quæ hic non datur; prætereà non rectè reuelli dicitur humor cùm ad nobiliora loca detraditur. Transmutatio verò aliquando potest esse vtilis, sæpiùs tamen perniciosa. Hoc vt intelligas, considerato alui fluorem cessantem, surditate superueniente, posse esse bonum, si fiat per modum crisis: erit tamen crisis imperfecta quippe non desiit in omnimodam sanitatem: si est imperfecta ista critica euacuatio, vel desiit prope finem quando iàm parum restabat, quod euacuari oportebat; & tunc potuit surditas fieri ex paucâ materiâ vaporosâ in aurium meatus sese insinuante, ac propterea non valdè prauum signum, non valdè praua erit causa. Si tamen adhuc multum quod euacuari deberet, restabat, tunc fluxum cessare non magis erit signum bonum, quàm si vrinæ decolores apparent: vtrumque enim raptum materiæ ad caput indicat. Quòd si cessat alui fluxus, & apparet surditas, quæ Authore Hippocrate, *Mentis alienationem portendit*, & à Galeno inter signa malè affecti cerebri constituitur, iam adest maior ratio cur de phrenitide suspicemur, quod idem confirmat Hippocrates alibi, his verbis: *Quibus aures obsurduerunt, iis non solutâ febre,*

1. prorrh. 2. com. 31.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

lire, insanire necesse est: Imò & in Prorrhet. *Et in febribus acutis & turbulentis*: & in Aphorismis; *In febribus cum debilitate, mortale signum est.* indicat enim tunc temporis emortuam facultatem ex Galeni sententiâ.

1.prorrh.32.
4.aph.49.

Secunda pars aphorismi, in qua Hippocrates deiectiones biliosas surditati superuenientes, morbum soluere dixit; alterum modum solutionis morborum, nimirum euacuationem nobis ostendit: Hæc dicitur reuulsio securissima, vtpotè facta à superioribus ad inferiora; à membro nobili, ad partem ignobilem; per loca conferentia; & in quâ, talia euacuantur, qualia euacuari oportet. Hoc vltimum non admittunt multi, videlicet fluxu bilioso surditati superueniente euacuari talia, qualia oportet; Nam surditatem à biliosâ materiâ fieri posse negant: non enim eam habet crassitiem, quæ meatus possit obstruere; Idcirco biliosas excretiones surditati conferentes dicunt esse non synceras, sed multâ bile permixtas. Attamen cùm loquamur de surditate facilè solubili; hæc à materiâ subtili fiet, nec mirum est, fieri à subtili materiâ: siquidem etiam à flatibus, & ab spiritibus contenti aëris surditas inducitur, quod in surditatibus quæ fiunt per febres admodùm frequens est: quippè & vaporum & tenuium humorum motum ad caput ante crisim factum, deiectiones biliosæ retrahunt. At non ita tenuis est flaua bilis, quæ non possit meatus obturare, quos obturat aquâ bile tenuior, vt accidit iis, qui vel casu, vel spontè submerguntur, vnde etiam à serositate, præter multorum opinionem, surditatem fieri posse existimo.

Per quas autem vias, ab auribus ad ventrem bilis feratur, anxios reddit multos, inter quos est Argenterius, qui se nescire ait, quomodo humor iam excidit è venis, & receptus est in anfractuosis meatibus ossium aurium, excerni amplius possit per aluum. Peruicax sanè homo, qui ea quæ euentu comprehenduntur, etiam fieri posse neget. Brasauolus, ex mente aliorum, ait viam esse per colli venas ad venam magnam, quæ est circa dorsum, hinc pellitur ad hepar, & ad meseraïcas, & ad ventrem inferiorem. Deinde ex mente suâ ait, dari aliam viam ad ventriculum. Ergo nullam faciliorem agnosco, quàm eam, quæ ab Hippocrate monstratur in libro de alimento; *Confluxio vna, conspiratio vna, consentientia cuncta.* Quamplurima videmus accidere, quæ nobis hanc doctrinam credibiliorem reddunt. E.g. *Mosco valdè calculoso, in superiore palpebra hordeum fiebat versus aurem magis, deindè ruptum est quinta, & sexta die, ab interiore parte pus effluxit, qua infra soluit.* Liberatus ergo videtur à lithiasi per tuberculum hordei magnitudinem non excedens, natum in palpebrâ superiore. Verissimum itaque est, quod Hippocrates nos docet, Naturam videlicet indoctam, & ineruditam, vias sibi inuenisse, per quas id quod necessarium est, efficit.

2.epid.sect.
2.tex.5.

6.epid.sect.
5.tex.2.

Exceptio.

Cùm laudatur surditatis solutio, facta propter superuenientis alui deiectiones; Excipe eam, quæ in febribus pestilentibus fit: quippe infida est, & magis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

magis turgentiam, quam bonam crisim, (quæ in hac febre rara est) significat. Brasauolus Anno 1528. funesto illo quidem vniuersæ Italiæ, ob pestilentiam grassantem, obseruasse se ait, hanc transmutationem bis, & ter in die factam in vno & eodem ægroto. Cessabant deiectiones, & surditas superueniebat; rursus euanescebat surditas superuenientibus deiectionibus. Contingit etiam (quod idemmet Brasauolus se vidisse testatur) surditatem simul, & alui deiectionem, propter materiæ multitudinem, perseuerare.

Exceptio.

Prauum signum surditatem in morbis acutis esse constat; sed non semper: excipere namque oportet surditatem, quæ aduenit in morbi declinatione. Vidi phreniticos indeclinatione obsurdescere, & tunc morbum solui. Hoc significat Author Coacarum inquiens: *Accedente ægritudine surditas mentem mouet*; Dixit, *accedente ægritudine*, quasi innuens in principio tantùm à surditate induci mentis motionem: Dicitur etiam ab eodem; *Surditas in turbulentis, mala*: quoniam scilicet turbulentiæ raró aut nunquam in declinatione fiunt. In Prorrheticis verò sic habetur: *Surdis mansuetæ parotides fiunt, tùm alias, tùm si anxiosum quippiam superuenerit, & comatosis magis*, quod de surditate, quæ euenit in declinatione intelligi debet: hæc enim, vt dixi, delirium sedat, & ideò parotides cum surditate venientes, appellantur mites: hoc est, ægrum mitem reddentes. Humor igitur & ad auditorios meatus delatus surditatem efficiens, & ad emunctoria post aures, efficiens parotidas, sanitatem attulit.

1. prorrh sect. 3. tex. 6.

Si quis autem declinationem intelligi renuat quia additur: *Tùm alias, tùm si anxiosum quippiam superuenerit*, sciat oportet, illud *Anxiosum* esse criticum, ad quod sequuta fuit surditas, sequutæ etiam fuerunt parotides: anxietudo enim criticas expulsiones antecedit. Quod si Epicratis vxor obsurduit, adhùc turbata, tamen post surditatem non æquè vt anteà perturbata mansit. Euenisse autem in declinatione surditatem suspicari licet, quia si in principio accidisset, secum sine dubio phrenitidem attulisset, vt attulit Clazomenio, qui *Cum à principio obsurduisset, quartâ die desipuit*: Et Hermocrati; *Qui mox obsurduit, quintâ delirauit*: & Philistæ, *Cui secundâ die surditas, & eadem die*

1. epid. sect. 3. tex. 22.

1. epid. sect. 3. tex. 37.
3. epid. sect. 1. tex. 5.
3. epid. sect. 3. tex. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

die, circa meridiem delirauit; quintâ, manè obiit. Igitur cùm legitur in Coacis: *In acutis obsurdescere furiosum est*, adiungi debet, *In principio*; deindè, *furiosum esse*, accipitur pro omni delirio, quo potest æger aut ferox esse, aut stolidus, pro prædominantis humoris naturâ.

Ex odoratu & gustu.

Ex odoratus, & gustus errore, cognosces etiam causas præternaturales in corpore latentes; De his, pauca quædam dicere oportet; vnum tamen priùs animaduertam, videlicet horum sensuum quemadmodum reliquorum, ablationem, in morbis acutis, ægro iàm debili existente, mortalem esse. Etenim ij, qui valdè sunt debiles, si eò deuenerint, vt ne odoribus, nec saporibus, recreari se sentiant, propè mors adest. * Hebetudo autem sensuum, vel fit propter facultatis debilitatem, spirituúmque inopiam, vel propter humorem obstruentem neruos illi sensui dicatos; quodcumque autem horum accidat prauum signum est.

Itaque cùm instrumenta sensuum debeant esse ab iis qualitatibus immunia, à quibus iidem sensus possunt alterari, * * si quando, aut in gustu sapores aliqui; aut in olfactu, odores, sine externo obiecto sentiantur, affectum præter naturalem significant. Quapropter quemadmodum ex impeditis instrumentis minuuntur, auferuntúrve sensus; ita ex deprauatis deprauantur: Si quis graueolentiam per internam anathymiasin percipiat, corruptos humores in olfactus instrumento adesse significatur. Sed cùm instrumentum olfactus sit non (vt Aristot. existimauit) * * * nasus externus, in facie conspicuus; sed processus mamillares, qui portiones quædam cerebri sunt, quodlibet vitium in hoc sensu, malè affecti cerebri indicium secum fert, quod in morbis acutis futuram mentis, perturbationem indicabit.

lib.2.de anima & lib.de sens. & sensile.

Quamuis adoratus, & gustus simul affici soleant; * * * * tamen seorsim ab vnoquoq; possũt accipi notiones: de olfactu diximus; de gustu similiter dicamus; & quòd attinet ad diagnosin, sapor in linquâ si dulcis existat, vel pituitam dulcem, vel sanguinem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

abundare oſtendit; ſi amarus flauã bilem; ſi ſalſus, ſalſam pituitam; Ex his omnibus prognoſis poteſt accipi, vt ſi in catarrhis, dulcedo adſit febris futura timetur ob calorem, quem pituita dulcis indicat; ſi ſalſedo, periculum eſt, ne æger incidat in Phthyſim: facilis enim eſt deſcenſus pituitæ in pulmones, facilis quoque à ſalſo humore exulceratio: In febre autem ſynocho dulcedo, ſanguinis redundantiam, quæ ventriculo communicatur indicare ſolet, amarus autem ſapor, iam febrem bilioſam eſſe, & bilem à iecore in ventriculum regurgitare. Vndè cardiogmon, inappetentiam, & ſimilia timere licet.

Corollarium.

Quoniam horum duorum ſenſuum inſtrumenta, præternaturalibus affecta qualitatibus, præternaturalem materiam contentam ſignificant, collige, non ſolùm in morbis, eorum rationem habendam eſſe, ſed etiam, in ſtatu ſanitatis, vt ſi quid præter ſolitum patiantur, futurum morbum prænuncient, quòd Galenus apertè docet his verbis. *Et hæc ſunt ſigna morborum, donec modica fuerint, & nondum hominem à conſuetis operibus ſufficiunt amouere. Talia verò ſunt in guſtu quidem, cùm vel ſalſæ, vel amaræ, vel alicuius alterius qualitatis ſapor nobis indicatur: ſiue in omnibus, quæ bibuntur aut manducantur, aut præter quod aliquid aſſumatur, ſaliua ipſa talis ſentiatur. In odoratu autem, quando alicuius vnius qualitatis ſenſum habemus, nullo odorabili præſente: aut, cùm plura & differentia naribus admouemus, omnia veluti ſimilia ſentimus. Sæpius verò nihil ſentimus, aut aliquid fætens, etiam ſi nihil adſit quod fæteat. Quantum verò ad auditum, ſoni & ſtrepitus ad id, quod præter naturam, pertinent. Quemadmodùm in viſu quæcúmque ante oculos apparere creduntur, nigra, & atra, & cærulea; & ruffa, & flaua; & nonnulla rotunda, nonnulla autem oblonga; quædam gracilia; quædam craſſa oculis prætendi videntur. In ſenſu autem tactus, cùm inæqualitas aliqua, vel ſpiſſitudo, vel grauitas, vel tenſio, vel torpida, vel vlceroſa diſpoſitio, in toto corporis habitu ſentitur: ſic & in ſingulis partibus, vel tenſio, vel compreſſio, vel morſus, vel grauitas, quando paruæ fuerint ac minimè firmæ, neutram quidem diſpoſitionem adeſſe demonſtrant, futuram verò ægritudinem prænunciant.*

art. med. cap. 82.

* Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

* Non eſt tamen negandum aliquos, maximè eos, qui à ſiccitate moriuntur, v. g. hecticâ febre laborantes, iuxta mortem, aliquos ſenſus perſpicaciſſimos habere, præcipuè odoratum, auditum, guſtum, (nàm de viſu non ita accidit, quippè qui multos exigit ſpiritus qui tunc temporis non adſunt) cùm enim ab humiditate hebetentur, ex contrariorum lege, debent à ſiccitate acui. Nihilominùs ſi iam nimis propinqua mors eſt, facultas emortua, & calido innato deſtituta, languet: quapropter in his caſibus ſenſuum acuties prauum eſt ſignum, eorundem verò cùm ſumma debilitate hebetudo, non tàm ſignum mortale, quàm mors ipſa iàm præſens dici poteſt.

** Ita tamen vt, iuxta Galeni doctrinam, in guſtu quidem, & tactu, qualitates, tùm extrinſecus aduenientes, tùm intrinſecus commorantes ſentiantur, ſiuè ſint iucundæ, ſiuè iniucundæ; lingua quidem à dulci pituitâ, quam Praxagoras, & Philotimus dulcem ſuccum appellant. Tactus verò motum in ſe non raro ſentit. At verò olfactus, quod attinet ad externa obiecta, perinde ſe habet ac guſtus: Quod verò ad interna, halitus, quos in ſe habet, graueolentes quidem, aliquando ſentit, beneolentes, aut in ſummâ iucundos, iucundos non ſentit, veluti nec viſus, nec auditus; hi enim ſenſus cùm tenuis ſubſtantiæ ſint, nullâ in ſe ipſis validâ paſſione afficiuntur. Valida autem paſſio ſit oportet, quæ delectabilis viſui, auditui, odoratui, intrinſecus aſſiſtens, hos ſenſus mouet. Contraria autem, nempè iniucunda, licet non vehementia, omnem ſenſum mouere poſſunt.

1. de cauſ. ſympt. c. 6.

*** De inſtrumento odoratus, Galenus librum integrum ſcripſit, in quo Ariſtoteli aduerſatur, verum, quæ eſt humani intellectus obſcuritas, vterque deceptus videtur. Sicut in hac re, plerique alij. Sunt qui exiſtiment Ariſtotelem, naſum odoratus inſtrumentum ſtatuiſſe, quod colligi poteſt ex iis quæ ſcripta reliquit, dum comparat animalia durocula, quæ palpebras non habent, & alia quibus molles ſunt oculi, cùm animalibus quæ naſum non habent, & quodam velamine carent, quo non carent naſum habentia. Conſtituit ille velamina quædam, ſeu opercula, quibus tegitur ſenſus odoratus, eámque ob cauſam, non niſi inſpiratione odores ſentiri ait, quaſi inſpirando operculum eleuemus. Aliquando etiam manifeſtè loquutus videtur, inquiens: *Olfactus hac eadem parte* (nempe naſo) *ſubminiſtratur* & alibi: *quorum nares porrectæ ſunt longius, vt catulorum laconicorum, hæc valent olfactu.* Alij cerebro odorandi organum eſſe colligunt ex eodem, ſiquidem in problematibus ſcripſit; *Tunc nos odorari cùm odores ad cerebrum veniunt.* Alij in carunculis mammillaribus, quod eliciunt: quia ait inſtrumentum odoratus eſſe *Circa cerebrum*; & alibi, *Ex cerebro originem ducere* carunculæ autem mammillares, *circa cerebrum* ſunt, & *ex cerebro* originem ducunt.

2. de anim. c. 9. de ſenſ. & ſenſil. c. 5. 4. de hiſt. animal. c. 4.

1. hiſt. anim. cap. 11.

5. gen. anim. cap. 2.

ſect. 13. prob. 5.

de ſenſ. & ſenſil. c. 2.

** 2. de gen. anim. c. 4.*

Galenus non ſolum in libello huic rei dicato, ſed multis aliis in locis, mentem ſuam aperuit: nempè olfactum fieri in anterioribus cerebri ventriculis, & ſoli huic ſenſui conuenire, vt fiat intra cranium. Verum Ariſtoteles decipitur in ſuis operculis, quæ nullus Anatomicorum vnquam reperit,

1. de ſympt. cauſ. c. 4. li. 7. de plac. c. 5. lib. 3. de loc. aff. c. 10. ſed præcipuè 8. de vſu part. cap. 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

perit,& Galenus proteruientis animi ſignum ex hibet,qui ideò in oſſe narium negat fieri olfactum, quia oſſa ſenſu tactus carent,vbi autem tactus deeſt reliqua ſenſoria deeſſe conuenit, & tamen poſteà in cerebro, quod ſenſu carere demonſtratur,olfactum conſtituit. Præterea coniecturis ducitur inanibus: Prima eſt, quia non niſi inſpirando olfacimus, ita eſt, ſed hoc ſignificat inſtrumentum odorandi profundum eſſe, non autem hinc colligitur in cerebro conſtitui. Altera, quia in ventriculis anterioribus multi continentur ſpiritus. At quorum olfactus ſenſus admodum rudis tot ſpirituum indiget,quot nec viſus requireret. Tertia,quoniam quidam nigellam per nares attraxit, & mordicationem in cerebro ſenſit. Sed quis negabit poſſe halituoſam, ſubtilémve ſubſtantiam vſque ad cerebrum penetrare, hinc tamen non conuincitur in cerebro eſſe olfactum, poteſt quippè eſſe in eâ viâ,quæ ducit ad cerebrum. Hanc ille opinionem,quam inutili quadam aliarum reiectione confirmat,videtur accepiſſe à libello de carnibus in quo multa ſuſpecta,& Hippocrate indigna continentur.

Inter recentiores Valleſius, tunicam nares, palatum linguámque veſtientem exiſtimat eſſe olfactus inſtrumentum, hanc tunicam reiecerat prius Galenus,quoniam ſentiretur odor per os,reſpondet Valleſius, ex peculiari temperamento euenire, vt tunica in naſo, odores;in lingua ſapores ſentiat.Nam eadem ratione,qua tu interrogas cur odores non ſentiuntur in ore? interrogabo ego cur ſapores non ſentiuntur in naſo? verùm quamuis hæc reſponſio optima ſit, opinio tamen Valleſij non eſt recipienda: quoniam tunica narium vſque ad extremitatem porrigitur,nec eſt credendum hunc ſenſum ita exterius patere,vt nullum habeat tegumentum. Præterea fieret odoratus ſine inſpiratione,quod nec Ariſtoteles, nec Galenus, imò nec experientia admittunt.

Veſalius quoſdam cerebri proceſſus deſcribit, qui colore, formáque neruis reſpondent, quamuis neruis ſint molliores, paulóque (quòd ad teretem figuram ſpectat) latiores, quàm profundiores: verùm quoniam non procedunt ritu aliorum neruorum extra caluariam, Herophilus eos non dignauit neruos nominare, vt neque Marinus, neque Galenus, licet Anatomicorum nonnulli eos in neruorum numero reponant, & primum neruorum par eſſe dicant. Horum proceſſuum,qui canibus,& ouibus multò grandiores ſunt, quàm homini,natura conſideranda eſt, quo pacto ſuis finibus duræ membranæ adnaſcantur, quæ foramina hinc à durâ membranâ,ad frontis oſſis cauitates perueniant,& ſic ſimilitudine ad ſenſorium auditus factâ,inueniemus etiam hos eſſe olfactus ſenſorium.

Andreas Laurentius,& Valleſius putant hanc ſententiam Veſalij,quàm ego veriſſimam puto,eſſe eandem cùm ſententia Galeni, & eiſdem argumentis euerti poſſe, quibus Galeni opinio euertitur: quippè Galenus *Extrema ventriculorum cerebri* dixit, at proceſſus mammillares in extremitate ventriculorum cerebri exiſtunt. Cæterùm debuerant conſiderare ſub proceſſuum mammillarium nominè æquiuocationem contineri: nam hoc vocabulo diuerſa membra ſignantur, & hoc quamplurimos ſeduxit. Proceſ-

ſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſus à Veſalio deſcripti duræ membranæ ſuis ſinibus adnaſcuntur, quibus innituntur, & ad frontis oſſis,& Cuneiformis cauitates pertingunt, propterea naſo è directo inſeruntur,vocantur autem mammillares,ſeu papillares,ob ſimilitudinem,quam habent cum papillis. Alij proceſſus mammillares ſunt cerebri anfractuum, reuolutionúmque apices,ad frontis oſſis ſedem verſus ſuperciliorum medium, protuberantia cerebri tubercula, quæ quoniam prominent,& carnis modo rubent, mammillares cerebri proceſſus vocantur. Si hos proceſſus Laurentius intelligit, perinde eſt, ac ſi cerebrum intelligeret,& ita à Galeni ſententiâ non diſcedit. Verùm priores proceſſus,de quibus Veſalius, cùm ſint autogeni, & nulli alteri membro ſimiles, conſentaneum eſt ſingularem habere vſum, ac proinde à Naturâ conceſſos eſſe, vt odorandi ſint inſtrumenta, præcipuè cùm vaporoſam naturam habeant,nec ſint cerebri portio,ſed nerui è cerebro producti. Valleſius hos Veſalij proceſſus factos eſſe ait, fortaſſe ad tranſmittendum in tunicam vim odorandi,fortaſſe ad alios vſus,qui nobis latent. Hoc peruicaciam ſapit: nam cur inſigniores ductus deferent vim ad nares,quàm ad alios ſenſus, & ad alia ſenſoria: Imò idem Valleſius,fatetur non accedere ad organum odoratus inſignes neruos, quoniam imperfectus eſt hic ſenſus.

Sed condonemus hoc Valleſio; illud verò condonare nequeo, quod adiungit: nempe odores per tota viſcera ſentiri, quod & Platonis authoritate, & exemplo ſumpto à grauidis mulieribus, quæ rebus odorabilibus appoſitis vmbilico delectantur, probare contendit. Sed Platonem non intellexit, exemplum fruſtra adduxit. Verba Platonis, dum loqueretur de odoratu, ſunt hæc. *Sed duo ibi nomina tantùm manifeſta ſunt, ſuaue ſcilicet, & moleſtum. Hoc quidem diſturbat,violátque omnem eam capacitatem, quæ à ſummo capitis vertice ad vmbilicum protenditur; illud verò tandem mulcet,& amico quodam greſſu naturalem eius ſeruat habitum*; Sic ille;qui ſuperiùs dixerat *Circa narium vim,ſpecies non ſunt.* Hoc eſt ſenſus odoratus, qui in naribus ſuam vim habet, non fit per ſpecies, & idola,ſed per vapores, & ſubſtantiam, quod latè probat. Iam ergo declarauerat ſuam ſententiam, appellans odoratum *Narium vim*: nempè facultatem quæ eſt in naribus, iàm docuerat obiectum odoratus communicari naribus non per ſpeciem. Adiungit poſteà hoc obiectum odorabile & ſubinde corporeum, in corpus noſtrum ingreſſum ſuauitate, vel inſuauitate, provt ſuaue,aut inſuaue eſt,nos afficere,videlicet ſecundum illas partes quæ affici ſunt aptæ, propter communem conſenſum & conſpirationem, partes autem ſunt omnes à vertice ad vmbilicum: Non ergo ſentitur odor in tota capacitate corporis, ſed ex rebus odorabilibus alteratio; quis enim dixerit poſſe vmbilicum de odoribus iudicare? Nùm quia grauidis res odoratæ vmbilico apponuntur? At hoc fit quia per odores fit,ſaltem ſpiritualis ſubſtantiæ nutritio,quòd in meis Meteoris probatum reperies, & patet experimento in ſyncopizantibus, qui odoribus naſo appoſitis reſurgunt. Cum ergo fæ-

in dialog. de nat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tus in vtero, ab aliquâ causâ languescens, horum odorabilium vaporum beneficio reuiuiscat, mulier similiter solatium sentit.

4. simpl. med. facul. c. 22.

**** Frequenter duo isti sensus inuicem compatiuntur, & simul vterque afficitur, quod Galenus experimento comprobat: *Siquidem acida omnia, & ante ista, ipsum adeò acetum, similiter odoratum, gustumque mouet, tùm acria quoque velut allia, cæpæ, & ipsa non minùs quàm gustum, odoratum quoque offendunt, mordicántque. Sic in aliis singulatim similis propemodum est odoris sensus; sensui gustus. Itáque quorundam corporum, etiam non gustantes, qualitatem cognoscimus, veluti fimi, proindè omninò nè gustare quidem aggredimur, quia scilicet admodum fides habetur odoratui. Quin etiam aliqua boni saporis edulia, putrilagine corrupta, odore nos suo offendunt, & protinus ea abiicimus haud gustare dignati, feréque in omnibus mutuò consentiunt odoratus, & gustus.* Nec tamen intelligas in omnibus ita se rem habere: nam non omne quod gustui gratum est, similiter, & odoratui est gratum: sunt enim amara aliqua, vt rosa, que tamen valdè odoratui placet. Huius rei causam refert Galenus ad calorem, à quo amarus fit sapor: cùm enim ab eodem, vapores eleuentur, qui odorabilium sunt substantia, fit vt idem & odoratum, & amarum simul sit. Verùm hæc ratio, experimento ab ipsa rosa accepto, refellitur: siquidem & frigida, & odoratissima: neque securum est, à primis qualitatibus secundas venari: quippe amarum est opium, nec amaritudem ab adustione contraxit. Dicendum igitur aliqua esse quæ saporem amarum habent, odorem verò gratissimum: neque tamen hoc prædictæ doctrinæ aduersatur; Nam hos duos sensus ita esse colligatos, vt de obiecto vnius, alter possit iudicare, non est dubium: quod verò huic homini magis placeat, aut displiceat hic sapor, quàm ille, aut hic quàm ille odor, hoc ad indiuiduales qualitates est referendum. Nam & rosa ipsa, ob odorem, præ cæteris floribus commendanda, aliquibus displicet. Extat historia apud Amatum Lusitanum, de quodam, qui, ex olfactu rosæ, in syncopem incidebat, & propterea Vere nouo, cùm rosaria germinare incipiunt intra cubiculum se continebat pulcherrimum hostem, aliisque amicum suauissimum pertimiscens. Aliquos etiam vidi, qui rosarum odorem tolerare non poterant, inter quos fœmina quædam rosa naribus applicita incessabiliter sternutabat. Alia ex epoto medicamento purgante, grauiter angebatur, cúmque quæsiisset à me ex quibus esset pharmacum illud compositum, retuli inter alia syrupum rosatum solutiuum; tunc cœpit exclamare, hinc mihi anxietas, rosam namque olfacere, ac etiam videre perhorresco. Est etiam qui citria mala & arantiorum flores atque ex eisdem destillatam aquam non tolerat. Ad pensum igitur redeuntes dicamus familiaritatem inter hos duos sensus tribuendam esse turnicæ, quæ in vtroque spiramine, ossibus obducta est, quæ & eiusdem naturæ, & continua est cùm eâ, quæ os linguam, faucésque ambit, quamquàm eo differat, quod tenuior est in naribus hæc tunica, vt Galenus animaduertit; ventriculum etiam vestiens, in causa est vt lingua iis succis gaudeat, quos ventriculus

cent. 2. cur. 36.

1. de sympt. caus. c. 6.

triculus desiderat, & fortassis hæc etiam tunica est quæ facit vt odores (quod ex Platone diximus) suauitatem vniuerso corpori à capite ad vmbilicum communicent.

Ex tactu.

Similiter in tactu, possunt ab interno obiecto, prauæ fieri sensationes per vniuersum corpus, quas lassitudines appellamus: hæ si à causâ forinsecus accedente adueniant, non significant; nihil enim tam commune est, quàm à laboribus defatigari. Quod si adolescentem, qui decumbebat in foro mendacium; *Ignis corripuit ex laßitudinibus, laboribus & cursibus insolitis*; Fuerunt hæ causæ procatarticæ, non autem signa futuri mali. Porrò lassitudines quæ nullo præcedente labore fiunt; vel fiunt in febribus; vel extra febres: ex vtrisque seorsim Hippocrates præsagia sumit. Dicamus priùs de iis quæ extra morbum solent euenire: Hæ *Morbos prænunciant*, vt habetur apud Hippocratem; Sed quosnam morbos? Videlicet qui lassitudinis speciei respondeant. Nam si lassitudo est tensiua, in quâ tensionis quidam percipitur sensus, quasi intentæ sint fibræ, hæc cùm fiat à plenitudine; febrem synocham futuram significat, postulátque præcautionem per sanguinis missionem. Si sit vlcerosa, in quâ fit per totum corpus sensus mordacitatis, similis ei, quæ in vlceribus percipitur; hæc fit à crudis biliosísque excrementis, minatúrque tertianas, aut quotidianas, aut ex his compositas, aut ardentes febres, præcautionéque indiget, per medicamenta purgantia. Si sit Phlegmonodes, in qua perinde habet corpus; ac si omnes musculi essent inflammati; hæc* quoniam (vt Galenus ait) ex vtrisque oritur, tùm nimiâ boni succi abundantiâ, tùm etiam vitioso succo morbos confusos, & subindè valdè periculosos prænunciat; Idcirco præcautio eius vtroque auxilio perficitur: ita tamen, vt semper à sanguinis missione incipiamus, nisi aliqua priores vias purgandi adsit necessitas, quoad alibi scriptum reperires**.

In febribus*** autem, si adueniant lassitudines, Authore eodem Hippocrate: *In articulis, & circa maxillas potißimùm, abscessus fiunt.* Contingit multoties febricitantes fractos esse, graues, & pigros, perindè ac si nimiùm laborassent. Febris autem

3. epid. sect. 2. ægrot. 5.

2. aph. 5.

4. de sanit. tuend. c. 2.

4 aph. 31. & in libello de humorib.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tem humores in vapores redigit, qui rurſus denſati, in humores reducuntur, non aliter ac pluuia, aliam verò partem liquefacit: cúmque propter obſtructos cutis meatus liberum exitum non habeant, nō fit ſufficiens tranſpiratio, neque ſudor, qui fieri deberet; tunc circa muſculos cohibentur, & in abſceſſus abeunt. Abſceſſus non in omnibus partibus concreſcunt, ſed in iis quæ naturâ ſunt laxæ, vt articuli, & in iis quæ naturâ ſunt debiles, hoc eſt, in emunctoriis, vt ſunt adenes. Itaque humores grauitate ſua deſcendentes, magis in inferioribus articulis concreſcunt, ſed vapores leuitate ſua aſcendentes, magis circa maxillas, hoc eſt, in ſuperiore corporis parte.

Annotatio.

Cùm dicitur in articulos, & *Circa maxillas Potiſſimum*, oportet annotare illud *Potiſſimum*, vt intelligas non ſemper ad illas partes materiam tranſmitti: ſed aliquando ad parotidas, aliquando etiam ad aliàs partes, quæ nec maxillæ ſunt, nec articuli, ſed vti ſors tulerit, hoc eſt, provt materiæ impulſus eam in hoc, aut illo loco firmauerit. Aliquando enim Natura impotens, quò poteſt, non autem quò deberet, impellit; ſemper tamen optima eſt impulſio, quæ fit ad emunctoria, aut ad articulos, præſertim remotiores.

4. ſanit. tuend. c. 2.

3. de tuen. vult c. 6.

* Cùm Galenus dixiſſet tenſionis ſenſum fieri ex plethorâ, vlceris ex cacochymiâ, de phlegmonodc, ita inquit. *Tertium laſſitudinis genus, quod phlegmones ſenſum affert, ex ambobus oritur, cùm nimia boni ſucci abundantia, tùm prædicto vitioſo ſucco.* Alibi tamen aliter hanc laſſitudinem ab aliis duabus differre ait, nempè quòd ei quiddam peculiare adſit, hoc eſt muſculorum tumor, eius hæc ſunt verba. *Tertia verò laſſitudinum differentia, quâ nimirum ceu contuſas, aut phlegmone obſeſſas partes ſentimus, tùm maximè Solet incidere, cùm muſculi nimium excalfacti, attraxere quippiam ex circunfuſis ſibi excrementis. Quòd ſi etiam tùm tendonibus, tùm neruis idem affectus incidat* ὀϛοκόπον, *oſtocopon Græcè, quaſi oſſium dolorem, eum affectum nominant, ob penitiorem ſcilicet ſenſum, partibus, quæ in alto maximè corpore ſunt poſitæ, nomen tribuentes.* Hanc litem Valleſius in hunc modum componit. Laſſitudinis nomine poſſumus intelligere, vel ipſas corporis affectiones, quæ ſunt neutræ, aut dolores appellamus; phlegmonis ſenſus compoſitus eſt, ex ſenſu tenſionis, & morſus. Nam tumor muſculorum per ſe nullum ſenſum ab his diuerſum facit. Nec ſolùm in ſenſu, ſed etiam in causâ, à qua laſſitudo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tudo iſta fit, compoſitio aliarum duarum datur; ſi quidem Tenſiua fit ex multo ſucco; Vlcetoſa, ex prauo; Phlegmonodes, ex multo ſimul, & prauo. Quamuis autem in ſenſu doloris, & in cauſâ, hæc laſſitudo phlegmonodes, compoſita ſit ex aliis duabus, tamen ſi affectus eſſentiam conſiderabis, cùm in eam ingrediatur muſculorum tumor, iam diuerſa ab aliis eſt.

* * Ex tribus ſimplicibus, tenſiuâ, vlcerosâ, & phlegmonode, fiunt quatuor ſpecies compoſitæ: Prima vlcerosâ tenſiua: altera, vlceroſa phlegmonodes; & tenſiua. Galenus quandam proponit affectionem, à qua, dicit nonnullos decipi, quaſi laſſitudo quædam ſit. Hæc incidit cùm ſupra iuſtum exſiccantur muſculi, adeò vt ſquallens, contractúmque appareat corpus, atque ad motus quodammodo pigrum. Hanc affectionem ideò non inter laſſitudines reponit, quia nihil prædictorum affert, hoc eſt, neque vlceris, neque tenſionis, multo minùs phlegmonis ſenſum. Nam phlegmonodes efficit corpus tumidum, hæc autem affectio contractum, & ſquallens. Sed profectò hac ratione ſolùm probat hanc non eſſe vllam ex tribus illis laſſitudinibus; Cæterùm quid prohibet quartam dari laſſitudinis ſpeciem; & quemadmodum tenſiua non habet id, quod vlceroſa; ita & exſiccans nihil commune cùm reliquis, vt ſic quartam differentiam conſtituat.

3. ſanit. c. 4.

Febres κοπώδει dicuntur, in quibus patiens valdè laſſatur, eodem vocabulo ægrum laſſitudine correptum ſignificamus, videlicet ἀπὸ τῆ κόπου, id eſt à laſſitudine. Hę febres periculoſæ quidē ſunt, ideò in Coacis; *Qui cùm laſſitudine, caligne, vigiliis, Comate, ſudatiuncula, æſtu incandeſcunt peſſimè ægrotant.* Ratio eſt in promptu: non enim laſſitudo, ſine magna aut caochymiâ, aut plenitudine, aut vtráque fit; cacochymiâ, ſi eſt vlceroſa; plenitudine, ſi tenſiua; vtrâque, ſi phlegmonodes. Quod autem Galenus vult, nempe vlceroſam, & phlegmonodem phreniridis metum aliquem ingerere, tenſiuam nullum, neſcio quo fundamento nititur: nam ex plenitudine quoque (à quâ fit tenſiua laſſitudo) vapores multi ad caput aſcendentes, delirij cauſa eſſet poſſunt, & poſtmodum etiam phreniticæ affectionis.

1. prorrh. ſect. 2. con. 3.

Capitis dolor.

Quemadmodum dolor grauiſſimum eſt ſymptoma; ex eo pernicioſa accipiuntur præſagia, quod vt rectè fiat præſtantiam loci & materiam ex qua fit dolor, ſpectare oportet; præſtantem hic partem appello non ſolum tria quatuórve membra præcipua, ſed præcordia, & omnia viſcera, hoc eſt, interiora cuncta, quæ ſunt inter alas & inguina. Verùm vt ſolitum aliorum obſeruemus ordinem, à capite initium ducere oportet.

Cephalalgia * terribilium malorũ timorem ingerit, maximè ſiquibuſdam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

1. prorh. sect. 1. text. 10. siquibusdam aliis sit stipata symptomatibus. Vti in Prorrh. *Qui in capitis doloribus æruginosos vomitus habent, vigilantque cum surditate, citò hi vehementer insaniunt.* Solet etiam in Coacis dolor capitis comatodes appellari ille qui adiunctam habet capitis grauitatem, & delationem ad somnum, atque hic conuulsionem afferre potest, maximè in vtero gerentibus; vt in Coacis & in Prorrheticis habetur: quippè grauitas, & multitudinem, & motus difficultatem indicat: propterea vbi dolor capitis, simul cum grauitate adest; periculum est, ne multitudo ad vicinas, imbecillásque partes proiiciatur. ideò Coacarum Author: *Dolor capitis*, inquit, *soporosus, cùm grauitate aliquid conuulsionis inuehit.*

1. prorrh sect. 3. text. 11.

Porrò in capitis dolore comitantia symptomata considerare debemus, quod Hippocrates in Prognosticis nos docet in hunc modum, ** *Capitis dolores vehementes, & continui cum febre, si quod ex indiciis extiterit perniciosis, lethales admodum sunt, si verò sine talibus indiciis dolor vigesimum transeat diem, & febris detineat, expectare oportet sanguinis è naribus eruptionem, aut alium quempiam abscessum ad inferas sedes. Sed quoad dolor fuerit recens, expectare oportet sanguinis eruptionem è naribus: aut suppurationem si dolor alioquin circa tempora, & frontem sit.* Addit in Coacis *maximè verò triginta quinque annis minoribus, profluuia sanguinis; prouectioribus autem abscessus.* Sed profectò profluuia in temporum & frontis pertinaci dolore.

3. progn. 11.

2. meth. c. 2. 2. loc. aff. capit. 9. & 2. local. c. 2. Aur. libr. 1. cap. 1.

Cephalalgia affectum simul, & locum affectum teste Galeno designat; Cephalæa est diuturnus & difficulter solubilis dolor capitis, qui vt Galenus inquit, ex facili occasione vehementes accessiones habet, huic obnoxiæ sunt mulieres magis quàm viri, non solùm ob nimiam capillorum curam vt Cælius Aurelianus, voluit, sed etiam ob consensum vteri, à quo muliebre genus grauia suscipit damna. Hemicrania est alterius tantùm partis dextræ, aut sinistræ in capite dolor. Capitis nomine comprehendo quicquid supernè cranij ambitu, infirmè autem duriori membranâ continetur, & quoniam in hoc spatio multiplicia sunt vasa, membranæ, caro, cerebrum, diuersitas harum partium diuersitatem dolorum facit, ita vt non solùm humorum varia natura, sed varietas etiam substantiæ vniuscuiusque membri, doloris speciem cogat variare.

In primis dolor grauis, hoc est, ponderis sensum repræsentans, multitudinem significat; ita vt si cerebrum (quòd vel non sentit, vel ignaue sentit) causam habeat doloris, grauatiuus erit dolor: quippè pars non sentiens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

sentiens affecta,& intra sentientem membranam inclusa grauitatis sensum infert. Si verò cerebrum vestientes tunicæ afficiantur, in ea parte, in quâ arteriæ non adsunt, tensiuus dolor erit, si arteriæ adsint, erit pulsatorius ex parte autem materiæ, punctorius, aut mordax, acredinem humoris ostendit, potest etiam flatus licet frigidus, tenuis tamen, mordere. Reliqua videnda sunt, apud Galenum, quæ nos alibi fusiùs explicabimus. * *4. simpl. 2. loc. aff per totum.*

** Exponito in hunc modum *capitis dolores vehementes cum febribus* nempè acutis: hoc in Coacis addidit, hic verò omisit, quia cùm vehementes dixisset dolores, ex vehementiâ symptomatis declarauit acutiem febris. Dolores autem non vehementes possunt fieri per longum tempus, aut humoribus, vaporibusve frigidioribus, aut à causâ non valde magnâ, videlicet à materiâ paucâ. Isti non indicant proximum periculum; docent tamen, præcautione opus esse, nam ex quolibet errore maius adueniet malum, vt accidit Philistæ, cui *caput dolebat multo tempore, atque nonnunquam etiam soporosus decubuit, potationibus verò febribus continuis factis, dolor exacerbatus est, quinta die à febre mane obiit*. *3. epid. sect. 2. text. 1.* Itaque dolor qui per multum tempus sine prauis symptomatibus perdurauit, non erat exitiosus; postea, ob errorem commissum nempè *potationem*, accesserunt ad dolorem praua symptomata: siquidem, vltra febrem, vomuit biliosa primum flaua, mox æruginosa, adfuit etiam alui fluxus, qui in principio prauus est, nox laboriosa, nimirum insomnis, hypochondrij dextri tensio, quæ iecur inflammatum attestabatur, vrinæ in substantiâ, colore, contentis prauæ: quippè erant tenues, pellucidæ, appendiculum semini simile habentes, quod colliquationis est index, tandem delyria, & conuulsiones; quæ duo, vltimum malorum possumus appellare; *Continuos* autem dixit, quia materia menyngibus affixa est.

Annotatio.

Aduerte Galenum qui sæpè in aliis Hippocraticis libris aliqua semper, tanquam ab Hippocrate non scripta reiecit, libros tamen Prognosticorum intactos reliquisse, sed præsentem sententiam, licet non vt falsam damnauerit, nihilominùs vt inordinatam correxisse in hunc modum. *Capitis dolores vehementes, & continui, cum febre, si quod ex lethalibus signis accesserit, omninò exitiosum. Si verò ex his, quæ didicisti de ægro tanquam valituro speres à principio quidem ad septimum diem sanguinis è naribus fluorem expectato. Procedente verò tempore, id etiam eueniet: pus autem exibit è naribus, aut auribus insalutem ægrotantis. Si vero ad viginti dies extendatur accidens dolor capitis tunc etiam sanguinis eruptionem rariorem expectabis magis verò suppurationem, aut abscessum ad inferas sedes expectabis. Per id verò tempus, per quod sanguinis eruptionem speraueris, augebit tibi spem si circa tempora, & frontem dolor vehemens perseuerauerit.* Sic Galenus. Circa tempora autem & frontem magis sanguinis eruptionem significare, quàm si occipitium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

doleat, rationi est consonum: nàm eo calidorum maior copia tendit, tùm quia in ea parte arteriæ, & venæ multæ desinunt, tùm propter futuras & raram cranij constitutionem, adde membranulas ibidem esse, quibus crassior menynx cum pericranio coniungitur, quæ cùm exquisitè sentiant, ex pari causâ vehementiùs, quàm aliæ partes, dolebunt. Quod verò in Coacis additur: *Iunioribus magis profluuia sanguinis* expectanda esse; *Prouectioribus* autem abscessus, id quidem in conualituris intellige, tunc enim facultas expellit, in iunioribus quidem, hoc est, à 18. ad 25. annum per hæmorrhagiam: quippè adest sanguinis multitudo, & feruor quæ duo requiruntur, vt sanguinis fient eruptiones, addito facultatem validam. At in prouectione ætate in qua sanguis non admodum ebulliens est, commoratur, & suppuratur, & vel ad vicinas partes defluit, fiúntque parotides, vel si virtutem validam esse contigerit, ad longinqua demandatur, & cum præcipuè pondere suo materia decidat, in inferis sedibus abcessus fiunt.

Appendix Prima.

Non solùm ad symptomata, sed ad euacuationes etiàm, & ad euacuationum suppressiones, quæ cephalalgiæ accidunt, animum conuertere oportet. Nam *aluus liquida* cùm siti, vigilia, & lassitudine, quid aliud significat, quam biliosi humoris abundantiam? hæc autem in *Capitis doloribus* phrenitidẽ *** afferre solet. E contrario aluus aut vrina suppressa, conuulsionis indicium præbent. Et quod attinet ad suppressionem alui, in Prorrheticis sic. *Qui in febribus sudant cùm capitis dolore, interclusa aluo, conuelluntur*. In Coacis autem sic, *Caput dolentes, leuiter sudantes, suppressâ aluo, in conuulsionem incidunt*. Hanc sententiam Galenus in Prorrhetico citato non admittit, sed ab Authore scriptam putat, qui semel, non sæpiùs ita habentem conuulsum vidit. Ego quidem non arbitror hanc prognosin perpetuum continere euentum, non tamen ita rarum, aut impossibilem, vt Galenus sibi persuadet, aut potius nobis vult persuadere: nam & sudor leuis naturam grauatam, afflictámque significat, & aliquando exolutionem, & suppressa aluus capiti dolenti doloris materiam auget.

1. prorrh. sect. 3. text. 23.

Quod verò attinet ad vrinæ interceptionem, si caput vehementer dolenti accidat, cõuulsiuum quidpiam timetur; quod non solum in Coacis, sed in Prorrheticis quoque reperies; vbi in hunc modum scriptum reliquit Prorrheticorum Author:

Vesica

Vesica intercepta, tùm alias, tùm in capitis dolore conuulsionis quidpiam habet. Hoc Galenus exponit, quasi hoc signo pateat, *fuisse neruorum principium in societate affectus vesicæ*: quippe vel ob gentilitatem (sic appellat Hippocrates similitudinem substantiæ) vel ob vasorum communionem, potest consensus fieri inter cerebrum, & vesicam. Adde magnum semper esse malum vrinam intercipi, quippe serositas ad venas recurrens, & putrefit, & putredine sanguinem inficit, vndè vapores in capite multiplicantur, à quibus plus nimio repletur.

libell. de loc. in homin.

*** Meritò biliosi humores in capite, & vehementissimos dolores, & phrenitidem secum ferunt; imò acres quoque vapores idem afferre possunt, in cerebro namque concrescentes abscessum in membranis faciunt, à quo vehementissimus fit dolor: quia, vt inquit Paulus *cerebrum inflammatione laborans sæpè ita intumescit, vt capitis suturæ distendantur.* Porrò dolor maximus, multus angor, rubor in facie, oculi feroces, & caput intumescens, iamiàm futuram phrenitidem significant, dixi iamiam futuram: quoniam cùm adest non est cur dolorem quæramus. Etenim nec æger conqueritur, nec si conqueratur, fides ei habenda est, quin ex Hippocratis doctrina, præsentibus hisce doloris causis, quæ caput inflant, faciem rubefaciunt, si æger non doleat, *mens ægrotat*. hoc est, iàm phrenitidem adesse significatur.

lib. 3. c. 7.

2. aph. 61.

Appendix Secunda.

Præter quàm quòd febricitantibus capitis dolor, dummodo vehemens sit, & prauis stipatus symptomatibus, mortem affert; eandem etiam sanis afferre potest, sanis, inquam, hoc est, iis qui sanitatis specimen præ se ferant, licet causam ægrotandi iàm intus habeant. Vnde Hippocrates *Quicumque sani dolore capitis derepentè capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt.* nisi febris apprehenderit: quam sententiam ab eodem pluries repetitam inuenies. Accidit autem hoc, vt plurimum, ob ebrietatem; vtcúmque tamen fit, repentinus aduentus crassæ materiei siue ea pituitosa, siue melancholica sit, multitudinem indicat. Mirum tamen est, quomodo ita affectus ad septimam diem produci potest: nam ingruens apoplexia non vltra quartum extendi debet. Cardanus suspicatur primo carum fuisse deindè in apoplexiam degenerasse, ac

6. aph. 51.

lib. secund. de morbo & paulò post eodem lib. & 3. cap. eiusdem operis, & lib. de iudiciis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

proinde ad ſeptimum fuiſſe perductum, quia ſeptimus ille, tertius aut, quartus ab apoplectica inuaſione eſt, lacerat præterea Galenum qui de apoplexia, non de caro ſententiam intellexit, de caro autem Muſam intellexiſſe ait; Cæterùm Muſa Galeno aſſentitur, & vterque ſeptimi diei mentionem ab Hippocrate factam eſſe vult, non quod neceſſariò ad ſeptimum patiens accedat, ſed quoniam vltra ſeptimum tranſire nequit. Aduertere autem debuerat Cardanus Hippocratem de vehementiſſimo dolore capitis loquutum, cui ſtetor & aphonia ſuperueniunt, ſtertor autem in caro non adeſt, quippe in hoc affectu, reſpiratio permanet illæſa. Exiſtimo acerbiſſimam cephalalgiam à principio factam, humorem in vaſis capitis exiſtentem ad cerebri ventriculos conuocaſſe, ac proinde dolorem quidem fuiſſe repentinum, obmuteſcentiam, & ſtertorem poſteà increuiſſe, quare repentinæ cephalalgiæ non repentina acceſſit apoplexia. Idcircò ab initio cephalalgiæ, ad vltimum mortis diem, non eſt mirum, ſi ſeptem interceſſerint dies.

Exceptio Prima.

Videbis multoties ad faciei, & præcipuè ad oculorum ſaturatum colorem, ad ſurditatem, ad aurium bombum, ad tremores, & ad multa alia horrenda in cephalalgiis, nunc phrenitidem, nunc conuulſionem ſubſequi, quod rationi conſentaneum eſt, dummodo hæc omnia, aut horum aliqua in principio, augmentóve, accidant, non præcedente coctione. Si verò præcedant coctionis ſigna ſitque dies critica, à ſuo indicante indicata, nihil horum tè terrere debet; Sed tunc expectare licet vel parotidas, vel ſanguinis hæmorrhagiam è naribus, & ab his doloris ſolutionem. Vndè tùm in Coacis dicitur. *Quibus capitis, colliqúe dolor, & totius corporis tremula quædam impotentia, ſanguinis profluuium remedio eſt*, intellige dum hæc non eueniant in principio. Eodem modo intelligas oportet. Prorrhet. ſententiam; *Ceruicis dolores, impenſe rubri oculi, ſanguinis eruptionem oſtendunt*. Sic *Caput dolenti, & circumdolenti, pus, aut aqua, vel ſanguis effluens per nares, aut os aut aures morbum ſoluit*, nempè horum quodlibet, per quamlibet harum partium vel omnes;

1 poorrh. ſect. 3. text. 45. 6. aph. 10.

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

vel aliquod per quaſdam, vel per omnes: Pus tamen erit, ſi abſceſſus interiùs fuerit factus: aqua; pituitoſus eſt humor tenuis, & diffluens inſtar aquæ: Sanguis autem bilioſus, qui ſua acutie ſtimulat, & oſcula venarum aperit. Quod quamuis ita ſit nihilominus pus vt plurimum per aures, aqua per ptyaliſmum, hoc eſt, per os; Sanguis per nares egreſſum molitur. Non negabo poſſe aliquando citra criſim has euacuationes prodeſſe dummodo febris ſit ſymptoma, quod ad cephalalgiam ſequitur: tunc enim, euacuatio quæ fit à parte affecta liberat, contrarium erit ſi priùs febris corripiat, & ſecum graue ſymptoma cephalalgiam ferat. Vt hæ euacuationes ſint vtiles, oportet ad dies criticos, & ſigna coctionis animum conuertere, vndè ſi inueniamus dolorem capitis eum eſſe, *Qui* (vt Galenus animaduertit) *ſanguinis fluxum, aut vomitum decretorium ſignificat, non ſunt remedia quærenda: neque enim accidens quoddam, ſed bonum ſignum potius tale quicquam eſt exiſtimandum, ſicuti alia multa, quæ ante criſes contingunt, quæ plurimis quidem terrorem incutiunt, bonum tamen quoddam oſtenditur.* Itaque rem in hunc modum accipito.

1. ad Glauc. cap. 15.

dolor capitis qui febri accidit.	cùm rubedine faciei, & oculorum.	in principio phrenitidem.
		in ſtatu hæmorrhagiam ſalubrem.
	cùm comate aut lethargo	in principio apoplexiam, vel epilepſiam vel omnimodam obliuionem.
		in ſtatu parotidas, vel alios abſceſſus.

Exceptio Secunda.

Sudatiunculas ſuppreſſa aluo in doloribus capitis conuulſiuum quidpiam habere diximus, excipe tamen eas quæ fiunt in dolore mediocri, hoc eſt, à moderatâ causâ: nam licet non ſoluant febrem, hoc eſt, licet ſint iudicatorij non iudicantes, nihilominùs quia reliqua pernicioſa non adſunt, poterit dolor ſolui vel ventris ſolutione, vel abſceſſu in gingiuis facto, aut parotidibus.

Aurium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Aurium dolor.

Inter dolores partium nobilium collocandus eſt aurium dolor, de quo Hippocrates; *Aurium dolor * acutus cum febre * * continuâ, ac vehemente, difficilis eſt: periculum enim delirij mortíſque imminet.* Aurium dixit non auricularum, quod Gal. vtiliter admonet, Cardanus peruicaciter irridet: neque enim exigui momenti eſt noſſe in quâ parte dolor adſit: quippe in articulis obtuſum ſenſum habentibus non poteſt ita augeri dolor, vt mortis timorem ingerat, nec periculum minatur, quia cerebro non communicatur. In auribus autem & propter * * * neruos, quos habent, & propter meatum, quo * * * * via patet ad cerebrum, & propter ſenſum * * * * * exquiſitum, & propter communitatem cum * * * * * * cerebro & dolor augetur, & periculum timetur.

3. *prog.* 13.

* Loquitur Hipp. de doloribus, qui fiunt in auribus vt ſunt ſenſu tactus præditæ: nam vt ſunt audiendi organa: poſſunt quidem (& hæc melior opinio) dolere, cæterùm iſti dolores nunquam ad tantam magnitudinem peruenire queunt, vt interficiant: poſſunt quidem obiecta auditus vehementiſſima, cerebrum concutiendo apoplexiam inducere, vt contigit lactenti puero, cuius hiſtoriam narrat Amatus Luſitanus: Is ex audito bombardæ ſono irrequietus permanſit, & ſequente die apoplexiâ correptus fuit. Amatus putat cauſam fuiſſe, quia perterrita Natura ſpiritus animales ad cerebrum tanquam ad arcem defendendam retraxit, cum quibus ſanguinem plurimum ſecum quoque duxit ad quem meatuum coarctatio ſequuta eſt, & conſequenter apoplexia, & paralyſis morbi pernicioſi ſunt orti. Potiùs dicerem externam aëris concuſſionem internas cerebri ſedes conquaſſaſſe, vnde ſpirituum aufugium, & meatuum coarctatio fuit ſequuta. Hoc tamen non eſt periculum ex dolore, ſed ex longè diuerſâ cauſâ. Poteſt à magno confertímque facto ſono vt à tonitru mulier grauida fætum perdere, aut quilibet obſurdeſcere, ſicut Galenus accidiſſe narrat: Sic ad Nili catadupas (vt author eſt Marcellinus *lib.* 22.) habitatores illius loci propter ingentem aquarum quæ præcipitantur ſonum, auditu priuantur; Et Cicero in ſomnio Scipionis de Nili præcipiis agens; *hoc sonitu*, inquit, *aures obſurduerunt.* Hi tamen effectus longè diuerſi ſunt à dolore.

cent. 3. *cur.* 22.

de theriac. ad Piſon capit. 11.

* * Si dolor iſte ſine febre, aut cum non continuâ febre fieret, citra inflammationem eſſet, cum autem dicat Hippocrates; *Cum febre continuâ, & vehementi.* intelligere oportet dolorem ex inflammatione, qui propterea appellatur, *Vehemens.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

*** Quinta neruorum coniugatio ad aurem peruenit, cuius singuli rami diuiduntur bifariam: vna pars foramen cæcum ingreditur; altera in auris membranam inseritur.

**** Foramen cæcum Vesalius adeò arctum esse ait, vt neque setam admittat. Attamen licèt cæcum dicatur, ita dicitur, non quia omnino cæcum, sed quia est arctissimum, & hinc conuincitur Aristot. qui ex auditus instrumento nullum patere aditum ad cerebrum existimauit.

***** Adeò exquisitus est aurium sensus vt dolor sua atrocitate interimat, quod Galen. affirmat, nam *dolore vexati, & decolores apparent, & refrigerantur, & concutiuntur rigore tremunt, soluuntur pulsus minores fiunt, abolentur, & tandem veluti siderati, attonitique moriuntur.* 12.meth.c.1. 2.de caus. sympt.c.5.

****** Communitas, vicinitásque cum cerebro, facit, vt ex hoc dolore, si perseuerauerit, deliria sequantur: Communitas per duas neruorum propagines, quæ vnà cum durâ membrana in cauitatem auris explicantur. Ea verò membrana quâ parte auri interiori inducitur ad instar telæ araneæ tenuissima, & siccissima, ossi durissimo insidet: vicinitas quia in cerebrum cauitas aurium desinit. Hæc omnia efficiunt vt auris & cerebro colligata adeò sit vt nihil magis esse possit, vnde oritur, & acutissimos esse, & periculo plenos huiusmodi dolores.

Viscerum dolores.

Erysipelata, & inflammationes in visceribus factæ, illarum partium doloribus ostenduntur. Idcirco inquit Hipp. *In febribus * conuulsiones, & circa viscera dolores fortes malum*: Profectò non solum malum, sed valde malum, potius perniciosum dicerem: De conuulsionibus dicemus inferiùs, dolores autem viscerum, propter abscessum eorumdem fiunt, addit Galenus, *Et propter obstructionem.* Sed quorsum hoc additum? Nónne si detur obstructio cohibens & recludens in aliqua parte putridum humorem, necessariò fiet abscessus? Ita sanè cùm loquamur de febriente, & de forti dolore, alioquin sine febre, sine dolore vehemente, obstructio duntaxat erit. Hoc in iecore ** poteris addiscere, cuius vehemens cum febre dolor, inflammationem significat: inflammationis nomen latè sumo vt scilicet non à sanguine duntaxat, sed à bile etiam aut quouis alio humore inflammato, ita dicatur. Patet idem in ore ventriculi, quod (vt Galenus est Author) Veteres cor appellarunt. *In febribus* (inquit Hippocrates) *circa ventriculum fortis æstus, & cordis morsus *** malum.* 4.aph.66. 1.de caus. sympt.c.7. 3. crif. c.vlt.5. loc.aff.c.6. 3.progn.30. 4.aph.65.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

* Nempe in febribus continuis: ſiquidem in intermittentibus confluere poteſt ſine periculo bilis ad ventriculum, & morſum, æſtúmque facere. In iis quæ non intermittunt, periculi plena res eſt: Oribaſius per hunc bilis affluxum ſignificari ait, Naturam à bilioſo humore eſſe ſuperatam. Ego cum in ægroto vehementer febricitante graues æſtus oris ventriculi conſiderarem qui mordacitatem ibidem ſe ſentire querebatur, ad quos non multo poſt crebra animi deliquia ſequuta ſunt, aderat & linguæ, cum nigredine ariditas, ſuſpicatus ſum hunc eryſipelatoſo affectu in Ore ventriculi laborare quod mihi autopſia poſtea confirmauit: nam diſſecto cadauere repertus fuit ventriculus præcipuè ad ſupernam partem ſphacelatus.

** Decipiuntur multi in doloribus dextri lateris à iecore inflammato, exiſtimantes eſſe pleuritidem, ſicut decipiebatur in ſe ipſo Medicus ille cuius hiſtoria narratur 5. de locis affectis: cum enim haberet decoctum ex hyſopo in aquâ mulſa hoc Galenus videns ſtatim huius deceptionem cognouit: quippe arbitrabatur ſe pleuritide teneri. Aliquando etiam idem dolor ex inflammatione iecoris colicum dolorem repreſentat. Crediderim ego dolores illos quos Paulus refrigerantibus remediis ſanatos commemorat, non fuiſſe colicos, vt vulgo ferebatur, ſed fuiſſe inflammationes iecoris.

cap. 7.

lib. 3. c. 43.

Porro hypochondriorum dolores ſi ſine febre ſint, à flatu (vt plurimùm) ſunt & tunc vera eſt ſententia Coac. *Quibus hypochondrij dolor eſt, ſine phlegmone, his ſuperueniens febris dolorem ſoluit:* Cum dicat; *Superueniens febris*, inſinuat ſe loqui de dolore, qui ſine febre corripit, hic autem veluti alij morbi qui diſcuſſione indigent, à calore febrili beneficium accipit.

1. prorrh. ſect. 2. tex. 21.

in præfat. ad ſect. 2. lib. 3. epid.

Sed nonne *Febres ex hypochondriorum doloribus malignæ*; Ita ſanè in Prorrheticis, quæ ſententia vera eſt, quicquid in contrarium proteruiat Galenus, qui tum in Commentario huius ſententiæ, tum alibi, eam calumniis, inſequitur. Sed pro hypotheſi ſumamus id quod ipſi Galeno acceptum refero, non intelligi hypochondriorum nomine coſtas mendoſas & ilia; ſed viſcera quæ ſubtus exiſtunt Iecur ex dextrâ, lienem ex ſiniſtra; ventriculum, peritonæum diaphragma. Hæc omnia profectò nobilia ſunt, quare eorum affectus, non poſſunt, non terrifici haberi. Inquit tamen Galenus; *Verius erat dicere febres à cerebro affecto malignæ ſunt: febres à membranis quæ cerebrum continent affectis malignæ: febres à pulmone affecto malignæ: iam præ his etiam febres à corde affecto malignæ: Aut febres quæ ab hypochondriis proficiſcuntur (ſi proprie vocabulum hypochondriorum accipiamus) omnium febrium acutarum ſunt mitiſſimæ. Sin minus propriè, & hac voce etiam ventrem complectamur, iecur, lienem, & ſeptum tranſuerſum, quædam malignæ, quædam etiam mites ſunt.* Sic ille in Epidemiis, qui ferè eadem in Commentario prorrhetici habet. Vult itaque vt duas limitationes ſententia illa habeat; hæ, vt arbitror ſunt, Prima ſi hypochondriorum nomine aliquod ex membris nobilibus quæ ibi adſunt, accipiamus; Altera, ſi adiungamus;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

mus; *Non semper*: siquidem aliquando sine malignâ febre, possunt hæc viscera inflammari, imò & sine valdè acutâ

Nec quicquam tamen Galenus defatigatur, nam hypochondrij nomine vt plurimùm partes nobiles quæ in vnoquoque latere adsunt comprehenduntur, neque latera possunt interius phlegmone erysipelatéue tentari quin iecur, aut lien, aut diaphragma, aut mezenterium grauiter patiantur. At tunc non solum febris erit acuta vtpote quæ calidissimas suapte natura occupat partes, sed maligna etiam; neque ego modo quid malignitatis nomine sit accipiendum in disputationem trahere volo, sed à Galeno met hoc accipere, qui morbos, malignos appellat: *Quicumque periculum minantes spem salutis non adimunt.* 1.*pror.sect.*1. *com.*14.

*** Cardialgia, hoc est, dolor Oris ventriculi à parte affectâ nomen accepit, vt Galenus ait, sicut cardiogmos, hoc est, cordis morsus, potest etiam teste eodem Gal. cordis morsus cordis palpitationem significare, quod etiam graue est in febribus malum. 2.*meth.*22. 4.*aph.*65.

Faucium dolor.

Perniciosus etiam est, faucium dolor, dummodo (vt, in Prorrhet. habetur) *fauces sint dolentes, graciles, cum implaciditate strangulantésque.* Dixit *graciles* quando videlicet (vt in Prognost.) *neque in faucibus, neque in ceruice conspicuum quidpiam efficiunt, plurimum verò doloris inferunt, ac spirationis difficultatem, quæ non nisi erectâ ceruice trahatur. Hæ enim & eodem die, & secundo, & tertio, & quarto strangulant.* Hoc idem confirmat Galenus, vt videre est apud eum. Ex dolore similiter pectoris, & ventris, praua sumuntur prognostica, quæ prostant apud Hippocratem. 1.*pror.sect.*1. *tex.*54. 3.*epid.sect.* 2.*ægr.*4. 4.*loc.aff.c.*5.

Cuius partis dolor sit maior.

Quoniam de doloribus varias partes occupantibus egimus, nec extra rem nec inutiliter quærimus quænam pars acerbius doleat? Nam hoc quoque scire, ad prognosin non parum confert, Plinius hanc quæstionem irridet, nec tamen quid maiores senserint tacet: inquit enim. *Qui grauissimi ex his sint discernere stultitia prope videri potest, cum suus cuique, ad præsens, quisque atrocissimus videatur, & de hoc tamen iudicauerunt aui experimento asperrimos cruciatus esse calculorum à stillicidio vrinæ, proximum stomachi; tertium eorum, quæ in capite do-* lib.25.c.3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

leant, non ob alios fere morte concitatâ. Regula ad discernendam doloris magnitudinem est considerare quinam ex illis suâ vehementiâ possint interimere; propterea tres isti à Plinio allati, *renum*, *vesicæue*; *stomachi*, *capitis* primum locum obtinent, possumus addere quartum, nempe *aurium*, qui lethalis aliquando est. Cæteri magis propter accidentia quam ob intolerabiles cruciatus mortem afferunt. Vti cor si doleat, non grauiter dolet, citò tamen interimit non, inquam, grauiter dolet; quoniam hoc viscus saltem in interiore eius parte nullos recipit neruos, cum autem vehementissimos cordis dolores fuisse audis, pro corde Os ventriculi intellige vt ex superiùs dictis satis patet.

Dixi renum aut vesicæ quia vterque atrocissimus censetur. Renalis nullo alio superueniente symptomate, sola acerbitate vires dissoluit, calculus vesicæ adeo immaniter cruciat, vt cogat miseros ad sectionem, cum manifestissimo mortis periculo accedere. Aliqui inter hos, dolori Oris ventriculi primas tribuunt: quippe hanc partem multis magnisque neruis Natura circumuallauit, vt exquisitissime alimenti inopiam sentiat, in cuius refectione vita consistit. Capitis etiam dolor poterit alicui videri reliquis maior: siquidem membranæ cerebri nulli alteri membro acuitate sensus cedunt, verumtamen Galenus sic ait. *At vero ob capitis dolorem vehementem nemo inquam animi deliquio comprehensus mortuus est, neque se ipsum occidit, quemadmodum quidam colico dolore vexati fecerunt. Vtcumque autem doleant, longè minor ipsorum dolor est, quàm eorum, qui intestini coli, aut auris, aut oculi, aut dentis dolore vexantur.* Merito quidem Galenus inquit neminem deliquio comprehensum periisse vel doloris impatientem se ipsum interemisse: nam hi sunt casus qui doloris magnitudinem ostendunt: Cæterùm quæ ad dolorem consequuntur licet praua, & horrenda, magis significant dolentis partis præstantiam quam doloris efficaciam. Contigit quidem mihi quendam vidisse, qui præ capitis dolore in apoplexiam incidit, quippe periculum hoc in dolore capitis ad partem non ad dolorem referri debet. At licet Galeno concedam neminem præ capitis dolore resolutis viribus periisse, dicam tamen hoc fieri quia mors superueniente

2. compos. med. secund. loc. cap. se capit. dolore.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

niente graui aliquo morbo symptomateuè præoccupat neque enim potest diu caput grauiter dolore, quin vel inflammatio, vel ventriculorum cerebri obstructio, & subinde phrenesis, apoplexia, epilepsia, aut quilibet alius prauus affectus, à quo æger pereat, non sequatur.

Igitur quoniam prædicta regula num scilicet mors ad dolorem sequatur potest aliquando decipere, moriente scilicet ægro, non ex dolore, sed ex attractione facta ob dolorem, magis tutum est considerare, quàm sit exquisito sensu pars prædita, & iuxta hoc, doloris vehementiam mensurare. Et hoc docemur à Galeno, qui partium quæ exquisitè sentiunt, posse ait, dolorem sua acerbitate interimere: Etenim in omni forti dolore facultates primorum membrorum adeò attenuantur, & defatigantur, vt timor sit de omnimodâ earum dissolutione. Nam * teste eodem, vehementer dolentes sine pulsu multoties redduntur, animíque deliquia incurrunt, & se ipsos nequeunt mouere; quippe, vt idem Galenus testatur, dolor vires exoluit imò vt tùm ipse tùm Hippocrates summus dictator, fortissimũ ad vires prosternendes omnes, mortémque ciendam, validissimum symptoma dolor est, nisi quis viribus abundet, aut firma sit compage præditus.

12.meth.c.1. & 2.caus. sympt.c.5.

2.acut.48.

1.prog.34.

* Propterea dolor cum vrget, totum curandi ordinem immutat, & Medici solicitudinem ad se trahit, non quidem quatenus symptoma est: nam hoc modo, vt scribit Galenus, nullam curationem, aut prouidentiam Medici expostulat, sed quatenus rationem obtinet, causæ vires prosternentis. Quapropter idemmet prudentissimè consulit, vt, *Cum dolore vires resoluuntur, atque periculum impendet, dolorem mitigare, & vires roborare nitamur, quò & morbo resistere, & curationis spatio sufficere valeant.*

2.meth. c.1. & lib.12. m th.c.1.

Ob dolorem etiam vigilia adest, quod Hippocrates non siluit. Igitur cùm facultatibus omnibus noceat, præcipuè nocet animali sentienti, quæ dolori intenta, non potest ad suum principium regredi, ac proinde dolor vulgò somnum fugare dicitur. Vexat autem dolor magis noctu quàm diu: quoniam vt Galenus aduertit eo tempore quo ex naturâ, & consuetudine quiescere solemus, si labores adsint eos grauiùs toleramus. Adde diurno tempore ægrotos colloquiis, confabulationibúsque distractos, aliquomodo causæ dolorificæ obliuisci, nec symptomati admodùm esse intentos, quod demonstrauit Philosophus ille apud authorem libri de motibus liquidis Galeno attributi, qui crus dolens noctu plus cruciabatur, quàm die; cùm tamen noctu magis fotum, & quietum crus haberet: Idcircò

2.progn.12.

2.aph.13.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

de hoc euentu admirationem concipiebat, non animaduertens de die facultate animali ad colloquia visitantium distractâ eum minùs dolori attentum reddere.

Ex doloris materiâ præsagium.

Non solùm à partis præstantiâ, sed à materiâ, ex quâ dolor excitatur, prognostica possunt accipi: quippe si dolor secum afferat malignitatis indicia, in quacumque sit parte, etiam ignobili, timendus est. Quodnam ignobilius membrum quam pes? Et tamen pedis dolor potest interimere, si à materiâ fiat malignâ. Hoc accidit. * *Critoni rectè ambulanti in Thaso*; quippe ei *pes ex pollice vehementer dolere cæpit, decubuit eodem die, horrescens, fastidiosus, parum calens, nocte desipuit, altero die tumor toto pede, & ad talum subrubens cum contentione, pustulæ nigræ, febris acuta, valde insaniit, deiectiones meræ, biliosæ, subrubræ fuerant. Periit postridie quam ægrotare cæpit.* Deus bone quàm horrenda symptomata digitum pedis dolentem comitabantur! quam cita mors fuit subsequuta. Nunquid hoc ex doloris vehementia? At vehementer dolentibus non solum digitis, sed pedibus in podagrâ, nihil tale solet accidere. Ergo ex humore venenoso illuc transmisso. Similiter Larissa Caluus, cui *dextrum femur doluit derepentè, nihil ex iis quæ offerebantur iuuabat.* Tandem prauis accidentibus superuenientibus *quartâ die obiit.* Multa de singularum partium doloribus in Coacis & Prorrheticis dispersa inuenies quorum aliqua incerta, alia nimis sunt manifesta, ac proinde in hunc catalogum non redigenda.

1. epid sect. 3. aex. 26.

3. epid. sect. 3. ægrot. 5.

* Galeni coniectura est Critonem fuisse mortuum: quoniam natura molita fuit materiam procul à membris principalibus deponere, cumque id membrum tantam superfluitatem capere non potuerit pars residua ad caput recurrens, qua erat malignitate, furiosum delirium excitauit. Cæterum mihi potius dicendum videtur non quia in pede non receptus fuit humor, sed quia turgens erat, & irriquietus potuisse quoquo versum moueri, & veneni vires prodere adeo vt dicat Vallesius posse aliquem putare hunc ab epoto veneno fuisse mortuum, cum tamen etiam intra nos venenum innasci tradat Galenus, & receptissimum sit apud omnes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Annotatio.

Dolor pedis non interemit,signum tamen fuit (vt hinc cognoscas debere Medicum ad omnia animum conuertere) loca enim adeo distantia pedem & caput simul affici prauum , vehementemque materiæ motum significat.

Frigiditas extremorum.

Ad sensum tactus etiam corporis refrigeratio pertinet, corpus indistinctè dixi sed, tamen multũ refert num vniuersum * corpus, an extremæ duntaxat partes algeant. Totum corpus non ab alia causa quàm ab extinctione caloris natiui frigescit; extremæ partes ** tùm ab hâc non tamen valde magnâ, tùm ab aliis, vt ab intercepto caloris interni ad exteriora influxu, aut à reuocato ab externis ad interiora calore. Rursus extinctio fit, vel propter resolutionem vt in magnis euacuationibus, vel per oppresionem, vt in multitudine humorum, intercepto eodem calore, vel ab humore frigido in centro corporis existente, vel à frigida intemperie spirituum motum retardante, reuocatio ab interna inflammatione, aut saltem phlogosi. Argenterius putat dictum ab Hippocrate; *In morbis acutis frigus partium extremarum malum*, & alibi etiam: *Si caput, manus, & pedes, frigidi sint, ventre costísque calentibus, malum*, quoniam non ita perniciosum est frigere extrema, vti est frigere exteriora, hoc est, omnia externa membra, vnde alibi: *In febribus non intermittentibus, si exteriora frigida sint, interiora verò vrantur, & sitim habeant, lethale.* Verumtamen non ita est; teste namque Galeno malum & lethale pro eodem apud Hippocratem accipiuntur. Et in Prorrheticis, *Ex rigore, refrigerationes malæ* dicuntur cum tamen lethales sint: quippe (vt Galenus animaduertit) *langorem caloris natiui, extinctionemque talis refrigeratio indicat*, quo quid deterius esse potest?

7.aph.1.
2.progn.4.
4.aph.48.
5.aph.3.
1.pror.sect.1. tex.31.

* Cum refrigeratio neruos aliquos corripit, totum corpus videtur occupare; Idcirco, *Ceruicis, dorsíque perfrictiones apparentes per totum corpus*, dixit, *apparentes* quasi non sint veræ. Galenus non intelligit perfrictiones posse esse totius corporis, sed apparere tanquam sint totius corporis, nihilominùs idemmet alibi sic ait, *At cum perfrictio tùm in extremis*

1.pror.sect.3. tex.20.
1.pror.sect.3. com.34.

fiat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

fiat, tùm per totum corpus, grauior certè, difficiliórque per totum corpus est. Sic ille; in quo sibi videtur contrarius, neque ego video cur non possit totum corpus, videlicet externam illius partem, frigus occupare, profectò qui hoc negabit Medicus paucis ad fuit ægrotantibus.

** Triplex est extremorum frigus, periodicum; criticum; symptomaticum: Priora duo cùm non durent, neque à praua causâ fiant vtiliter fiunt: periodicum námque, facit febres intermittere, si hemitritæum excipias; Criticum à naturâ fit ad salutem: Symptomaticum si fiat ab extinctione, aut saltem paucitate caloris viuifici, cognoscitur, tùm quia raro tanta est malignitas vt statim initio calorem innatum extinguat: quare non adest hæc refrigeratio nisi morbo iam ad interitum ægrum præducente, aut copiosissima aliqua præcedente euacuatione. Deinde discernitur paruitate, & inæqualitate, pulsuum & interdum frigida respiratione, quæ in extremis adest. Tertio quia ab extinctione refrigeratæ partes, vel non reualescunt, vel saltem cum languido, & exiguo appulsu. Si ab interceptione perfrigeratio extimorum fiat, quam vocat Hippocrates spiritus per venas interceptionem, licet duratione, & frigoris vehementiâ, similis fit refrigerationi per extinctionem factæ; tamen dignoscitur quia quæ extinctione fit nullam habet adiunctam anxietudinem, sed æger prorsus prolabitur, quæ verò interceptione contingit, propter resistentiam caloris exitum sibi quærentis, cum ægroti labore fit: Vtraque praua est sed quæ extinctione accidit immedicabilior. Si tandem fiat à reuocatione caloris ad interna; tunc internus calor sua signa prodit, & hic habet locum sententia in Prognosticis citata: *Si caput, manus, & pedes, frigidi sint, ventre costisque calentibus, malum.* Ventris calorem, ne suauem intellige, sed febrilem, & hæc est febris lipyriæ discriptio in qua interiora vruntur, exteriora algent.

2. prog 4.

Corollarium.

Quoniam totius perfrigeratio, perfrigeratione partium deterior est, rectè sequitur, quamuis adhuc totum non refrigeretur, quò plures frigescant partes, eò deteriùs signum esse; quippe indicat vires mali augeri, vires caloris natiui imminui. Et quemadmodum perfrictio totius non solùm praua est ipso symptomate, sed etiam quia immedicabilis: neque enim habet à quo reducatur; ita si plures partes occupet vehementiùs curationi resistit, quàm si vnam aut alteram.

Appendix Prima.

Nec solùm numerum partium quæ refrigerantur, considerare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

derare oportet, ſed etiam quænam ſint partes, vt ſi pedes caleant, cum minore periculo id fit, quàm ſi manus, aures, & naſus: cum enim pedes valdè diſtent à fonte caloris, facilè à calore deſeruntur; quippe Natura quoad poteſt partibus noſtri corporis conſulit, poteſt autem magis proximis, quàm longinquis auxilium præſtare.

Exceptio Prima.

Quamuis emoriente calore extremæ partes prius deſerantur, non ita tamen accidit, ſi calor ab interna inflammatione trahatur: quia quemadmodum calor deſerit faciliùs partes diſtantes; ita à propinquis faciliùs trahitur.

Exceptio Secunda.

Cum audis partes cum minori periculo frigeſcere, quæ faciliùs refrigerantur; ne hoc tanquam vniuerſim verum axioma accipito: nam dorſum & ceruix facilè & primò * frigeſcunt; & tamen frigiditas harum partium periculoſa nimis eſt, quarum frigus conuulſiuum dicitur non ſemel in Coacis, hoc eſt, conuulſionem afferens: dici etiam poteſt reſolutiuum, cùm ab eo contingere poſſit reſolutio, hoc eſt, paralyſis.

Annotatio.

Non tamen hæc neceſſario conſequuntur: neque enim in criticis rigoribus, neque in acceſſionum principiis, refrigeratio, illarum partium conuulſionem, paralyſimue adducit. Poteſt quidem diutius in illis partibus frigus conſiſtens, ea mala parturire.

* Quemadmodùm rigor à poſterioribus corporis partibus incipit, ſic eaſdem celeriùs refrigerari par eſt: ſunt námque frigidiores vtpote neruis, & exanguibus membris refertæ, quemadmodum anteriores, quia venas, & arterias habent plures, calidiores ſunt. Porrò poſterioribus refrigeratis, frigus, ſi duret, poteſt origini neruorum communicari, & conuulſiones, paralyſéſue efficere: quippe, vt ait Hippocrates, *Frigidum inimicum neruis*. Denſat frigus, & cogit, exaſperátque neruoſas partes, & humorem

5. *aph.* 18. & 20.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

morem introrſum poteſt exprimere à quo, ſi dilatetur neruus in latitudinem, decurtabitur in longitudinem atque erit conuulſio, ſin duntaxat ſubſtantia nerui obſtruatur, impeditur facultatis influxus & fiet paralyſis. Dixi ſi frigus durauerit, quoniam breuiter tranſiens vt in principiis acceſſionum, atque etiam in iudiciis non hæc mala minatur.

Appendix Secunda.

Solet in ſuper à refrigeratione pars liuorem * præ ſe ferre, quod morticinij indicium eſt. Vnde in coacis: *Qui liuent in febre, mortem ſignificant breui futuram.* Nec verò putes liuorem extremorum poſſe tanquam abſceſſum morbum ſoluere: nam ex gangrænâ iſtâ priori malo ſuperueniente æger ad mortem rapitur: Sit abſceſſus iſte quantumuis in tempore factus, ſit ad partes ignobiles, nihilominùs ſua prauitate interficit, nempe venenoſos halitus ad cor mittens febrémque maligniorẽ quàm anteà accendens. Vt accidit hic Piſis, Doctori Collucio. Has febres appellat Hippocrates liuidas ſcilicet vt Galenus notat à colore nomen adeptas ſignificant enim ſanguineum ſuccum deficere atque idcirco mortiferæ ſunt, & prauum qualitate humorem in corpore ſubeſſe indicant, vt Galenus ait. Porrò liuor extremorum deterius eſt, & mortis magis propinquæ ſignum quam eorundem frigiditas. Vtrumque autem ſimul deterrimum, quale Philiſco accidit. Vt autem intelligas quando funeſtus eſt liuor; conſidera, ex Hippocratis documento, an præter liuorem corporis etiam adſit grauitas, quia ſcilicet ex grauitate & impotentiâ ad motum arguitur animalis facultas debilis, ex liuore vitalis interitui proxima, hoc eſt, caloris viuifici extinctio. Demum iure optimo ſæpe ab Hippocrate liuor partium extremarum, ſummoperè damnatur, & mortem iam iam futuram indicare dicitur.

6. epid. ſect. 1. tex. 29. — *3. prog. cm. 34.* — *2. prog. 8.* — *2. progn. 8 & in coac.* — *14. meth. c. 9. & de tum præternat. c. 10.* — *de fract. ſect. 2. com. 32.* — *2. prog. 9.* — *1. criſ. c. 12.* — *1. prog. 3.* — *5. aph. tex. 20. 23.*

* Color liuidus quem græci pelidnon vocant teſte Galeno, eſt medius inter rubrum, & nigrum, quia vt alibi ait à colore florido recedens ad nigrum tendit. Quæres tamen: Si liuidus color tendens in deterius niger euadit, cur Hippocrates pedes nigreſcere pernicioſum minùs eſſe affirmat, quàm ſi liueſcant. Nempe quia liuidus color ſemper vehementis frigoris, ſeu potius omnimodæ extinctionis innati calidi eſt ſoboles, quod Galenus non ſemel ſcriptum reliquit; hoc autem ſemper eſt malum. Ni-

egr

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ger autem color poteſt aliquando fieri propter extinctum calorem, poteſt & accidere propter decubitum materiæ melancholicæ ad partes ignobiles, atque adeò ſi cauſam habeat frigus, deterior quidem eſt niger quam liuidus color, & hâc quidem viâ à liuido ad nigrum tenditur. Si vero ſit decubitus materiæ, nigrities poteſt vtilis eſſe non minùs quàm quilibet alius abſceſſus.

Obiicies tamen nonnè poteſt color liuidus fieri ex decubitu materiæ? poteſt quidem. Sed materia melancholica quam liuor indicat, non tanta eſt, quæ poſſit naturam exonerare: ſi enim multa eſſet penitus nigrore tingeret, ſed quoniam pauca eſt color infra nigrum conſiſtit.

Porrò quamuis communem cauſam liuor, frigiditatem habeat, habet etiam particulares nonnullas ad communem illam referendas, ſi enim cacochymię in corpore exiſtentis ſigna fuerint tunc liuoris cauſa eſt pituita, ſeu crudus ſuccus ex Galeno, quem Praxagoras vitreum appellauit, poteſt etiam eſſe venenoſus calorem ſua prauitate extinguens. Deinde fit plumbeus iſte color (ſic ſcribente Galeno) iecinore ſuo munere non fungente. Tertio ſi atrabilis deiectioni, aut vrinæ pauca miſceatur, vnde idemmet Galenus ſic ait, *Nigra deiectio ab atra bile ſyncera tingitur, liuida verò vbi modica bilis atra permiſcetur.* Illud tamen animaduerte, in lacte modicum liuorem nihil mali ſignificare, imò laudabilem eſſe: quippe mammarum glandulæ, quæ agunt aſſimilando ſibi paſſum; aliquid liuoris præ ſe ferunt, idcirco Ariſt. Lac liuorem trahens commodius eſſe, ait, quam id, quod exquiſitè album eſt. Non ita de ſemine ſentire opportet: quippe vaſa ſemen commutantia alba ſunt. Inter partes quæ liueſcunt, facillimè hunc colorem vngues ſuſcipiunt, quia diaphani ſunt in modum vitri, vnde coloris ſubtus exiſtentis ſpecies per eos optime tranſmittunt. Hinc eſt quod in ſanis nitidi, ac floridi appareant, optimi ſanguinis, & ſpirituum affluentia perfuſi, in ægris verò pro ratione vitiati coloris conturbentur. Adde ad vnguium radices non ſolùm neruos, ſed & venas, & arterias accedere, liuor autem fit ex ſanguinis morticinio, quapropter hinc morientis facultatis vitalis ſignum aſſumitur.

4. ſanit. tuend. c. 4.
5. loc. aff. c. 7.
2. prog. com. 22.
3. hiſt. anim. cap. 21.

Appendix Tertia.

Conſiderare præterea oportet, an refrigerationes recaleſcant; nam *Quæ non recaleſcunt* damnantur ab Hippocrate: ſignificant enim omnimodam extinctionem. Neque peius aliquid febre acutâ laborante accidere poteſt, quàm frigiditas ſtabilis tum quia eſt ſymptoma omnino morbo improportionatum, nempe in ardentiſſimo calore frigiditas, tum quia vitæ aduerſatur, quæ in calido conſiſtit, tum etiam quia omnibus actionibus nocet, quandoquidem omnes à calore fiunt.

1. prorrh. 32.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Exceptio.

Quamquam recaleſcere ſit bonum, tamen viciſſitudines caloris & frigoris, quæ breui temporis ſpatio crebris permutationibus fiunt, pernicioſæ cẽſentur: quippe cita iſta permutatio ad calorem, nõ fit calore innato ſuas rurſus ſedes, quas reliquerat, occupante, ſic enim ſenſim introduceretur, fit ergo internâ inflammatione halitus ſuos tranſmittente, qui quoniam ſuapte natura cito euaneſcunt, cito etiam ad refrigerationem datur regreſſus. At tandem in hac pugna frigoris quod introducitur, halituum qui diſperguntur, calor victus cadit, & interitus ſequitur. Quando autem cita iſthæc permutatio initiis acceſſionum fit; tunc internus feruor adſe conuocat extremorum calorem, ac propterea extrema frigent; rurſus naturæ viribus, calor febrilis ad extrema propellitur, & externa calent; hæc pugna non, vti prior, certum habet interitum; eſt tamen ambigua, cùm in vtramque partem exitus pendeat: poteſt námque Natura vincere; poteſt & vinci.

PARTICVLA X.

Præſagia ſumpta à facultate motrice.

De decubitu.

INter præſagia quæ à motrice facultate accipiuntur; præcipua ſunt ea, quæ nobis præbet iacendi in lecto figura*; propterea Hippocrates, *Cubantem*, inquit, *offendi ægrum à Medico oportet in latus dextrum, aut ſiniſtrum, ac manus, ceruicem, & crura paululum reducta habentem, & omne corpus molliter poſitum: ita enim plerique bene valentium cubant, At ita cubare, vt ſani ſolent, optimum eſt.* Dixit *offendi à Medico*, quoniam Medicus in ingreſſu ad ægrotantem, non debet expectare vt ſe ipſum componat in lecto, alioquin non poterit veram ex decubitu præcognitionem facere: neque enim quam figuram

1. prog. 13.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ram consultò accipit, consideramus, sed ad quam inconsultò, sic iubente morbo inclinat.

* Decubitusne, quo æger in lecto quiescit ad motum reducitur. Maximè, ad motum inquam tonicum, quem manifestissimis exemplis Galenus declarat. *Non enim quæ moueri videntur, ea moueri sola, pronunciauerunt Veteres; multa siquidem citra motum esse videntur, vnum eundemque locum obtinentia, nihilominùs autem mouentur.* Aues non modo sursum, & deorsum tendentes, sed etiam si locum vnum in aëre occupent in motu, tunc esse censebuntur. Nam si in eo loco mortuum auis corpus situm fuerit, facile ad terram decidet pondere suo inclinans. Vnde constat & corpus quod in eodem manet loco, motus eiusdem auxilio in sublime constitisse, tanto vtique motu quantum haberet, si solo pondere deorsum ferretur. Quare quod immobilitatem esse putas, motus est ex duobus quibusdam compositus, qui corpus in contraria loca possunt abducere, quorum si alterum sursum vergentem tollas, reliquum videbis ex facili corpus in locum inferiorem deduci. Hoc idem in naui, aut natatore spectatur, qui aduerso flumine tendunt quorum tanta vis est in ascensu, quanta aquæ in descensu, duo similiter Luctatores pari robore contendentes, quorum neuter alterum loco *mouet*, in motu tonico esse censentur. Audi Hippocratem dicentem *Vlceribus stare minime conducit, præsertim si crura infestent, neque amubulare sed quiescere.* Si stans, & sedens, & ambulans æquiparantur, si rursus hi quiescenti opponuntur, quis dubitat stare, & sedere, esse motum, ac proinde omnem decubitum in quo licèt locus non mutetur, membra tamen non otiantur. Aliqui nimis scrupulosi non motum tonicum audent appellare, sed actionem tonicam; veruntamen ab his quæro, quis agat in illa actione? respondebunt, si sanæ sunt mentis, musculos esse qui agunt, at musculorum actio est motus.

de trem. rig. palp. c. 4. & li. 1. de motu muscul. c. 8.

lib. de vlcer.

Corollarium.

Hinc addisces eam figuram quæ tanquam causa optima est, in qua videlicet membra otiantur, & quiescunt, tanquam signum esse prauam: quippe significat virium imbecillitate coactum ægrotantem in eum situm se se accommodasse, quem vires imbecillæ tolerant. E.g. in supino * decubitu (quem Hippocrates damnat) magis quam in reliquis, musculi omnes exceptis respiratoriis otiantur, membráque omnia in dorsalem spinam, vtpotè imam, ac grauissimam, ceu nauis in suam carinam procumbunt, cum hoc tamen, stat signum esse pessimum, nam non posse solitum decubitum sustinere, quia vires

1. prog. 14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

non sufficiunt, & innata quadam doctrina eum quærere in quo minor est defatigatio, subleuantis animæ impotentiam arguit; per cuius absentiam vel pronum vel supinum qua magis pondus inclinat cadauer iacet.

* At non perpetuum est, decubitum supinum tanquam causam, bonum esse: licet enim in eo membra quiescant, multa sunt damna hac vtilitate longè maiora. In febricitantibus ista cubandi ratio est valdè nocua; siquidem in hâc figurâ venter, & thorax, per inspirationem, in sublime eleuantur; quare vel respiratio febri non satisfacit, & sic respirandi necessitas augetur, vel frequenti ac difficili thoracis ascensu, vires alioquin languidæ plus nimio defatigantur, ac prosternuntur magis quàm in quouis alio iacendi modo, etiam in erecto. Prætereà in supino decubitu procliuiores sunt fluxiones à capite ad pectus, quia ad nares, & os non possunt fieri; faciliùs quoque deducuntur ad renes, qui etiam immodicè ita decumbente ægro incadescunt. Quapropter monendi sunt asthmatici, destillationibus obnoxij, & nephritici, vt caueant ab hoc decubitu. Imò caueant omnes: siquidem ob expurgationis cerebri defectum, quilibet in apoplexiam potest incidere, propterea prudenter Auicenna scriptum reliquit, *Supine dormire malum, quoniam ad multas præparat ægritudines, scilicet apoplexiam, paralysim, incubum: quoniam superfluitates ad posteriora declinare facit, quare retinentur, nec per suos incedunt canales, qui in partibus sunt anterioribus, sicut nares & palatum.* Multò ante Auicennam, hoc docuit Galenus, inquiens; *A decubitu supino nullum auxilium, sperari, quo facilius ad infernas, partes feratur alimentum.* Si quis autem eundem Auicenam nobis opponat, qui ait *Dormire super dorsum est ex iis quæ lapidi renum, & vesicæ conferunt.* Respondeo ad lapidem excernendum, cùm excerni postulat, & equitationem, & inæqualem in cursu vectionem, & festinum, per scalam descensum, & supinum decubitum, hæc omnia esse optima. Secus verò extra doloris tempus cum lapidis generationi volumus obsistere: nam per illos motus ex confluxu materiæ calculus generatur, quod non intelligens Rorarius immeritò Auicennam contradictionis rerum constituit.

3.1.*doct*.2. *cap*.9.

5.*loc.aff.c*.4. *& de instrument.odorat. in fine.*

18.3.*tr*.1. *cap*.18.

Appendix Prima.

Cùm supinum decubitum damnamus, adde tu eius contrarium, nempè pronum in ventrem etiam prauum esse: etenim alterum duorum significat: nempè; *Vel delirium; vel dolorem partium, quæ circa ventrem sunt*: Delirium; quoniam ij qui mente non constant, quamlibet eligunt figuram, licet indecens sit, & minimè saluti conueniens; neque enim discernendi

nendi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

nendi facultate pollent, sed multoties ridiculam positionem assumunt, à quâ nullis increpationibus distrahi volunt: Dolorem autem significat; quoniam vel Naturâ duce solemus in doloribus eas quærere posituras, quæ dolori quodammodo subueniunt, est autem dolori maximè conferens partium astrictio. Idcirco illi qui dolore crurum premuntur iubent sibi crura mediocriter constringi, quod cognouisse doctissimus Manardus, ostendit, his verbis. *Qui gallico morbo laborant hoc didicerunt, quorum extremas partes, per noctem præsertim, quàm insomnem agunt, dolores infestant: quæ partes si premantur, tantum abest, vt earum dolores augeantur, vt quomodocumque iuuari se ex loci contractione sentiant, vnicúmque hoc habeant laborantes in tantis cruciatibus leuamen.* Verum obiiciet aliquis Galeni authoritatem, qui depleuritide agens, sic scripsit: *Cum enim duplex sit ea membrana, quæ costas velat, si ea pars, quæ exteriùs ossibus hæret, validè laboret, facilius in latus decumbunt oppositum: nam si in morbosum decumbunt cõpressio molestiam affert.* Ex quibus Galeni verbis potest dici non semper conferre ad dolorem, recumbere supra partem dolentem. Tu dic in vlcere, & apostemate decubitum in partem affectam offendere, quia confricatione, dolor augetur: cùm vero pars propter intemperiem, aut propter humoris affluxum dolet, compressio corroborat & affluxum impedit; quare cùm materia sit minor, & pars reddita robustior, dolor non admodum vehementer premit, quod experimento nutrices dedicerunt, quæ suos infanes brachiis premunt, quando præ dolore plangunt, vt ita eis medeantur.

li.7.epist.1.

de const.art. med.c.16.

Appendix secunda.

Ad supinum decubitum accedit aliud, quod etiam mali ominis est: nempe ex Hippocrate, *crura, supinè cubantis ad modum reducta distractáque esse.* Hoc est, calcaneis contractis, ac natibus coniunctis, & cruribus inuicem separatis. Galenus sic infirmitatem significari scribit. Verumtamen supinus per se solum (vt diximus) infirmitatem significat, si verò crurum istam destractionem adiungas; vel significabit delirium quod Galenusmet in commento fatetur, & hoc ex aliis delirij signis agnosces *; vel conuulsionem, aut resolutionem; si enim adhibita manu

1.prog.18.

6.epid.sect.1. com.30.

in com.prog. 18.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

manu crura contracta facilè distendantur resoluta esse dicito; si manui distendenti non cedant, sed adhuc rigeant; conuulsa. Præterea in conuulsione dolor adest, est enim sic dicente Galeno, affectio doloris plena; in resolutione non adest, quippe est sensus motúsque priuatio. Cur delirium significat? quoniam decubitus absurdus est, & incompositus qualis conuenit iis qui rectæ mentis dictamine non gubernantur: Adde etiam quia fortis est contractio, & hæc non fit sine vehementia, quæ in corpore languido non nisi per phrenitides * * reperitur.

* Manifestum delirium ex sermone agnoscimus, est tamen aliud, ab Hollerio obscurũ appellatũ, in quo licet delirantes cohœrentia loquantur, nihilominùs gestu, & intuitu, reliquisque sensibus oberrant, vt quæ non adsunt auditu, odoratu, gestu, aut etiam tactu percipere se dicant.

* * Mirum est quàm vehementes impetus, & validas motiones phrenitici etiam morti iam proximi habeant; hoc autem accidit, quia calor motum excitat, siccitas verò, nisi tanta sit vt ex eâ articulorum ligamentia occallescant, motiones promouet vt Galenus testatur. *1. de vsup. cap. 1.* Accedit morsus membranarum cerebri, quem æger magna vi excutere conatur, non modicè (vt ratio suadet) sed vltimo conatu exhauriens, præ discursus inopiâ, vires; nec aliter se gerit, quam equus, qui calcaribus punctus, aut bos stimulo, currunt vt effugiant illud malum.

Appendicis Corollarium Primum.

Addisces hinc incompositas motiones delirij esse signa: quemadmodum enim suadente ratione & vox, & sermo componuntur; sic & decubitus in lecto; nisi fortè iussu Medici id fiat, vt ad reponendum membrum luxatum aut ad quamuis aliam vtilitatem. *1. prog. 16.* Si ergo æger *Nudos habeat pedes, nec admodum calidos, ac manus, collum, & crura dispergat inæqualiter; malum est.* Dixit *Nec admodum calidos*, quoniam qui caloris impatiens pedes detegit, nihil quod rationi aduersetur facit; si verò nulla necessitate compulsus cruribus brachiisque, *inæqualiter*, in lecto iactetur, mentis alienationem significat. Obiicies tamen hanc crurum brachiorúmque iactationem ab Hippocrate non delirij, sed inquietationis * notam dici: Ita est, siluit tamen ille delirium, tum quia de delirio priùs dixerat, tum quia delirium tanquam rem manifestam, relinquendum esse

existimauit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

existimauit, tum denique quia ex delirio, an ista iactatio procedat, aliis signis cognosci potest; an vero ex inquietatione nullo alio signo, quàm delirij absentiâ indigemus.

* Inquietos, seu anxios eos (ex Galeni doctrina) appellamus *Qui accubitum non ferentes, assiduò figuram euariant: quia præsens aggrauat eos.* Quippe hoc similitudine ad corpus sanum dictum est, quod semper præsentibus molestetur, atque ab vno negotio non longo tempore in aliud mutetur; ita per inquietationem æger in qualibet figurâ conflictatur, & aliam cogitur mutare; vnde euenit ista iactatio crurum, manuum, & ceruicis. Sed vndenam prouenit ista inquietatio? Multi causam arbitrantur esse incendium internum, qualis in lypiriis, quibus correpti, pedibus frigidis, quærunt loca frigida in lecto propter inflammationem intus vigentem; similiter etiam contingere dicunt in principiis accessionum, aut vbi adsit imbecillitas facultatis, quæ ossium pondus tolerare nequit, vnde æger facilè hàc illàc mutatur.

7. aph. 56.

Verùm hæ rationes non faciunt satis; vehemens namque incendium sitim facit, & respirationem auget, pedes autem in lecto nudare non facit, ac præterea, si de lypiriis febribus loqueretur Hippocrates, non dixisset. *Pedes non admodum calidos*, sed impensè frigidos. In febrium accessionibus, dum frigus extremorum adest, tantùm abest vt pedes nudet æger, quin potiùs eos sibi cooperiri desiderat, nec iactatio tunc temporis placet, sed nimia quies. Iam verò debilitas si eò deuenerit, vt ab stragulis, & vestimentis, aut etiam ab ossium pondere doleant ægri, mutant se ab vno latere ad aliud, hoc autem non est crura, pedes, & collum inæqualiter iactare, sed propter dolorem situm mutare.

Inquietatio igitur, siue anxietas, de quâ loquitur Hippocrates, & secundum quam præsagia facere oportet, est quæ prouenit propter ventriculi ingentem cachochymiam: occupatus enim ab humoribus prauis in ægritudine ventriculus, eam efficit inquietudinem, quæ in sanitate contingit, si homo (vt Galenus aliquando notauit) bene pransus super cænauerit.

2. vict. acut. com. 22.

Meritò igitur Galenus tribuit istam iactationem, oris ventriculi vitio (cordis vitio possumus dicere) quod prouenit vt plurimum ex prauo humore, suâ qualitate ventriculi os infestante; quippe os ventriculi valde sentiens est, humor vero magna ex parte esse solet bilis æruginosa, quæ grauissimorum symptomatum est causa, vt videre est apud Galenum, quam sequuntur Conciliator, & Valleriola.

12. meth. c. vlt. diff. 91. li. 4. ennar. 3.

Potéstne æger ob imbecillitatem angi? Potest. non quidem ob causam ab illis, quos retulimus allatam, videlicet quod præ debilitate non patiatur stragula, & doleat ab ossium pondere; sed quia dum imagno affectu moueri desiderat nec potest, angitur ob impotentiam, non aliter ac ille qui catenis alligatus ambulare appetit, & impotentiæ suæ tunc factus me-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

mor ac conſcius afflictatur. Ieſtatur æger hac illac in ſummâ debilitate: quia ſic quodammodo experitur quid poſſit; & propterea ſi mouetur, reperit ſe aliquid poſſe, proinde gaudet, quod ſi non poteſt, tunc ex virium defectu fruſtratur effectus, & augetur affectus, quare angitur, & conflictatur. Ideò Hippocrates, *Facilè in lecto conuerti, & eſſe leuem in ſurgendo, bonum*, dixit, *Contrarium verò malum*, quod ægri cognoſcentes non poſſunt non, quando in lecto ſurgere nequeunt, vehementer angi: hinc eſt, quod id quod ſe ipſis præſtare non poſſunt, aliorum adiumento præſtant; quapropter mutari ſe de lecto in lectum poſtulant, & omnia efficiunt, quæ ſani ab aliqua externâ occaſione conflictati, efficere ſolent.

2. prog. 6. & 7.

Corollarium Secundum.

Addiſces præterà omnem decubitum, qui eſt præter communem hominum, conſuetudinem, vel ſaltem præter eiuſdem ęgri morē, dum ſanus erat, eſſe prauum. Audi in hanc rem ſententiam Hippocratis. *Cubantem offendi ægrum à Medico oportet in latus * dextrum, aut ſiniſtrum, ac manus, ceruicem, & crura paululum reducta habentem, & omne corpus molliter poſitum. Ita enim plerique bene valentium cubant: At ita cubare vt ſani ſolent optimum eſt.* Hæc ultima verba quod intendimus declarant: agere enim aliquid quod non ſit ex more, aut conſuetudine eius, qui laborat, dum ſanus erat, peſſimum exiſtit, quod Celſus didicit, & Auicenna aſſentitur, inquiens: *Omnis præparatio non conſueta de reſupinatione, & tenſione, & reliquis, quam non fecit in diſpoſitione ſalutis, eſt in ægritudinibus acutis, mala.*

1. progn. 13. lib. 2. c. 6. 2. 4. t. 1. c. 42.

* Si quæras in quodnam latus iacere ſalubrius ſit? Ne reſponſionem ſeu potius reſponſiones accipias ab Ariſtotele, qui id refert in primis ad legem contrariorum; quoniam vigilantes nempe ad menſam ſupra ſiniſtrum decumbunt; ac proinde oportet dormientes contrarium ſitum habere. Deinde ad motus principium; eſt enim dextra pars quæ mouet; idcirco per ſomnum debet quieſcere. Tertiò ad lucem ad quam magis conuerſi ſunt, cubantes ſupra ſiniſtrum latus, loquitur de tricliniis, & cænaculis, quæ ſuo tempore in hunc modum erant parata. Cæterùm ficulnea ſunt iſta. Veram rationem pete à figurâ ventriculi qui iacet obliquus ore in læuam partem inclinato: quare ſi quis in ſiniſtrum recumbat latus; quicquid in ventriculi capacitate continetur ad os eius decumbit; cúmque illa pars exquiſitiſſimo polleat ſenſu, neceſſe eſt vt moleſtia adueniat, & ſubinde ſomnus impediatur. Hinc obiter addiſces, eos, qui purgans medicamentum

ſect. 6 prob. 5. & 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

eamentum sumpserunt, aut qui facile vomunt à decubitu supra læuum latus arcendos esse. Adde aliam rationem sumptam à corde, cuius sinister ventriculus dignitate dextrum præstat; dexter vero sanguine est plenus, ac propterea, quicumque in sinistrum latus decumbit, ei sinister cordis ventriculus dignior dextri sanguine comprimitur, ex quo facultas vitalis laborat. Auicenna nimis in sanitatis tutela, superstitiosus crebris mutationibus corpus magis molestat, quàm fouet: vult enim vt primus decubitus sit supra dextrum latus; sic cibus ad fundum ventriculi descendit, & melius concoquitur: Post primam autem coctionem fiat reuersio ad sinistrum, vt & iecur ita ventriculo meliùs incumbens potentiùs calefaciat, & alimentum velut ea quæ ad ignem assantur, omni ex parte æqualiter concoquatur. Tandem matutino tempore iterum ad dextrum latus patiens conuertatur, vt facilis fiat alimenti descensus ad intestina.

Appendix Tertia.

Procliuis decubitus, quo æger delabitur in pedes, quàm supinus deterior ab Hippocrate censetur: parum enim à mortuo differt ille, qui è lecto in pedes declinans decidit: quippe grauitatem, sicut cadauer, aut lapis, sequitur, neque vlla adest facultas à qua sustineatur: propterea Galenus ab Hippocrate edoctus, sic ait; *Viuentium autem more iacere non posse, sed corporis mortui instar, ad pedes ruere malorum est nouissimum.*

1. prog. 15. lib. de rig. trem. & palp. c. 4.

Appendix Quarta.

Inquietudinem etiam & delirium, significat voluntas sedendi in morbi vigore: Idcirco Hippocrates; *Residere velle*, ait, *morbo vigente, in omnibus acutis malum, pessimum vero in pulmonia.* In primis inquietudo significatur: cum enim in morbi vigore æger cubare, & quiescere desideret, quia tunc præ cæteris facultatibus, vt Galenus, ait facultas naturalis laborat, si delirij notæ non adsint, profectò inquietatio adest. Sed dices significari etiam respirandi difficultatem: ita est, at respirandi difficultas anxietas est, aut saltem anxietatem inducit. Delirium verò significare quis negabit? quippe erigere se velle ægrum, quando quiete opus habet, delirantis, & sibi sanitatique suæ non consulentis est.

1. prog. 20.

2. aph. 19.

Annotatio.

Cur dixit: *Peßimum in pulmonia*? Non-ne in aliis deterius videtur? Hoc quidem difficile intellectu est: nam peripneumoniam ſemper difficultas reſpirandi comitatur, ſymptoma verò quod perpetuo adeſt minus malum eſt, quam illud quod ſuperuenit. Aliqui reſpondent non eſſe mentem Hippocratis in peripneumonia peſſimum ſignum haberi difficilem reſpirationem, ſed peſſimum in aliis morbis, in peripneumonia verò malum. Ita ſentire videtur Galenus; hanc tamen expoſitionem verba Hippocratis non tolerant. Dicunt alij difficilem reſpirationem in acutis ſignificare, aut delirium ſi ſit per conſenſum, aut phrenitidem ſi per eſſentiam, aut etiam inquietudinem, quorum nullum eſt omnium malorum grauiſſimum. Si verò ſignificet magnum incendium, tunc grauiſſimum malum eſſe. Propterea in acutis morbis, non ſemper erit peſſimum ſignum, quia non ſemper ſignificat incendium: in peripneumoniâ ſemper eſt ſignum peſſimum: quoniam ſemper eſt incendij ſignum. Hæc interpretatio, quamuis poſſit tolerari non videtur eſſe ad mentem Hippocratis qui *In acutis malum* dixit, quaſi ſemper malum, nunquam vero peſſimum, niſi in peripneumoniâ.

1.prog 23. Melius videtur dicendum peripneumoniam, vt ex Galeno colligitur, eſſe morbum non totâ ſpecie lethalem, ſed magnitudine tantùm; quapropter quæ huius morbi magnitudinem indicant pernicioſa cenſenda ſunt, & ex horum numero eſt hoc accidens, videlicet erigere ſe velle in lecto ad reſpirandum. Porrò æger ad tantam viarum arctationem poteſt peruenire, vt reſpiratione penitùs impeditâ, ſuffocetur. Hinc præſentem ſententiam ſic explicato: In aliis à peripneumoniâ acutis morbis erigit ſe æger, vel propter anxietudinem, vel propter delirium; At peripneumoniacus, qui priùs in lecto cubabat, ſi poſteà accubitum non toleret, & non niſi erectus (& ſic etiam difficulter) poteſt reſpirandi munere fungi, in magno ſuffocationis & vltimæ expirationis periculo verſatur.

Appendix

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Appendix Quinta.

Est prætetea alius motus tonicus vitiosus nempe *Oris* hiatus.* Quare Hippocrates, *Hiantem dormire malum* dixit. Sed cur *dormire* ** dixit? Non-ne etiam vigilantibus talis figura, malum significat? Imò peius & propterea crediderim ab Hippocrate de hiatu qui fit in somno, duntaxat mentionem factam, quasi insinuet si dormientibus quibus se componendi potestas non adest, hæc figura est prauum signum; vigilantibus qui possunt figuras quascumque velint eligere, deterius erit. Est autem eadem ratio in oris hiatu atque ea, quam diximus in supino decubitu: nempe decubitum illum esse in quo membra minùs laborant, & ideo significare debilitatem ob quam æger cogitur illum situm eligere, qui minores postulat vires, sic oris hiatus (si mediocrem *** intelligas) est ille in quo tàm musculi claudentes, quàm apperientes, minùs defatigantur: exemplo tibi sint sani: *Neque enim*, inquit Galenus, *sic aperto ore dormiunt, nisi ebrij, & fatigati, qui profundo quodam somno occupati, quasi mortui iacent.*

1. prog. 17.

2. demot. musc. c. 4.

* Oris hiatum considera non valde exiguum: hoc est, minorem, quàm modicum; nam si valdè exiguus sit, bonus est: quippe meliùs censetur aliquantulum hiante ore dormire, quàm clauso. Nam sic frigido aëri ad attemperandum cordis calorem ingredienti, & expulsioni fuliginum aditus patet. Non laudo magnam apertionem, ne confertim ingruens aër frigidus, pulmones offendat; nolo tamen vt os omnino sit clausum præcipuè in febribus.

** Dices fortasse in dormientibus non rectè sumi signum imbecillæ facultatis animalis; siquidem per somnum hæc facultas otiatur. Scito tamen dormientes (vt Galenus annotauit) non omnes penitus musculos otiosos habere: Constat, hoc inprimis quia dormientes respiramus, plurimi etiam sedentes dormiunt, qui autem sedent musculos in operatione habent: Hoc patet quia cadauer, nec stare, nec sedere potest; multi præterea dormientes ambulant, quod contigit Galeno, qui stadium transiit dormiens, & dum ad lapidem offendit fuit experge factus.

2. demot. muscul. c. 4.

2. demot. muscul. c. 4.

*** Modico oris hiatu musculi, tam claudentes quàm apperientes maxillas, ferè non operantur: hæc enim figura est quam cum aliquis maxillam luxatam habet, Hippocrates iubet seruari, dicens, *Præcipere vt laxam habeat maxillam*; ac si diceret ab omni functione solutàm: quia luxatæ omnes partes, & contritæ, in figuris dolore carentibus sunt constituendæ

2. de artic. tex. 16.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

dæ, & qualis in brachio *angularis* est figura, talis in maxillâ modicus hiatus. Hæc est media inter extremas quas *hyperbolicas* Hippocrates appellat & medias: Est itaque, *In medio inter extremas & mediam*, sic statuente Gal. Nam media adhuc est aliquantulum laboriosa sed quæ infra medium consistit, hæc omnium est tutissima, & laudatissima.

2.motu musc.c.4.

Appendix Sexta.

Ad modicum hiatum, adde hiatum immodicum: quippe hic etiam, sed alia ratione, perniciosus est. Nec solùm extrema apertio, sed extrema etiam clausio; * etenim quemadmodum os ad libitum & claudere, & aperire posse optimum est: significat enim tum musculos, qui in mento, & collo sunt inseruientes externæ apertioni, tum masticatorios, qui à capite descendunt & inseruiunt clausioni rectè se habere. Eodem modo inuita clausio, & inuoluntaria apertio possunt conuulsionem, ** aut resolutionem eorumdem significare.

2.mot. musc. cap.4.

* *Extrema inferioris maxillæ figura sunt*; (inquit Gal.) *tum quæ maximè hiantibus fit; tum quæ dentibus inuicem firmantibus contingit; quarum illa quidem à musculis, qui in mento & collo sunt deorsum trahentibus; altera ab iis qui intra maxillam ex palato oriuntur, & iis qui temporales vocantur, perficitur, nisi forte & musculi masticatorij vocati, qui sunt ad latera inferioris maxillæ, adiuuant actionem.* Cæterùm extremæ istæ figuræ non fiunt à causis externis: quippe somnus, ebrietas, defatigatio, perducunt hominem ad quærendam omnem figuram, in quâ magis quiescat, qualis est, vt dixi, figura media, & subinde *Modicus hiatus*, qui propterea est prauum signum; quia quæritur à facultate debili à laboriosis actionibus cessare volente. Quod si Galenus aliquando etiam videatur hanc mediam figuram aliter damnare, nempe quia aliter vires debiles agere non possunt: Ait enim, *Et quidem quod potentiâ existente imbecilli, non possunt exquisitè oculos claudere, sed neque os, vnde hiantes dormiunt*, hoc gratis est dictum; nam isti si admoneantur, os claudunt; quare manifestum est hiare non quia os claudere nequeunt, sed quia modice apertioni vtpotè non laboliosæ inclinant. Extrema autem siue clausio, siue apertio laboriosa est, ideò non fit dormientibus, vt illa altera, dicente Galeno, *Non tamen in extremis figuris vllam particulam quiuis potest habere dum dormit: Valida enim & vehementer intensa actione musculorum ad huiusmodi indigemus.* Duo igitur habent extremæ figuræ, quæ modica non habet; vnum quod cum labore fiunt; alterum quod neque admoniti ægri ab ea figurâ queant immutari: hæc vltima potest quidem euenire propter abscessum illius partis atque ita (licet semper ratione

6.aph.52.

2.mot. musc. cap.4.

loci

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

loci prauum ſit ſymptoma) nihilominùs non habet eam deſperatam prauitatem quam habet, ſi neruorum origo ſit affecta.

** Poteſt oris hiatus & à paralyſi, & à conuulſione fieri, non aliter quàm oris tortura, quæ etſi conuulſio canina à Barbaris dicatur; nihilominùs & conuulſionis, & paralyſeos eſt ſoboles. Et quemadmodum in oris torturà, ſi fiat à conuulſione, pars quæ ratrahitur eſt affecta; ſi à paralyſi eadem eſt ſana, contraria vero laborat: Sic in hiatu, ſi propter paralyſim fiat, nerui claudentes culpam habere dicuntur; ſi propter conuulſionem, aperientes. Vt hoc intelligas, conſidera vt plurimum Naturam muſculis vtrimque ſibi reſpondentibus operari: cum enim muſculi (vt Gal. eſt Author) non niſi retrahendo ſe ad ſuum principium, agant; neceſſe eſt, vt vnâ ex parte, ſit qui retractione claudat; ex alterâ, qui eodem motu aperiat: Sic manum externi aperiunt: retractione interni claudunt. Solus ſphyncter in ano & veſicâ, non habet muſculum ſibi oppoſitum; proinde retentio fęcum & vrina, quæ fit clauſione, hoc eſt, retractione muſculi eſt operatio; expulſio autem eſt ceſſatio ab actione.

Itaque ſi muſculus ex vnâ parte reſoluatur, oppoſitus trahit: Propterea facies muſculis vtrimque pariter diſpoſitis, veluti habenis in ſuo ſitu permanet; ſi alter eorum paralyſim patiatur, alter retrahit ſine contrarij oppoſitione. Et in apertione oris, ſi muſculus claudens reſoluatur, aperiens ſuo munere fungitur; nec ex aduersà parte impeditur. Hæc eſt cauſa, cur in paralyſi; Oris hiatus debetur vitio muſculorum claudentium; & tortura oris fit propter reſolutionem muſculorum, qui ſunt in parte relaxatâ.

At verò in conuulſione, res omnino contrario modo ſe habet; quippe vt Galenus eſt Author, conuulſio eſt affectio, in quâ muſculi retrahuntur ad ſua principia; ita vt ſolùm hic motus à voluntario differat, quod præter voluntatem noſtram fit. Quare in oris torturâ, ſi à conuulſione fiat, pars retracta, eſt affecta; ſimiliter in Oris hiatu à conuulſione, aperientes muſculi retracti cõuulſique ſunt. Facile tamen erit cognoſcere an hiatus ab hâc an ab illâ fiat cauſâ: quippe in eâ, quę fit, à reſolutione; maxilla manu adduci poteſt; & dolor, imò ſenſus omnis abeſt: in aliâ quæ fit à conuulſione; vix magna vi poteris maxillam claudere: Eſt præterea intolerabilis dolor; omnis enim figura hyperbolica, dummodo ſenſus adſit dolorifica eſt, adeò membra luxata in eo ſitu collocari iubet Hippocrates, in quo ſine dolore tractari queat; talis eſt ſitus medius, vt modicus oris hiatus, qui talis eſt, qualis angularis figura in brachio.

3. de loc. aff. c. 6. lib. de trem rigor. cap. 6. 2. de cauſ. ſympt. cap. 2. 5. de fract. cõ. 42. 6. aph. 39.

2. de artic. tex. 15.

Annotatio.

Dubitabit aliquis, cum conuulſio quæ ex repletione fit, ex humido neruum occupante fiat, cumque paralyſis eandem habeat cauſam; cur idem humor in eadem parte, modò reſolutionem, modò conuulſionem efficiat? quippe conuulſio, & reſolutio ſpecie diſtant; hæc námque eſt motus ablatus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tus, illa deprauatus. Respondeo inprimis in paralysi magis nerui medullam, quæ quodammodo spongiosa est, occupari; in conuulsione membranosam nerui substantiam. Prætereà in paralysi, neruos obstrui, non dilatari; in conuulsione verò dilatari in latitudinem, adeò vt secundum longitudinem decurtentur. Est tamen adhuc quod obiicias; nempe obstructionem fieri à minore quantitate, quæ licet meatus occupet, non dilatat; conuulsionem à maiore, quæ non solùm imbuit, & emollit nerui substantiam, sed eam dilatat in latitudinem; ac propterea ex paralysi auctâ, fiat conuulsio, & ex motu deperdito fiet deprauatus, quod neque rationi consonat, nec experimento: nemo enim vnquam vidit ex paralysi fieri conuulsionem. At hæc dubitatio facile soluitur, si aduertas humoré viscosum, cum primùm partem occupat, eique impingitur, non ampliùs posse ibi augeri: siquidem cum illo alius non permiscetur; sed denuò adueniens, ab eodem sistitur. Idcircò pars semel resoluta non amplius conuellitur.

Præsagium ex conuulsione.

Rectus doctrinæ ordo postulat vt iis quæ dicta sunt annectamus prognostica sumpta ex spasmo, seu conuulsione. * Offert se statim Aphorismus Hippocratis: *Melius febrem conuulsioni superuenire, quàm febri conuulsionem.* Huius sententiæ duæ sunt partes, quemadmodum duæ sunt conuulsionis causæ ab eodem traditæ: quippe *conuulsio fit vel ex repletione, vel ex inanitione.* ** Conuulsio quæ febrem antecedit melior habetur, hoc est, minùs praua: quia, vt plurimum fit ex repletione; quæ verò febrem subsequitur est deterior: quia nempe ex inanitione, propter febrem exsiccantem, accidit. Si quæras cur ex inanitione maius periculũ adueniat, quàm ex repletione? Galenus respondet in hunc modum. *In conuulsione ex repletione nerui replentur à frigidis, & glutinosis humoribus, ex quibus etiã nutriuntur; vnde conuulsionem patiuntur. Hisce igitur febris superueniens solita est, ex magnâ parte calefacere, extenuare atque dissoluere. Si vero ex febribus adurentibus totum corpus exsiccetur; & neruis deinde ex siccitate conuulsio accidat, hoc maximum est malum, & penè insanabile: quoniam longum tempus exigitur ad siccitatem* *** *remouendam; sed morbi acuties tempus non expectat, quin citò vires dissoluit, & subitò exitium affert.* Si rursus quæras quo indicio cognosci possit, nùm ex repletione, an ex inanitione aliqua conuulsio sit facta? Galenus optimè Hippocraticâ doctrinâ instructus ex repentinâ euacuatione signum accipit

5. aph. 26.

6. aph. 39.

pit: conuulsio sine febre, videlicet ex repletione, derepente contingit, quæcumque enim à siccitate fiunt, paulatim fiunt. Paulus Ægineta aliud signum adiungit, inquiens; *Cum igitur ab initio, aut non longè post initium morbi; exorsæ fieri conuulsiones permanent, ex repletione generationem habent.* Vbi duo expostulat, scilicet vt conuulsio fiat in morbi principio, & sit permanens & merito: nam si nihil præcessit, à quo euacuatum esse corpus appareat, non possumus colligere ab inanitione aut siccitate, hanc conuulsionem esse: quod si non præcedat causa euacuans, & fiat conuulsio, tunc à vaporosâ materiâ fiet, quæ consistentiam non habens citò finietur. Vnde ex duratione, argumentum sumimus, humorum neruos replentium quantitatem adesse.

lib.3.c.19.

* Multum profectò refert, num spasmus, an spasma dicatur: siquidem spasma est morbus, quo partes, citra incisionem, continui solutionem patiuntur; Sic Galenus non semel: Spasmus autem Græcis est symptoma pertinens ad læsam actionem, quod Latinè dicitur conuulsio. Quamuis autem Galenus aliquando conuulsionem dixit esse, quando musculorum filamenta similiter tensa rumpuntur. Quod dictum Valleriola excusare conatur, dicens ad veræ conuulsionis naturam constituendam sufficere, si nerui ad suam originem contrahantur, nihilominùs non esse inconueniens, aliquando præ affectus magnitudine interdum filamenta, nerueasque partes rumpi. Hoc fortasse est ad mentem Galeni, agit enim de continuum soluentibus, & sic ait; *Ossis, nerui, venæ, arteriæ, & carnis continuationem soluunt, corrumpúntque punctura, erosio, dissectio, conuulsio, & ruptura.* Sic ille, qui conuulsionem dixit continuum soluere; non quod semper id faciat, sed quod id aliquando possit facere. Verùm quoniam cum eo conuulsio accesserit, vt continuum soluat, iam conuulsioni, quæ symptoma est, superuenit continui solutio, quæ est morbus; & hæc solutio continui non fit à causâ incidente; Profectò tunc dicendum est, vltra spasmum adesse spasma, hoc est, vltra conuulsionem, solutionem continui. Itaque rectè Galenus ait conuulsionem esse causam solutionis continui, sed non rectè addit inferiùs, conuulsionem esse quando filamenta rumpuntur: Est quidem conuulsio, seu spasmus causa rupturæ; at ruptura ipsa non est spasmus, sed spasma; quare cum Massariâ inducor vt credam, omnem culpam coniiciendam esse in latinos interpretes, qui vtramque vocem spasmum, & spasma conuulsionis nomine explicarunt. Debuissent quidem sicut distinctæ sunt res, (vti diximus) distincta vocabula inuenire.

2.met.c.2.& 3.musc.c.1.

lib.de const. art med.c.6. & de diff. morb.c.11.3. met.c.16. & alibi.

Cum autem conuulsio sit symptoma læsæ actionis, dubium est, an referatur ad actionem deprauatam, an ad ablatam, in quo maximè Autores dissentiunt: Qui ablatam dicunt; considerant membrum conuulsum im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

mobile permanere, ac proinde sine actione? Qui tenent esse deprauatam, respiciunt conuulsæ partis situm, qui cum sit præter naturam non nisi deprauatæ actionis est soboles: *Fingamus*,(inquit Gal.) *manum sursum tensam esse, & deinde in hâc figurâ seruari: Pòst interrogemus iterum nos ipsos, cur iam non deorsum feratur grauitate vergens, ac deinde respondeamus quod musculorum eleuantium ipsam tensio permanet: Priùs igitur quam hæc exoluatur perfectè non est possibile manum transmoueri; cessantibus tamen à tensione, si nullus alius musculus tendatur, sed omnes quiescant, quò grauitas eam ducit eò feretur. Si autem alias aliquis musculus tensus fuerit, quò ille trahet, illuc mouebitur. Manifestum igitur, quod dum manus tensa seruatur, tensio musculorũ qui eam in eo constituerunt conseruatur. Nunquid igitur dicendum est, eos agere quidem & tendi, sed non moueri. Atqui si hoc verebimur dicere, non agere quidem eos dicendum: absurdum enim est fateri eos agere secundum innatam, & maximè propriam actionem; moueri autem eos negare.* Sic Galenus, cuius authoritate conuincitur error Carrerij, qui existimat conuulsionem esse quidem deprauatam actionem, non tamen motum deprauatum. Nam quæro ab eo, quodnam instrumentum est læsum? Respondere tenetur instrumentum motus nempe neruum, aut musculum. Rursus interrogo, læso instrumento motus quænam actio læditur. Certè nisi cæcus esset, videret actionem illam quam deprauatam esse fatetur, nullam aliam esse nisi motum. Confugit ille ad facultatem atque ait Galenum non dixisse, conuulsionem esse symptoma deprauatæ facultatis, sed deprauatæ actionis. Sed debuerat considerare omnia symptomata in deprauata, aut diminuta, aut ablata actione, non verò facultate, reponi.

1. de motu musc. c. 7.

Carr. de loc. aff. disp. 20. cap. 2.

Cæterum conuulsionem, deprauatum esse motum colligitur in primis, ex Galeno; qui inter motus illegitimos conuulsionem collocat; & alibi, conuulsionem cum aliis affectibus permiscens, ait. *Omnes etiam huiusmodi affectus vitiati motus sunt instrumentorum eorumdem, quibus arbitrarij sanorum motus obeuntur.* Quidam Pereda, Paschalij scholiastes, conuulsionem fientem motum deprauatum esse ait, factam autem motum ablatum: Fientem appellat, quam Rudius, & Cappiuaccius spuriam dicunt; Galenus longè melius motus conuulsiuos esse ait. Cæterùm non hanc fientem, sed iam factam, & stabilem, motum deprauatum esse, colliges ex Galeno; dum inter motus deprauatos conuulsiuum collocãs, adiungit: *Horum symptomatum aliqua vbi in toto corpore constiterint diuersam appellationem sunt sortita, veluti Emprosthotonus, Opistotonus, & Tetanus*: Hæc ille. Si ergo *Emprosthotonus*, quo caput antrorsum vergit; *Opisthotonus*, quo retro; *Tetanus*, quo rectum conseruatur, pro exemplo vitiosi motus adducit, manifestum est, eum factam stabilémque conuulsionem, vitiosum motum appellasse: quippe hæ tres conuulsiones & sunt totius; & sunt sine concussione, sed potiùs collo rigido permanente.

2. caus. symp. c. 1. de trem. rig. c. 2.

de diff. symp. cap. 3.

Difficultas tamen non parua est, quia musculus cõuulsus cessat à motu; ac proinde magis videtur ablatus motus, quàm deprauatus; quod autẽ cesset à motu, constat quia est in termino motus, mobile autem in termino quiescit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

eſcit; eſt itaque de ratione motus, vt mobile aliter ſe habeat in fine, quam in principio permanens autem membrum conuulſum ſemper eodem modo ſe habet. At iam ſuperiùs diximus ex Hippocrate ſtare, & ſedere, opponi quieti: Stans, & ſedens, ſimiliter etiam brachium erectum, non quieſcunt; quia non ſunt in otio; non eſſe autem in otio patet, quia muſculi ſunt contracti, muſculorum autem actio contractio eſt ad ſuum principium: ſi igitur agunt & eorum actio non eſt alia, quam motus; quis negabit, ibi eſſe motum? Nec verò dici poteſt, membrum conuulſum eſſe in termino: quippe poteſt vlteriùs contrahi ex arbitrio, poteſt rurſus extendi vſque ad eam figuram, quam ratione conuulſionis acquiſiuit, & hinc patet) vt obiter hoc dicam) deceptum fuiſſe Ludouicum Mercatum, qui exiſtimauit in membro conuulſo, non adeſſe facultatem, adeſt quidem, & agit id, ad quod agendum, non eſt ratione inſtrumenti impedita. Tandem mobile aliter ſe habere in fine ac in principio, conditio eſt, quæ non comprehendit tonicum motum, ad quem referendus eſt iſte, quem in conuulſione admittimus. Sed de his diffuſius in diſceptationibus.

** Quamuis Hippocrates in Aphoriſmis duas conuulſionis cauſas, *Repletionem, & Inanitionem* commemorauit, non propterea plures dari poſſe negauit. Has duas Galenus exemplis declarat. Comparat aliquando conuulſos neruos, fidibus chythararum: quippe *Cum quiſpiam ſonare vult, cythara chordas tendit; cum verò lyram dimittit, eaſdem relaxat: rumpuntur enim in immoderatis aëris tum humiditatibus, tum ſiccitatibus.* Alibi etiam ſumpto ſimiliter à corrigiis exemplo vtitur; *Etenim conuelli, cunctis corrigiis exſiccatis commune eſt; proprium verò vnicuique in corpore parti eſt, illò verti, & conuelli potius, vbi innexorum ei neruorum initium.*

6. aph. 39.

2. loc. aff. c. 7. & de trem. rigor. c. 8. 1. progn. 7.

Hæc exempla ſiue has comparationes, Argenterius, ne à ſolito Galenum obiurgandi inſtituto diſcedat, non admittit. Nam non illi par videtur eſſe ratio, de chordis cythararum & neruis: quippe chordæ iam ſuapte naturâ exſiccatæ, & nequaquam munitæ ab aliis partibus, nec attractrice facultate, cuius ope humectari poſſunt, prædıtæ, à calore, & ſiccitate contrahi poſſunt. At nerui, cum venas & arterias habeant vicinas, à quibus trahere poſſunt, ob ſuam duritiem, & partium vicinarum munimentum, & denique vndequaque tegantur, & humectentur conuulſiuam ſiccitatem experiri non poſſunt: mors enim ſemper anteuertit ex humoris contenti in ſuis vaſis defectu. Adiungit etiam coria, & cythararum chordas, & ſimilia ſi ad ignem contrahantur nullo pacto ampliùs flecti, & erigi poſſunt. At ſiquis neruum tabidi, aut alterius, qui ex conuulſione mortuus dicatur, manibus tractare velit, inueniet illum in omnem figuram eſſe ſequacem: quoniam humorem eum habet, quo partes terrenæ ſuam coniunctionem ſeruant.

Vtraque hæc ratio ficulnea eſt: nam quod ad primam attinet. Non negaret Argenterius poſſe aliquod membrum citra conuulſionem, morbum à ſiccitate pati. Hic morbus ſanatu difficilis erit, vt infra oſtendam, & ta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

men pars laborans ſiccitate,partes alias vicinas habet,à quibus trahat.Igitur veriſſimum eſt rem omnem exſiccatam in ſuis meatibus conniuere, & decurtari. Quod ſi vicinæ ſunt partes humidæ ; hæ ſuam ſibi retinent humiditatem ; neque plus valet attractio neruorum , quàm retentio vicinarum partium.

Quod ſpectat ad alteram : Coria & cythararum chordæ eum habent humorem, quo partes terrenæ ſuam coniunctionem , continuitatémque ſeruant,non igitur rectè Argenterius membra conuulſa reduci poſſe probat, ex eo quod habent humiditatem.

Non patitur ille conuulſionem à ſiccitate fieri vt autem impudentiæ crimen effugiat , ductus fortaſſe Pythagoræ conſilio (*contra ſolem ne loquitor*) ſe contra Hippocratem non loqui profitetur , ſed cum Galeno vult agere : quippe Hippocrates (ait ille) non dixit conuulſionem fieri ab inanitione, ſed quod inanitio pariat conuulſionem , hoc vero admittit : ſiquidem inanitione acres redduntur humores, maligni flatus generantur , & alia talia oriuntur , ex quibus conuulſiones (præſertim quæ fiunt per conſenſum) excitari poſſunt. Verùm quemadmodum alias damnandus eſt, quod irreuerenter cum Galeno communi magiſtro ſæpe ex profecto ſe gerit; ita nunc irridendus ob ſimulatam in Hippocratem obſeruantiam : etenim ne magno viro contradicere videatur, eum quo vult inuitum trahere conatur. Nam Hippocratis verba explicationem iſtam non tolerant.Sententia eſt ſummi dictatoris : *Conuulſio ex repletione , aut vacuatione oritur.* Cur ergo tergiuerſator ait , eum non dixiſſe conuulſionem fieri ab inanitione ?

Galenum nec defendi , nec excuſari poſſe inquit, qui immediatam conuulſionis cauſam ponit euacuationem. Quod ille non admittit. Nam ad conuulſionem non ſufficit qualiſcumque humoris conſumptio,ſed neceſſarium eſt eum abſumi,quo neruus conſtat & terrenæ illius partes glutinantur , ſed antequam iſta fiat abſumptio , peribit animal. At ô Argenteri, vndenam perſuadebis tantam neceſſariam eſſe exſiccationem vt neruus conuellatur ? nunquid expectabimus vt pars in cineres conuertatur ? Certè ridiculum eſt : nam nec cythara,nec corrigia vt contrahantur tantam expoſtulant ſiccitatem. Minorem verò ſiccitatam neruo adeſſe quid prohibet ? Nonne datur vehemens inflammatio ? cur ſimiliter non dabitur vehemens exſiccatio ? Nempe (ait ille) quia partes vicinæ humiditatem in auxilium mittent. At ſic nunquam dabitur morbus à ſiccitate , quod falſum eſſe quis ignorat ? Nonne tabidi,& hectica febre laborantes morbum in ſiccitate patiuntur ?

Inſurgit ille , & interrogat. Cur iſti tabidi & qui ad extremam ſiccitatem perueniunt non conuelluntur ? Præuidit hoc dubium Arculanus , qui multo prior Argenterio fuit, & reſponſionem attulit non contemnendam. Nempe in hecticâ ſiccitatem eſſe vniformem , &fere æqualem per totam nerui ſubſtantiam , ex eo quod inducta eſt paulatim ; illa verò quæ facit ſpaſmum , non e ſtvniformis per totum , nec æqualis in toto neruo, ex eo

Arcul. 9. ad Almanſ. cap.12.

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

quod ab agente violento, in paruo tempore inducta est, vnde magis exsiccatur vna pars nerui, quam altera: fit ergo contractio, & applicatio in parte minùs exsiccata, sicut in corio proiecto super prunas, fit contractio vnâ parte magis contractâ quam altera; vbi si in sole, aut loco calido diu stetisset, & multum fuisset exsiccatum, non fuisset contractum: sicut lateres cum coquuntur in fornace, ab igne dulci non torquentur, sed ab igne nimis forti contorquentur. Huic Arculani responsioni possumus alteram non incongruam adiicere. Cùm æquè, sensimque exhauritur humiditas, inanitæ ingressu aëris partes occupantur, & implentur: propterea nulla necessitas cogit ad partium violentam vnionem: Vbi verò inæqualiter, & dispersè exhauritur, sufficiuntur concursu partium loca; atque ita conuulsio dicetur esse *Partium concursus propter fugam vacui in ingente, deformique nerui ariditate.* Ariditas autem, si moderata sit aptum reddit instrumentum motioni; si nimia prorsus ineptum, vnde Galenus. *Instrumentum quo aridius est, eo magis est aptum ad arbitrarium motum, nisi eo magnitudinis siccitas accedat, vt flecti membrum vix queat præ duritie; quo tempore conuulsione sicca capi promptum est.* Cæterùm relicto Argenterio, & quolibet alio qui eius assecla fieri voluit; magis adhærendum est Galeno qui non sua duntaxat, sed Hippocratis authoritate fretus, conuulsionem ex repletione, & inanitione agnoscit. Vnum tamen inter Hippocratem, & Galenum discrimen inuenio: quod Hippocrates) vt initio dixi) duas istas causas afferens, alias non negauit: Propterea non sibi contradicit, quando alibi aliam affert causam præter has: quippe mederi iubet cerato quod picem habeat, paucis pannis vino madentibus non valde frigidis, *Quandoquidem frigus in his neruosorum distentionem concitat.* Quo in loco euidentissimum esse (Galenus ait) frigus distentiones facere, siquidem neruosæ partes, vtpotè exangues facilè à frigore læduntur; læsio autem earum distensio est. Itaque non est culpandus quia duas causas in Aphorismis proponens, tertiam non negauit. Galenus verò excusari nequit, qui tertiam causam præter repletionem, & inanitionem se nunquam inuenisse testatur, & tamen * alibi quatuor conuulsionis causas recenset. Nempe *siccitatem*, (hæc eadem est cum inanitione:) *humiditatem*, (& hæc ad repletionem refertur) *humorem mordentem* (hæc est, quam Auic. vocat non proportionatam ad materiam) *frigiditatem rigentem*, *quæ tale quidpiam quale gelu efficit.* Alibi etiam frigidum conuulsiones facere aptum esse dixit. Laborant multi in reducendis his quatuor ad duas illas ab Hippocrate in Aphor. A'latas. Videlicet frigus ad repletionem reducunt: quippe frigus difficilem efficiens transpirationem est causa cur nerui repleantur, vt est opinio Galeni, vel etiam quia frigus expressionem præstat humorum in genus neruosum. Auicenna tamen frigiditatem ad siccitatem reducit, inquiens: *Est spasmus cum siccitate factus, qui est cum specie congelationis humiditatis, & minoratur eius quantitas, & inspissatur vehementer; quare membrum spasmatur sicut accidit ex vehementia frigoris, & sicut accidit ei qui bibit medicinas narcoticas vt opium.* Coltæus in Auicennam

3. de caus. sympt. c. 3.

5. loc. aff. c. 6. de trem. rig. c. 2. & c. vlt.

4. de artic. tex. 21.

8. de comp. med. secund. loc. c.....

* 12. meth. c. vlt.

2. 3. tr. 1. c. 5.

5. aph. 22.

6. aph 13.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

nam vtrumque fieri posse ait, nempe conuulsionem à frigore, aut fieri per repletionem, aut per inanitionem. Per repletionem quia, cum refrigerantur neruosæ partes, vapores multi ob innati caloris inopiam excitantur, intumescunt illæ, & fit conuulsio ex repletione. Per siccitatem quoniam frigus constringit, constringendo autem exprimit, quare refrigerato neruorum principio, & insequente expressione neruosæ partes familiari humiditate, qua aluntur, tunc quodammodo punguntur, & exprimuntur, & ad motum parantur expressa, Quis ergo neget siccitatis gratia conuelli? Similiter multæ aliæ causæ quæ ex Galeno, & aliis colligi possunt ad inanitionem, & repletionem reduci possunt: ea enim quæ ex morsu venenatorum animalium, aut ex quolibet pungente, & molestante efficitur, ad inanitionem reducitur: quippe excussione inanitur neruus.

Verum cum vnusquisque in hâc re ad libitum loquatur; neque vnicuique apparentes rationes desint, libet etiam mihi propriam sententiam interponere. Existimo frigiditatem neque inaniendo, neque replendo conuulsionem efficere; sed neruosa corpora indurando, vt sic rigida, conuulsâque fiant. Non quia humor concretione minor reddatur, sed quia substantia membri (vt sic dicam) congelata non arbitrio, cedit tamen causæ præter naturam, quæ membrum cogit. Hoc ad Galeni mentem dictum esse constat: quippe reddens causam luctuosi suspirij, fieri ait, *Vel propter facultatem defatigatam, vel propter instrumentorum duritiem*, & paulo infra adiungit. *Nam si frigus vel musculos thoracis apprehenderit, vel neruos, durities quædam instrumentis adueniet, & motus conuulsioni similis.* Sic ille. Si verò hic motus, si durities augeatur, iam non erit conuulsioni similis, sed vera conuulsio: ideo enim suspiria illa luctuosa *Malum esse* dixit Hippocrates. Malum inquam, vt signum. Galenus tamen ibidem (vt obiter hoc dicam) licet admittat ex frigore posse effici duritiem, & subinde motum conuulsiuum; nihilominus sententiam Hippocratis frigiditati accommodari posse negat: siquidem si suspiria luctuosa, & intus reuocatio à frigore fierent, vtique à febre & calidis auxiliis sanarentur. Sed non considerauit non semper conuulsiones, & alia mala à frigore ortâ febre sanari; calida autem auxilia febrienti inopportuna esse.

6. aph. 54.

Sed vt ad rem nostram reuertamur. Galenusmet alibi quatuor præuersionis, seu conuulsionis causas fere aliter assignat. *Inflammationes; duros tumores; siccitates; frigiditates.* Porrò frigiditatem diuersam causam esse ab inanitione, & repletione, nullo melius probari modo potest, quàm ex curationis ratione: neque enim humectantibus, neque exsiccantibus, sanatur, sed calefacientibus.

2. aph. 49.

*** Tres ergo causas conuulsionis diuersas, quæ ad nullas alias reduci possunt, reperies: Repletionem, seu humiditatem, Inanitionem, seu siccitatem; & tertiam, Frigiditatem. Deterior omnium est, quæ per inanitionem fit: faciliùs enim calefit id quod est refrigeratum: siquidem calor efficacissima omnium qualitas suum contrarium facilius superat, quàm quælibet alia; faciliùs etiam curatur peccatum per humiditatem, quam

per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

per ſiccitatem, vt conſtat ex Hippocrate, qui ſic ait. *Similiter etiam morborum in toto corpore: quod enim ſiccius eſt morbos magis recipere, ac magis dolere à naturâ ſolet, humidum verò minus: morbus etenim, qui in ſicco eſt, denſatur, & non ceſſat, qui verò in humido diffluit, & alias aliam corporis partem occupat; & ſemper transmigrans requiem facit, & citiùs quoque ſedatur, vipotè non condenſatus.* de loc. in homin. in principio.

Parergon de morbi ſicci prauitate.

Licet Hippocrates non de morbo ſicco, aut de morbo humido loquatur, ſed membris ſiccis vel humidis quocumque morbo corripiantur; & proptereà dicat morbum, hoc eſt, cauſam morbi, (ſic frequenter accipitur) in ſicco radicari & denſari; in humido, diffluere; vnde morbi in ſicco difficiliores ſunt, in humido autem faciliores: quia ſcilicet diffluunt, hoc eſt, ab humida parte facile diffluit materia, ſiccum vero membrum eam tenaciter tenet. Rurſus in ſicco fiunt continui ſolutiones propter defectum humidi glutinantis, vnde & dolores, in humido non ita. Tamen nos propinquitate ſermonis quæremus vtrum morbus à cauſa ſicca deterior ſit morbo à cauſâ humidâ. lib. de loc. in hom.

Porrò ne per ambages diſtrahamur quocumque modo morbum ſiccum intelligas, quamcumque ſiccitatis ſpeciem accipias, ſemper morbus ſiccus deterior eſt. Dicitur inprimis morbus ſiccus, in quo nihil euacuatur, ſic pleuritides ſiccas, & tuſſes ſiccas, in quibus nihil ſpuitur, appellamus. Si ita accipias, morbus ſiccus deterior eſt. *Formidabiles* appellat in Coacis pluritides ſiccas, & meritò. Neque vero ſiccæ ſunt quibus in principio ſpuitio deſit, ſed in quibus poſt aliquot dies quando iam materia cocta eſſe deberet, nullum adhuc apparet ſputum. Tuſſes aridæ, illud tantum boni habere videntur, quod, vt inquit Hippocrates, *In febribus ardentibus ſitim ſedant*, in reliquis, ſi cauſam reſpicias, prauæ ſunt, cauſas affert Galenus. Fiunt interdũ exaſperatis faucibus, & gutture, interdũ ob inſtrumẽtorũ reſpirationi inſeruientiũ inflammationẽ; aliquando etiã ob lentorẽ, viſcoſitatémve humoris, qui educi per tuſſim poſtulat, vel ob tenuitatẽ humoris aquei à capite defluentis. Sed quid plura? Legito catalogum morborum, quos Hippocrates ſiccos vocat, nullum non prauum reperies. Reperies ſcriptum apud Galenum. In primis ſiue pleuritis, ſiue peripneumonia, ſiue aliud quidpiam quod pulmonem, aſperámve arteriam infeſtet, cùm nihil ex affectis partibus ſpuitur. Morbi deinde iecoris, meſeræi, ventris, ieiuni, aliorúmve inteſtinorum, vel lienis, vbi aluus prorſus cohibita eſt, aut pro neceſſitate excernat tum ſicca, tum dura, & caprarum ſtercori ſimilia excrementa. Tertio ægritudines ſiccæ venarum arteriarúmque quæ dignoſcuntur linguæ ariditate, & totius corporis ſqualloré. Quarto vlcera inflammata, ex quibus nulla effluit ſanies. Quinto ophthalmiæ ſiccæ in quibus nulla excrementa, nullæ lacrymæ, aut pituitotus humor. Tandem cerebri morbi

4. aph. 54. & 6. epid. ſect. 2. tex. 24.

1. epid. ſect. 1. com. 12.

1. acut. c. 8. 12.

morbi ſicci ſunt, in quibus nihil per nares,neque per palatum expurgatur. In his omnibus Non ne prauum quoddam ſignum eſt, nihil, eo ſaltem tempore,quo excerni deberet, excerni.Imo in principio etiam febrium, licet teſte,Galeno, nihil tunc naturæ ratione excernatur,euacuatióque prauum ſit ſignum (moleſtam quippe indicat naturam) nihilominus non poteſt non ratione cauſæ iuuare, quatenus materiam morbificam minuit.Sic igitur ratum firmúmque,morbos ſine euacuatione & ſubinde ſiccos,deteriores eſſe iis qui humidi, hoc eſt,euacuationem præ ſe ferentes ſunt.

4.aph.cō.22.

Accedamus ad morbos ex nudâ intemperie ſiccâ,Non-ne hi immedicabiles, aut difficulter medicabiles ſunt? Siccitates quatuor ſtatuit Galenus iuxta quatuor humiditates nutritioni inſeruientes; Prima ſiccitas eſt cum abſumitur humiditas innominata,quæ in oſculis vaſorum iamiam exitura, vt ex ea nutrimentum fiat, exiſtit; Altera,cum ros abſumitur, ſubſtantia videlicet illa quæ roris modo carnes alitura conſpergit; Tertia, cum conſumatur concretum illud quod proximum eſt, vt in alimentum conuertatur,& appellari propterea ſolet, cambium; Quarta tandem, cum exſiccatur id quod iam partibus adhæret,& gluten appellatur. Ex his ſecunda deterior eſt quàm prima,Tertia quàm ſecunda, Quarta quàm tertia: & licet prior febrem hecticam non efficiat: quippe innominata illa humiditas in oſculis venarum exiſtens, ſanguis adhuc eſt, & humorum calore magis quàm membrorum exhauritur, tres ſequentes tres efficiunt hecticæ febris gradus quorum vltimum non ſiccitatem, ſed incinerationem prorſus appellabo. Quid autem grauius,& pernicioſius euenire poteſt quàm humidi, cui reficiendo ſummopere natura incumbit, & in quo vitæ duratio conſiſtit,abſumptio? Præterea ſiccitas non poteſt niſi humiditatis, quæ ſenſim introducitur, introductione emendari,at multo prius quàm ſiccitas ſit introducta, ſiccitas ad perditionem omnino corpus deducit, neque velocitatem deperditionis, quæ præternaturam fit, poteſt refectionis opus adæquare.

7.meth. c.5. & c.6.

Pergamus ad morbos ſiccos, propter materiam ſicca intemperie præditam,vt ſunt bilioſi,& melancholici omnes.Bilioſi ſemper adiunctum habēt ardorē,anxietates,nauſeas,implaciditates,inappetentias. Melācholici,ſi ex aduſto humore tales dicātur,horrēda profectò comitantur mala,inſanias ſi in mente; cancros,carbones,& praua alia vlcera,ſi in parte;elephantiaſin, ſi in toto. At vero ij qui ex melancholiâ propriè, hoc eſt, frigido, & ſicco oriuntur humore; cùm humor is terræ elemento reſpondeat, coctionem non admittunt; materia autem inconcocta acriſias & quandoque interitum affert, vt eſt Hippocratis Oraculum.

1.epid.ſect. 2.tex.46.

Nec verò mihi dicas ſicut ex Hippocratis ſententia, In temporibus ſiccitates imbribus ſunt ſalubriores;ſic etiam in corporibus. Nec rurſus humiditates putredini eſſe magis obnoxias, magiſque ad obſtruendū paratas. Nam quādo Hippocrates ait,id quod ſiccius eſt magis morbos recipere,dicit magis,non quod frequentiùs;imo frequentiùs humidum morbos recipit, ſed magis,quaſi diuturnius,moleſtius,immedicabilius.In aphoriſmo autem

3.aph.15.

ſalubriores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſalubriores dicuntur ſiccitates, hoc eſt, in quibus pauciores ſunt morbi, non tamen negaret idem morbos ſiccitatum eſſe præcipites: quippe à flauâ & ab atrâ fiunt bile. Sed adhuc inſtabis in fine Aphoriſmi dictos eſſe morbos, qui in ſiccitatibus fiunt, minùs eſſe lethales, quare ex conſequenti minùs prauos; & ratio adminiculari videtur; nam vt ait Muſa, pauciſſima materia in ſiccitatibus fit, quæ etſi acutum morbum pariat, eum tamen citò reſolubilem facit, & qui non ita diu vexat, vt perimat; ſed in humiditatibus multi humores generantur, qui putreſcentes ob ſuam copiam, & quia longas ægritudines pariunt, interficiunt. Hanc ego obiectionem ſic diluo. Fateor cum Galeno in ſiccitatibus pauciora congeri excrementa, ſed hinc quid colliges, niſi pauciores eſſe morbos, & ex minori materia factos; conſule tamen mores ægritudinum in ſiccitatibus vigentium, & reperies eas eſſe prauas; nam cum ſiccitas putredini reſiſtat, ſi nihilominùs in ſiccitate aliquid putreſcat magnam arguit cauſam, ac propterea deteriùs putreſcit, patiénſque pernicioſiùs ægrotat. At multo deterior eſt magnitudo morbi, quæ fit ob cachoetiam, quam illa quæ ex magnitudine cauſæ oritur. Hâc reſponſione extingo ſecundam difficultatem, nam putredini magis eſt obnoxia humiditas; ſed ſiccitas quando putreſcit vtpotè quæ putredini eſt improportionalis. Tertia difficultas nempe humiditates magis eſſe obſtructioni faciendæ paratas. Dic vt humidum habet materiæ obſtructionis magis; ita ſiccum magis anguſtiæ meatuum; atque ita diuerſis rationibus æquiparantur. Imo verò humiditas in humido, niſi valdè viſcoſa ſit, diffluit, vt Hippocrates docet, in ſicco denſatur, & penetrat.

Quod attinet ad dolores, dolent magis corpora ſicca; adeo vt Galenus humectantes dixerit humores nullum penitus dolorem inducere. Cæterùm ne hoc loco de cauſis doloris diſputationem amplam inſtituam, libet pro hypotheſi ſtatuere qualitates non aliter excitare dolorem, quàm continuũ ſoluendo. Poteſt ergo ſiccitas glutinata ſeparare, & continua diſrumpere aſtrictione validâ; humiditas non ſoluit continuum, niſi diſtendendo multitudine ſubſtantiæ, at ſic non vt humiditas continuum ſoluit, ſed vt multa, & vt ſubſtantia, quippe humidum ſine corpore non reperitur. Hoc autem modo etiam ſubſtantia ſicca poterit ſimiliter diſtendere.

2. de compoſ. med. ſecund. loc. c. 1.

Exceptio Prima.

Pueris in febribus conuulſiones non admodum ſunt lethales. Num quia à reſiccatione vehemente non eſt etiam pueris mortifera? Minimè, ſed quia antequam eo ſiccitatis peruenerint moriuntur: quippe diu nimiâ humiditate reſiſtunt. Conuelluntur igitur in febribus, non tamen ob ſummam iſtam ſiccitatem, ſed ob alias cauſas, quarum præcipua eſt mollities

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

neruorum, & debilitas facultatis animalis, quæ in conuulsione hoc est, passione neruosarum partium, patitur. Puerilis ætas teste Galeno tametsi facultatem naturalem, adde & vitalem, robustissimas habet, animalem valde imbecillam; imbecillitas facultatis animalis facit, vt pueri conuulsionibus per febres corripiantur; robur aliarum virtutum confert vt liberentur.

Si quæras cur robur virtutis naturalis atque etiam vitalis confert ad conuulsionis curationem, & non confert multo meliùs ad præseruationem? Respondebo, debilitatem neruorum in causâ esse, vt conuulsio sit pueris morbus proportionalis; hæc autem est proportionalium conditio, vt facilè & ex paruâ causa aduenîant, ac proinde facilè soluantur, (cum dico conuulsiones esse pueris proportionales nondum determino quænam sint istæ, num à siccitate, an ab humiditate; de hoc postea:) Deinde ad facilem lapsum concurrunt duo; virtus animalis debilis, (hæc est quæ in conuulsione patitur) & causa morbifica quæ agit & nisi essent vitalis naturalisque facultates robustæ, ac subinde ad resistendum paratæ, misellus puer succumberet, imo interdum succumbit vincente malo. Itaque agens forte, hoc est, causa morbifica; patiens debile, hoc est, animalis facultas, faciunt vt morbus præsto introducatur, introductus autem reperit naturalem vitalemque vehementes, cum quibus pugnat, & hæ resistendo ad facilem solutionem valdè conferunt.

Non sic aduenit maioribus natu, videlicet, *Post septennium.* Hi quia facultatem animalem, eiusque instrumenta habent fortiora, rariùs conuelluntur, & ex necessariâ sequelâ, malum difficilius ferunt: quppe iam his conuulsio minùs est proportionalis, & vt ait sapientissimus senex, *In mobis minus periclitantur ij, quorum naturæ, aut temperamento, aut ætati magis conuenit morbus, quàm quibus non.* Fortassis alicui hic Aphorismus non videtur, ad præsententem rem conferre: quippe debilitas, aut robur non sunt temperamentum, aut ætas, aut natura; sed decipitur, nam vires in primis ad temperamentum sequuntur, nec aliud est partem esse debilem quam eandem esse intemperatam iuxta Galeni doctrinam: Deinde ætas vnaquæque suas habet consectaneas vires: Rursum si naturæ communissimo

2. aph. 38.

Nota

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

nissimo significato facultatem intelligimus, quare hanc debilem, aut robustam hic etiam consideramus. Communiter etiam calidum innatum naturę nomine designamus; hoc ob robur, aut imbecillitatem virium summoperè conferre quis non videt.

Sit itaque ex his constans firmumque Prognosticum ab Hippocrate semel in coacis inculcatum: *conuulsio in febre lethalis, minimè vero pueris: Seniores annis septem in febre non corripiuntur conuulsione, alioqui lethale est.* Iterum & magis dilucidè in Prognosticis, in hunc modum. *Pueris autem conuulsiones accidunt, si febris acuta fuerit, nec aluus deiiciat, ac vigiles paueant, lugeant, colorem mutent, & viridem, aut liuidum, aut rubidum trahunt. Hæc igitur nuperrimè editis pueris, promptißimè accidunt, ad septimum vsque annum. Adultiores verò pueri, viríque non item in febribus prehenduntur conuulsionibus; nisi aliquod indicium extitit validißimum, ac deterrimum; qualia per phrenitidem accidunt.*

3. aprog. 34.

Nota

Libet tamen huius Prognostici verba seorsim enucleare, *Pueris*, ante septennium: isti enim & cum humidissimum cerebrum & cerea habeant ossa, multo magis cereos habent neruos; *conuulsiones accidunt*, quæ sunt neruosarum partium affectus: cum igitur neruosas partes in pueris statuimus consectaneas earumdem affectiones agnoscimus.

Si febris acuta fuerit. Num propterea conuulsiones istorum erunt à siccitate; Minimè: quamuis enim in Galeni doctrinâ conuulsiones quæ ad febres ardentes sequuntur, *par sit à siccitate fieri; nihilominùs id ita intelligi debet, vt fiant in morbi progressu; quæ enim initio statim accidunt, magis soboles sunt liquatæ quàm absumptæ humiditatis. Pueris autem initio solent accidere, neque enim ætas potest tantam ardentis febris durationem pati; quanta requiritur ad inducendam ariditatem adeò magnam, vt propterea membra conuellantur.

4. aph. 57.

Nota

Addit Hippocrates, *nec alvus deiiciat*, hoc & causæ, & signi rationem habet: causæ quidem, vt significauit Hippocrates alibi, hoc est, in Aphorismis, cum conuulsiones pueris accidere ait, iis præcipuè, *qui craßi sunt, & aluos duras habent.*

3. aph. 25.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

quoniam, expoſitore Galeno, tales plenum corpus habent & abundans ſuperfluitatibus. Signi vero rationem durities alui poteſt ſubire; quippe ſphincter conuulſus inteſtinum inuoluntariè claudit, nec fæcibus exeuntibus datur aditus. Adiungit ſimiliter alia quorum aliqua, cauſæ; aliqua, ſigni; alia, ſigni ſimul & cauſæ rationem habent.

Si vigilent. Eſt magis ſignum quam cauſa conuulſionis, eſſet quidem conuulſionis cauſa; nempe eius quæ fit per ſiccitatem: quippe vigiles exſiccantur; at ex hypotheſi iam facta minores natu conuulſione à ſiccitate non corripiuntur. Cum itaque corrupti lactis vapores, aut ex eadem corruptione porracei æruginoſiue humores caput feriant, quemadmodum inducunt vigilias; ſic conuulſiuos motus conuulſionéſque poſſunt inducere. Poterit etiam interdum eſſe conuulſionis ſignum quando ſcilicet oculi præ conuulſione neruorum motui inſeruientium non clauduntur, adeò vt ſi manum ob oculos puerorum moueas, non nictabunt; quo experimento multoties vſus ſum ad ſpaſmos pueriles diſcernendos.

Si paueant. Pauor etiam adultis, ſi ingens ſit, poteſt membra conuellere; pueris multo magis: pauorem eſſe infantibus familiarem innuit Auicenna inquiens, eis inſomnia accidere terribilia per ſomnum, & cauſam reiicit in nimiam cibi abundantiam, quæ cum à naturâ concoqui nequeat, in ventriculo corrumpitur, vnde vitioſi ad cerebrum delati vapores, ſomniorum ſunt cauſa. Cur verò pauentes conuulſione capiantur, idem Auicenna demonſtrat dicens, diffuſos ſpiritus ſubito per timorem ſubmergi & ad intima corporis reuocari, ac eorum motum muſculos verſus principia ſua ſequi.

3.1.d.1.c.3.

2.3.cap.5.

Si lugeant. Luctus poteſt eſſe conuulſionis ſignum, quippe conuulſio dolorifica eſt paſſio, poteſt etiam eſſe cauſa, quatenus humores & liquat & exprimit, quamuis enim luctus poſſit humores è cerebro per oculos expurgare; poteſt etiam ſi multi ſint eos ita liquare vt in neruoſum genus delabantur.

Colorem mutent & viridem, aut liuidum, aut rubidum trahant. Mutatione coloris indicat puer, ſe non exiguam perturbationem pati, indicat & varios prauóſque humores in corpore

prædomi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

prædominantes habere: Ex prauis his ſuccis poteſt fieri conuulſio; mutatio verò pre ſe ſolam, indicat iam incipientem conuulſionem, à quâ infans conturbatur. Hæc omnia ſic in Coacis repetuntur. *Pueris acuta febris, alui ſuppreſſio cum vigilia ad hæc excalcitratio, & coloris mutatio, multus rubor conuulſionem ſignificat.*

Proſequitur Hippocrates. *Adultiores vero pueri, virique non item in febribus prehenduntur conuulſionibus; niſi aliquod indicium extiterit vehementiſſimum, ac deterrimum; qualia per phrenitidem accidunt.* Iam dixi maiores natu, propter neruoſarum partium robur, non facilè conuulſionibus apprehendi, quod eis conuelli per febres accidat id vehemtem arguit cauſam exſiccantem; qualis per phrenitides euenire ſolet.

Non deſunt qui exiſtiment, non ſolùm conuulſiones ab humiditate eſſe pueris magis proportionales, quàm maioribus natu; ſed etiam eas quæ à ſiccitate fiunt. Perſuadentur Auicennæ authoritate, qui pueros à conuulſione ob ſiccitatem eueniente, citiùs quam iuuenes liberari dixit. Deinde eandem ſententiam confirmant quia puerorum ſubſtantia celerrimè diſſipatur, & pueri magis quam iuuenes inaniuntur, dicente Galeno, *Puerorum ſubſtantiam omnium facillimè digeri, ac diſſipari; quòd omnium eſt humidiſſima, nulla verò frigidior; quæ cauſa eſt cur euacuantis præſidij ope, non egeant, cum naturaliter habeant vnde euacuentur.*

2.3.cap.5.

9.met.c.17.

Si verò opponas non poſſe duas affectiones contrarias vni, & eidem ſubiecto conuenire; ac propterea non poſſe conuulſionem ab humiditate & à ſiccitate, eidem ætati, hoc eſt, puerili eſſe proportionales, dupliciter reſpondent. Primò hoc non eſſe inconueniens, dummodo diuerſis rationibus conueniant: ſunt autem rationes diuerſæ, quia humida conuulſio pueris conuenit, ob nimiam humiditatem, qua ſcatent; ſicca vero ob facilem diſſipationem. Deinde conuulſionem humidam, & ſiccam, non eſſe contrarias, quia contrariorum ratio poſtulat vt ſub eodem genere collocentur; hæ autem duæ conuulſiones ſub duobus generibus poni debent: ſicca enim morbus eſt in intemperaturâ; humida autem in compoſitione quippe eſt obſtructio.

Nota

Verum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Verumtamen isti decipiuntur: etenim non à qualibet siccitate conuulsio fit, sed ab eximiâ: ad hanc priùs quàm infans humidissimus accedat, morte præoccupatur. Responsiones quas afferunt non sunt admittendæ: Et quod ad primam spectat; dissipatur quidem facile humida puerorum substantia, ob validum calorem innatum; non tamen adeò vt deducantur ad siccitatem, quæ conuulsionis est causa: nam calor innatus quemadmodum substantiam fortiter dissipat; ita eandem fortiter reponit; imo exsiccatio à calore naturali, causa est cur cito à conuulsione humida liberentur. Videlicet reducente se corpore ad suum statum naturalem. Ad alteram responsionem, tametsi conuulsio ab humiditate, & conuulsio à siccitate secundum se sub diuersis generibus reponantur; nihilominùs secundum causas continentes, hoc est, humiditatem, & siccitatem seu mauis repletionem, & inanitionem sub eodem sunt genere.

Exceptio Secunda.

Quibus crisis futura est, iis nocte antecedente grauissima accidunt symptomata, & inter alia potest etiam accidere conuulsio. Pithioni distorsio oris die septimâ aduenit; vndecima, quæ finis est quaternarij secundæ septimanæ crisis secuta est per sudorem, & sputa cocta. Itaque exonerato venoso genere in musculosum, cessat febris, & remanet conuulsio, quæ cum ab humore fit, & eo non valdè stabili, idcirco potest dici metastasis in bonum: Id in variolis, & morbillis sæpe interdum etiam ante sudorem experimur.

Exceptio Tertia.

Potest etiam in febre conuulsio esse vtilis, nempe (vt in Coacis dicitur) *Si primâ statim die febri superueniat; vel postridie, vel ad summum perendie. Quod si tempus transgrediatur, quo ab initio tenebatur nec acquiescat malum.* Porrò iam supra ex Paulo diximus, an conuulsio fiat ex repletione cognosci, ex eo quod in principio adueniat; præterea si inconstans sit: hæ duæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

duæ conditiones conuulſionem ſolutu facilem eſſe indicant, propterea ait ſi prima, aut ſecunda, aut tertia die ſuperueniat, tunc fit à repletione, cui febris remedium eſt; ſi etiam celeriter deſinat, licet ſæpius reuertatur à vapore mordente fit: vaporis autem diſſipatio ſperabilis eſt. Rectè igitur Coacarum Auctor dixit, *Conuulſio in febre facta, ſiquidem eodem die conquieſcit, bonum*, non quod conuulſio aliquid bonum afferat, ſed quod ſi adſit, bonum ſit vt primâ ſtatim die quieſcat.

Exceptio Quarta.

In paralyſi, ſeu paraplegiâ poteſt vtilis eſſe conuulſio, quod, licet ambigens, dixit Coacarũ Author, & Author Prorrheticorũ; *nempe*, vt Galenus ait) *cum partes affectas motu priuet paraplegia, conuulſio ad motionem agit naturali vehementiorem, ita vt violenter hæ concutiantur: quod ſi obſtructio, vel humidorum, aut craſſorum, aut glutinoſorum impactio neruis fuerit, ob id paraplegiam iuuare videbitur.* Hæ idemmet Galenus ibidem ſemel in quodam qui ita affectus erat, permutationémque variè ſe ſe mutuo excipientium ſymptomatum habere, ſe vidiſſe teſtatur.

1. epid. ſect. 3. com. 26.

Eeceptio Quinta.

De conuulſione in febribus loqui cum diſtinctione oportet, ſi enim ex ariditate accidat lethalis eſt, ſi præ copiâ materiæ liquatæ, vel in caput verſæ non omnino lethalis, ſed nec omnino ſalubris: eſt quippe cacoethes, hoc eſt, maligna, quæ (ex definitione Galeni) licet cum periculo adueniat, ſpem tamen ſalutis non adimit; hæc ſi in tempeſtate conueniente accidat minus eſt periculoſa, vti fuerunt illæ quas in Thaſo accidiſſe, narrat Hippocrates, tunc enim, *Multos, conuulſiones, & maximè pueros, ab initio tentabant, & frebricitabant, febribúſque conuulſiones ſuccedebant. Erant hæc pleriſque diuturniora, & innocua, præter eos, quibus etiam alia cuncta pernicioſa eſſent.*

1. epid. ſect. 2. tex. 24.

Exceptio

Exceptio Sexta.

Quamuis conuulſio, ſeu in febre, ſeu extra febrem formidabilis ſit, nihilominùs (vt in Prorrheticis ſcriptum,& in Coacis repetitum inuenies) *conuulſiones in hyſtericis ſine febre faciles ſunt.* Vocabulum εὐχερέες, ideſt, *Faciles* (vt Galenus annotauit) ambiguum eſt: *Poteſt enim quis intelligere rationabilem earum, quæ in hyſtericis affectionibus fiunt conuulſionum generationem: poteſt quoque dici ſecuritas ipſarum, & à periculo receſſus.* Foëſius licet in Coacis legat *Faciles*, tamen in Prorrhetico, quaſi declarans quænam ſit iſta facilitas, ſententiam ita transfert. *Mulieres, quæ ab vtero promptè ſtrangulantur, idque ſine febre in conuulſiones propenſæ ſunt.* Itaque *Faciles* conuulſiones videtur exponere, hoc eſt, in quas mulieres hyſtericæ facilè incidunt. Cæterùm multo melius dicemus conuulſiones ab vtero * faciles, nempe quæ facile ſoluantur: fugacem námque habent cauſam, tetrum vaporem ad cerebri membranas, aut neruoſum muſculoſúmque genus ferientem.

1. prorr. ſect. 3. tex. 27.

Dixi *Sine febre*; legendum enim puto ἄπυρος non vt alij legunt, ἀήθεες *inſuetæ*, quid enim inſuetudo ad facilitatem conuulſionis facit. Miror Foëſium, qui in Prorrhitico *Sine febre* legit, ac in Coacis *Inſuetas*; cum tamen vtrobique eadem poſſint in contextu græco verba, *conſtitui*: nec oportet verſas reddere ſententias. Sed cur ſine febre conuulſiones ab vtero potiores ſunt quam cum febre? nonne febris poteſt conuulſionis materiam exhaurire, ac ſubinde prodeſſe? ſane nunquam poteſt non eſſe damnoſa, ſiue morbi, ſiue ſymptomatis ſubeat rationem. Si ſymptoma ſit, cuiuſnam erit ſymptoma? Nempe inflammationis vteri, atque ita ſemper in hyſtericis paſſionibus febris occupans inflammationis ſuſpicionem ingeret. Si febris ſit morbus erit conuulſio ſuperueniens febri, quam Hippocrates damnat; atque ita febrilis affectus licet auræ frigidæ venenatæ ob ſeminis corruptionem ortæ poſſet remedio eſſe. Nihilominus, aut tanquam ſignum eſt mala, cum ſignificet inflammationem; aut tanquam cauſa, cum conuulſionem reddat magis intolerabilem: tum quia infirmi violantur: tum quia

ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ex menſtruorum materiâ febris vapores eleuat, quibus caput repletur, fiúntque mulieres ſoporoſæ, graues, anxiæ, & multis aliis ſymptomatibus vexatæ; tum denique quia exſiccantis febris vi menſtrua cohibentur.

* Multum quidem refert conuulſioneſne vteri dicas; an ab vtero? Conuellitur vterus non retractis neruis, aut muſculis ad ſuum principium, motu præternaturam arbitrarium motum imitante, quæ eſt propria conuulſionis lex, quare conuulſionem vteri impropriè appellamus eam, quam magis propriè vteri peruerſionem dicimus quando vterus retrahitur ſurſum, vel ad latus ob vaſorum quæ ad ipſum perueniunt, & vinculorum plenitudinem cohibito ſanguine propter craſſitiem, aut propter oſculorum anguſtiam. Vnde & vaſa in amplitudinem dilatata ſecundum longitudinem contrahuntur, trahúntque ad ſe vteri corpus. Eſt præterea cauſa aſcenſus vteri eiuſdem ſiccitas ob quam cogitur ab hepate humiditatis ſuppetias petere, vnde hepar ex vtero ſibi adiacente diaphragma opprimit, & ita fit reſpirationis interceptio & quidam quaſi ſtrangulatus, quod accidit viduis, aut grandioribus non menſtruatis, aut diarrhæa laborantibus, queis collapſo inteſtino recto, amplitudo viæ ſiccitas aucta, occaſionem vtero præbuit aſcendendi ad hepar. Atque hæc dicitur vteri conuulſio, & impropria eſt: In eam facilis eſt lapſus, nec difficilis redintegratio, ſi enim ob vaſorum plenitudinem accidat, euacuatione ſoluitur, ſi à diarrhæa ad curationem morbi curatur, ſi ob irrigantis ſeminis, aut menſtruorum defectum; huic ſua quoque eſt curatio, de quâ vide apud alios. Cæterùm aliquando conuelli vterus dicitur à Galeno quemadmodum conuelli dicuntur partes aliæ quæ nerui, aut muſculi non ſunt.

Conuulſio ab vtero tunc dicitur, cum vera conuulſio vitio vteri neruoſas partes occupat, nempe ſi vapor inde elatus, vel ad cerebrum deferatur, & epilepticas conuulſiones efficiat, vel ad aliquam partem neruoſam, quam vellicando ad motus conuulſiuos prouocat; & hæc eſt propria conuulſio quam dico cauſam habere fugacem. Nam quod alij dicunt quia neruoſus vterus eſt, eo patiente ſimul neruorum principium affici, non tolerat Galenus & meritò: *Cur namque peritonæon vtero vicinius, inteſtina, ventriculus, & ſeptum tranſuerſum, quæ & ipſa neruoſa ſunt, non in affectuum vteri participationem trahuntur?* Itaque neruoſum vterum dicimus, ſicut neruoſam veſicam, neruoſum ventriculum, & alia ſimilia; non quia nerui ſunt, aut à neruis originem ducant; ſed quoniam latiſſimè diſtendi & in breuiſſimum ſpacium contrahi, & ſubſidere videantur, hoc latiſſime apud Galenum reperies enucleatum.

6. epid. sect. 7. com. 2.

Exceptio Exceptionum.

Conuulſiones periculoſas eſſe diximus; excepimus tamen occaſiones aliquas in quibus ſine periculo, imò etiam interdum cum vtilitate poteſt conuulſio fieri; nunc ex iſtis occaſionibus eas conuulſiones excipimus, quæ vniuerſales ſunt: quippe has nulla occaſio poteſt bonas efficere, ſicut etiam alias, quæ copioſis euacuationibus ſuperueniunt, & tandem eas quæ fiunt in parte oppoſitâ parti vulneratæ, quæ omnes inſanabiles iudicantur, hoc eſt, difficulter ſanabiles: neque enim ſpem prorſus excludunt. Vidimus nos nobiliſſimum *Coſmam de Riccardis florentinum* ex leui vulnere in occulo ſiniſtro accepto totâ dextrâ parte conuulſum, & quod deterius eſt, propagato vlterius malo ſecundum vtramque partem conuulſiuis motibus agitatum, quem tamen cum magno labore, cum magno tamen artis medicæ decore ſanitati reſtituimus. Sit laus *domino Deo noſtro, qui mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.*

Pars IV.

Pars IV. Continens QVICQVID AD MORBI SOLVTIONEM per crisim spectat.

CAPVT PRIMVM.

De Criseos etymo.

A Forensium causarum similitudine criseos nomen fuisse inuentum multi referunt: Constat enim forum ex reo, actore, testibus, & Iudice. Natùra igitur actor reum morbum in iudicio constituit, apud iudicem Medicum, qui sententiam feret, provt muti, loquentesvè testes fidem facient. Sicut enim & hominum attestationibus, & tabellis scriptis, fides habetur; ita etiam narrationibus ægrorum, & astantium; necnon pulsui, & vrinæ aliisque mutis signis fidem præstat Medicus vt iudicet. Alij aliter Naturam Iudicem constituunt, mobum actorem, qui cum reo ægroto litigat. Alij diem decretorium esse dicunt, qui iudicat, indicatorium verò apparitoris munere fungi, qui ad iudicium vocat; Naturam faciunt patronum, siquidem pro viribus ægrum liberare contendit.

Hanc analogiam ad vulgares homines acceptam refert Galenus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

3.*crif.c.2.* lenus, qui ita ait; *Et quispiam homo vulgaris, cum istis adesset, ipsa re cogente, ita pronuntiauit, quod iudicium tunc de vitâ ægrotantis ageretur: neque enim Medicorum aliquis primus inuenit id nomen, sed omnino necessarium fuit, vt qui præsens esset conturbaretur, atque adeò exclamaret, & crisim, idest, iudicium rem ipsam nominaret.* Et primo de diebus decretor. *Vniuersos qui adsunt in metu esse maximo videre licet, audiréque dicentes, quod æger nihil ab iis, qui in foro de morte iudicantur differat*: Et alibi, *iudicatio in morbis de foro translatitia appellatione dicta est.* 3.*prog.*1.

Non placet tamen aliquibus isthæc translatio. Nullam enim forensis iudicij, cum naturæ & morbi concertatione, analogiam, nisi ineptam, & insolentem esse aiunt. Quis in hoc certamine iudex est statuendus? non Medicus qui naturæ minister est, & spectator tantum. Non Natura, quæ pugnat cum morbo. Non dies criticus, quippe qui per se agendi vim nullam habet. Hæc illi. Cæterum nimis nasutos, & tetricos istos Aristarchos admoneo, similitudinem à vulgaribus hominibus acceptam non esse ad Polycletis normam examinandam.

Non desunt, qui crisim ἀπὸ τοῦ κρίνειν, quod secernere est, deriuari malunt, vt crisis secretionem potiùs, quàm iudicium denotet. Vnde Galenus, *Fit crisis Naturâ secernente humores noxios ab innoxiis, eósque ad excretionem parante.* Alij ab excretione; quippe ἐκκρίνω, est excerno, quia scilicet perfecta crisis excretione fit. Sunt etiam, qui crisim certamen appellent. Apud veteres enim κρίνω idem est quod certo. Cæterum in re parui momenti, à Galeno, & communi vsu recedere peruicacia quædam est: κρίσις, à Græcis appellatur, id quod iudicium à Latinis: & qui libenter etymologias aucupantur hanc omnium facillimam esse reperient. 2.*aph.*13.

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

CAPVT II.

Variæ Criseos acceptiones.

VERVM vocabuli etymologia vtcumque se habeat, acceptio illius multiplex apud Hippocratem & Galenum est. In primis crisis abusiuè cum simplici morbi solutione confunditur: quapropter cum Hippocrates ait optimam vrinam esse, in quâ per totum morbi spatium, donec ipse iudicatus sit, subsidet album, læue, & æquale, Galenus ibi iudicari non aliter interpretatur, quàm solui, velut etiam in aliis plerisque locis. Idcirco Cornel. Celsus qui multa ex Hippocrate in latinum sermonem transfert, semper solui & finiri morbum vertit. Per eandem abusionem Ephemeræ iudicari dicuntur, necnon etiam hecticæ febres, vt est apud Galenum cum tamen sine magnâ perturbatione finiantur. *3.cris.c.22.*

Altera acceptio est pro quocumque vehementi Naturæ ad rei cuiuslibet molestæ expulsionem conatu. Hæc acceptio nimis generalis est, & extenditur non ad morbos duntaxat, sed etiam ad conceptus partus, & abortus, & omnino ad omnia quæ magno indigent naturæ impetu. Hanc acceptionem reperies apud Hippocratẽ, dicentem; *Conceptus, & partus in mulieribus in eo tempore iudicantur, in quo etiam morbi & sanitas & mors hominibus contingunt.* Hippocrati cõsentanea scripsit Aristoteles his verbis. *Ratione optimâ tempora omnium & grauidarum, & generationum, & vitarum dimensionem circuitibus sibi exposcunt recipere.* Circuitum autem scribit se appellare diem, noctem, mensem, annum & tempora, quæ iis describuntur, atque etiam lunæ traiectiones. Aduerte tamen non omnem & quemlibet Naturæ conatum crisis nomine appellari, sed eum solum, qui vehemens sit & certis dierum, hebdomadarum, mensium aut annorum periodis contingat. *lib. de sept. partu.* *4.gen. anim. cap. 10.*

Tertia acceptio est de morborum temporibus, vt cum ait

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

1.aph.19.

Hippocrates: *Iis qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni ante iudicationes,* Galenus in com. *Quod autem dicitur ante iudicationes intelligendum est vel ante accessiones quascumque simpliciter, vel ante morbi vigores, vel ante illas, quæ propriè iudicationes nominantur.*

in lib de articul. lib de loc. in hom.

Quarto solet crisis ab Hippocrate vsurpari, pro euacuatione; vnde ossis excretionem crisim appellare solet. Et alibi, *Medicamentum, donec corpus floridum est, ne propinato; non enim vacuantur, nisi modioum*, in Græco codice *Vacuantur est*, κρίνεται.

1.cris.c.1.

Quinto pro perturbatione, quæ crisim antecedit, vt Galenus est Author, & hæc acceptio etiam minùs propria est; siquidem symptomata tunc euenientia magis signa futuræ crisis, quàm propria crisis debent appellari; vnde Hippocrates, *Quibus crisis futura est, iis nox quæ antecedit, grauis*; Vbi manifestè ostendit grauitatem illam non esse crisim, sed antecedere crisim. Sunt autem symptomata illa aliquando signa tantùm: aliquando signa simul & causæ, de quibus nos inferiùs suo loco dicemus.

2.aph.13.

3.cris.c.2.1. dieb.decret. c.7 2.aph. 13.& 23.

Sexta & vltima est propriissima acceptio, pro repentinâ in morbis mutatione: Ita vt inter simplicem morbi solutionem, & crisim, ea sit differentia, quod morbi qui per crisim soluuntur, subitam accipiant mutationem: qui vero citra crisim finiuntur, solui dicantur, hoc est, sensim & nulla facta præuiâ perturbatione finiri.

CAPVT III.

Variæ criseos species.

1.epid.sect.3. tex.16.

ITA sumptæ criseos species, si ad morbi terminum solummodo respiciamus, quatuor snnt ab Hippocrate adductæ. *Aut enim ex morbo liberatur æger, aut moritur, quod si non accidit saltem vel ad melius, vel ad peius mutatio fit*: Atque adeò quatuor sunt crises I. *ad salutem*, II. *ad mortem*, III. *ad meliùs*, IV. *ad peius.* Ex his

prima

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

prima ſimpliciter,& ſine addito criſis appellatur. Secunda cum additamento criſis praua, reliquæ duæ criſes ſunt imperfectæ. Aduertendum tamen eſt, aliud eſſe criſim imperfectam; aliud infidam, poteſt namque criſis perfecta, infida eſſe, quia recidiuæ adhuc ſuſpicio remanet.* Poteſt rurſus eſſe fida, ſiquidem præceſſerint ſigna coctionis, quæ Hippocrates ſecuritatem indicare dixit, ſed tamen non erit perfecta, quia euacuatio diminuta ſequuta eſt. * * Hoc loco ponto Criſim variam, quæ vario modo ſalutem affert iuxta variam humorum motionem,varium naturæ impulſum, & partis apprehenſæ concuſſionem. Varietatem etiam ſubit vnam duntaxat habens concuſſionem,quod apparet in rigore: ſiquidem is & morbum criticè ſoluit, & Criticum ſudorem, criticam hæmorrhagiam, Criticam etiam alui ſurſum & deorſum ſolutionem pollicetur.

* Infidæ criſis fit mentio, quando ait Hippocrates, *Pernicioſa ſine ſignis leuantia mortem indicant.* Et alibi, *Iis quæ non ex ratione leuant, fidendum non eſt*, & in Coac. *Omnes qui ſine ſudore refrigerati ſunt peſſimè habuerunt.* Exemplum habes in Hermocrate, qui die decimaquartâ liberatus fuit à febre, non ſudauit, rurſus eum febris corripuit, vigeſimo fuit expers non ſudauit. Vigeſimoquarto die rurſus febricitauit,tandem vigeſimo ſeptimo mortuus eſt.

1. prorr. ſect. 2. tex. 17.
2. aph. 27.
3. epid ſect. 1. ægrot.

* * Quamuis coctio perfecta perfectam polliceatur euacuationem, poteſt nihilominus euacuatio ſequi diminuta ob debilitatem excernentis Naturæ,aut ob aliquam oblatam occaſionem; qualis eſt in ſudoribus frigidi aëris occurſus, vel in quibuſlibet euacuationibus ſubitum, & vehemens animi pathema.

Cæterùm quamuis morbus prædictis modis in ſuis mutationibus terminetur, atque ita relatas efficiat criſis ſpecies, nempe ad ſalutem,ad mortem, ad melius, ad deterius: Tamen reſpectu habito non ad terminum, ſed ad motum, duas alias ſpecies adiungit Galenus initio Tertij libri de Criſibus, quas mixtas vocat, quando ſcilicet aliqua ad melius, vel ad peius mutatio facta fuerit: deinceps verò vſque ad omnimodam ſolutionem, vel mortem reliquum totum emarcuerit. Sed quicquid Galenus de ſuo velit addere mihi quidem videtur iſtas duas ſpecies, quas miſtas appellat non differre ab iis quas imperfectas appellamus. Nam imperfecta criſis ad melius, per ſubitam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſubitam mutationem fit: ſequi verò poteſt eam paulatim omnimoda] ſanitas vt rationi conſentaneum eſt. quemadmodum etiam in criſi imperfectâ ad peius ſubita mutatio fit, à quâ ſenſim ad mortem æger progreditur. Neque enim imperfecta criſis aliam criſim expectat, licet aliquando euenire poſſit.

10. cont. c. 4.

Rhaſius gloriatur ſe alias tres inueniſſe ſpecies, quas quidem, licet alij reiiciant, non impoſſibiles iudico: prima, *Quando fit ſubita mutatio ad melius, & paulatina ad mortem.* Secunda, *cum fit ſubita mutatio ad peius, & paulatina ad ſalutem.* Tertia, *cùm fit ſubita mutatio ad melius, & ſubita ad mortem.* Quartam addunt aliqui: *Cùm fit ſubita mutatio ad peius & ſubita ad ſalutem.* Si per ſingulas diſcurras, aliquas freqnenter euenire, alias verò rarius: nullam verò omnino impoſſibilem reperies. Quod attinet ad primam, in quâ fit ſubita mutatio ad melius, & paulatina ad mortem, ſcito multoties prauam materiam prædominium habentem ſupra Naturam poſſe aliquâ ex parte impulſu Naturæ licet ſuperatæ euacuari, atque ita ex illa euacuatione leuiùs ſe habet ægrotus ſerpit tamen intus relictum venenum & ad mortem ægrum fruſtra lætantem perducit. Secunda quãdo fit ſubita mutatio ad deterius, & paulatina ad ſalutem contingit, ſed rarò, & impropriè nempe vt non ratione morbi qui iudicatur, ſed alterius in quem tranſit, peius habere videatur ægrotus, ad quod tamen non mors, ſed ſalus conſequitur, vt ſi humore maligno in aliquam partem decumbente gangræna ſit orta, à qua poſteà æger liberatur, liber etiam à morbo priore euadit. Vel etiam ſi in criſi propter pugnam ſpiritus admodum reſoluantur, vt æger linquatur animo, & pulſus deficiant, poteſt æger reſtaurari & cum à præſente malo, hoc eſt, à deliquio liberetur, à præterito liber manet. Tertia ad melius, & ſubita ad mortem, in morbis malignis non rarò contigit, & iam dictum in hoc operemanet, quomodo aliquando mox morituri meliùs habere videantur. Quarta ad peiùs & ſubito ad ſalutem. Hæc mihi videtur nihil differre ab optima criſi quam ſemper grauia antecedunt ſymptomata, itavt ſubito ſuperuenientia, vulgaribus hominibus imponant, poſteà verò ſequitur victoria.

CAPVT

CAPVT IV.

Criseos perfectæ conditiones.

VT crisis perfecta dicatur, sex debet habere conditiones à Galeno relatas. Inprimis enim melior est iudicatio quæ fit cum excretione per aluum, quam quæ per abscessum. Deinde oportet vt humor noxius sit, qui expellitur. Tertio vt fiat κατ' ἴξιν idest, secundum rectitudinem. Quarto vt facile toleretur. Quinto vt præcedente fiat coctione. Sexto vt accidat in die decretorio.

1. aph. 20.

CAPVT V.

An vim habeant Critici.

SOPHISTÆ, quos reprehendit Galenus, dies criticos è medio tollebant, eâ ducti ratione, quod de iis inter Medicos non conueniret, neque facile esset iudicare quinam dierum verax, quis fallax esset? Cæterùm conueniebant quidem Veteres in diebus, quos celebres appellamus, nempe qui omnes criticorum notas habent; ambigebant de ambiguis, idest, de iis quibus paucæ insunt criticorum conditiones.

1. dieb. decr. cap. 3.

Aliqui etiam sunt qui decretorios quidem recipiunt dies, non tamen vti causas sed duntaxat vti signa. At Galenus dies istos, non solùm vt signa, sed vt causas etiam partialiter concurrere fusissimè probat: Partialiter inquam, quoniam tria sunt, quæ omnia simul concurrentia laudabilem crisim, & significant, & faciunt; *Dies decretorius, Coctio, Excretio.* Ita tamen vt (sicut ab eodem est dictum) decretorius dies ad iudicij firmitatem conducat, reliqua duo ad cognoscendum bonum, aut

1. dieb. decr. cap. 7.

2. progn. 54.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

prauum euentum. Firma erit iudicatio quæ fit in die iudicatorio; bona si cum signis coctionis accidat; ac insuper si optima sequatur excretio.

Lib.9.met.c. Quod si experientia nobis dies istos reperit (quod Galenus fatetur & ex Hippocrate colligi potest) non propterea sunt cōtemnendi; nam multorum quæ experimento inuenta sunt, rationem posteà nos docuit philosophica contemplatio. Nec deterreat Hippocratis in assignandis his diebus varietas. Nam priùs Epidemi.on libros scripsit, cum adhuc experimentis dogmatum veritatem exploraret, & idcirco multos congessit dies, quos posteà in Prognosticis, & Aphorismis amputauit. Hæc tibi huius rei series esto.

Pares { *In Epid.* 4. 6. 8. 10. 14. 28. 48. 60. 80. 100.
In Aph. 14, 34.
In Progn. 14. 20. }

Impares { *In Epid.* 3. 5. 7. 9. 11. 17. 21. 27. 31.
In Aph. 3. 5. 7. 9. 11. 17. 21. 27. 31.
In Progn. 7. 11. 17. }

CAPVT VI.

Vndenam vim habeant critici.

PARTICVLA PRIMA.

Quid sentiant Arithmetici.

NONNVLLI, qui se Pythagoricos simulāt, numeris omnia quæ fiunt, sed præcipue criticorum vim adscribunt, & in hoc Platonem, Aristotelem, & (si Diis placet) Hippocratem etiam sibi asciscunt socios. Plato *Neminem sine numeris rectè philosophari posse* credidit,

dit, *animámque numerum se se mouentem* appellauit. Aristoteles, *ternarium numerum*, dixit, *naturæ legem esse, secundum quam omnia naturalia disponuntur.* Hinc probat corporum esse dimensiones non plures. Deducit demonstrationem à Pythagoricis, qui dicebant omne, & omnia, tribus esse definita; finis námque principium, & medium ipsius, omnis numerum habent. Hippocrates in in epistolà ad Thessalum filium, sic scribit. *Ad numerorum scientiam multum studij adhibeto: numerorum enim ratio, & ad circuitus, & ad transmutationes febrium præter rationem fientes, & ad iudicia ægrotantium ac securitates in morbis sufficiens erit.*

lib. 1. de cal.

Multa deinde afferunt ad numerorum dignitates pertinentia, vt in quaternario, quod quatuor sint elementa: in senario, quod sex diebus completa fuit Mundi fabrica. De septenario quid dicam? in quo tam multa reperiunt vt vix vnquam finem faciant. Qui huius rei plenam notitiam habere cupit adeat Petrum Bongum, qui in magnum quoddam volumen numerorum mysteria congessit, quæ syncerè speculanti ridicula sane videri debent.

Cæterùm quamuis Galenus, *An numeri ipsi agere nati sint; an motus ordinatos sequantur*, Philosophis considerandum relinquat, nihilominus non potuit se continere, quin inferiùs hanc ineptiam refelleret: neque enim quia omnis numerus par fæmina est; impar vero masculus: acutorum crises imparibus fiunt. Neque simpliciter impar pari fortior est, neque si fortior idcirco iam fæmininus imbecillior, neque si fæmina quidem hic sit, masculus verò alter, rationi consentaneum erit acutos morbos in masculis numeris, in fæminis verò chronicos iudicari.

2. dieb. decr. cap. 2.

3. dier. decr. cap. 8.

Miratur ille Pythagoram, qui simul & prudens fuerit, & numeros tantum esse putauerit. Verùm maiore iure Galenum ipsum mirari possumus, qui in Pythagoricâ disciplinâ altiorem indaginem subesse non cognouerit: Sapientissimus ille, qui primus philosophi nomen sibi per summam modestiam vendicauit, quem Plato tanquam diuinum est veneratus, qui apud suos discipulos in tantâ fuit æstimatione vt siquid in disputationibus ab eis quæreretur, nihil aliud respondebant, nisi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Ipſe dixit, hoc eſt, Pythagoras. Hic, inquam, Naturæ rerum ſubtiliſſimus ſpeculator omnium rerum proportiones reperit, quas per numeros tanquam per rem nobis notam ſignificabat. Vtinam hodierni Philoſophi imbuti fuiſſent hâc diſciplinâ, quam quia non aſſequuntur contemnunt: quippe, *Mens ignara boni, quæ non intelligit odit*. Sed cum ex profundiſſimo Pythagoræ puteo ſcientiam haurire non poſſimus, non eſt in ſuperficie inhærendum, in quâ nihil verum certúmque apparet: quid enim numeri poſſunt efficere, qui negationes quædã ſunt? Etenim nihil aliud ſunt niſi indiuiſiones? Quid rurſus indiuiſiones, niſi diuiſionũ negationes? Deinde id quod nõ eſt ens reale (ſic in ſcholis philoſophi loquuntur) nõ habet efficiendi potentiã: numeri non ſunt ens reale, vt ſæpe docet Ariſtoteles, etenim in prædicamentis ſcribit, *In partibus numeri eſſe ordinem, ordo autem non fit, niſi quatenus ab intellectu percipitur*: Et In metaphyſicis. *Numerus*, inquit, *vnum non eſt, ſed velut cumulus, etſi ſit dicendum quidnam illud ſit, quod ipſum efficit vnum ex multis*: Ac ſi diceret, *Niſi detur in numero vltima vnitas, quæ ſit veluti forma præcedentium, non fiet numerus vnum quid*, id autem non fit, niſi intellectu, & ſatis imperfectè, hoc eſt, non ratione compoſitionis, ſed ſolius ordinis, qui mente colligitur. Hinc addiſce numerum eſſe ens rationis, non ens reale, ac proinde nihil poſſe efficere.

8. metaph.

Itaque quia hoc ita intellexit Ariſtoteles, & præterea ex profeſſo contra numeros aliquando diſputauit, non eſt credendus numeris facultatem agendi tribuiſſe; ſed quando *Ternarium, naturæ legem eſſe*, dixit, non poſuiſſe eum numerum tanquam cauſam agentem, ſed (vt Docti omnes interpretantur) *legem ex cauſâ manantem, aut cauſæ adiunctam, cuius exemplo naturalia diſponuntur*: ſunt enim mouentes cauſæ omnes certo præditæ numero, cuius ratione tanquam quodam exemplari diſpenſantur.

13. metaph. ſumma 3. c. 1. & 2.

Plato autem Pythagoricæ doctrinæ & obſcuritatis ſectator, cum de numeris loquitur, non materiales intelligit, ſed numerorum vocabulo vſus, rerum formas ſubſtantiales & harmoniam, ex quâ conſtituuntur ſignificare voluit. Sic *Omnia in menſura, pondere, & numero*, à Deo cõſtituta eſſe, Sacra pagina nos docet.

ſap. c. 11.

Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Nam *Numerus speciem* significat, quandoquidem *Species*, teste Aristotele sunt veluti numeri Pondus autem *Ordinem* designat: quia vt corpora ponderibus, ita quælibet res propensione suâ in proprium bonum fertur. *Mensura* dicit *Modum*; quia mensura rem modificat, & coercet.

8.*metaph. tex.*10.*c.*3.

Hippocrates sapientissimè filio suo numerorum scientiam cōmendat, vtpotè maximè necessariam, vt cognoscamus id quod obseruatione longa de numeris cognosci potest; nulla tamen illis agendi facultas idcirco tribuenda est. Nam nemo est qui aliquid à septenario numero dicat factum, ob rationes quas diximus; nemo rursus qui dignitatem, & præstantiam septenario deneget, quæ tanta est, vt videatur illum Deus, & Natura in deliciis habuisse. Cæterùm diuinus Hippocrates se causam huius rei, quam quærimus traditurum promisit, sed fortassis rei difficultate perterritus non adimpleuit, solámque longam obseruationem pro causâ nobis reliquit.

Verum quidem est *quod*, vt Plinius ait, *Alius de alio iudicat, dies supremus de omnibus*. Non est tamen verum id de quo lamentatur: *Vanam esse, & imprudentem hominum diligentiam, quia numerus dierum computatur, vbi quæritur pondus*. Non, inquam, est verum: nam in numero pondus quoddam existit quatenus in illo numero maiores, & crebriores, quàm in aliis, mutationes contingunt.

*Lib.*7.*c.*40.

Porrò sunt numeri in quibus, non à quibus, crises fiunt, hoc est, mutationum præscripta tempora, non causæ: Nom, inquam, causæ: nam, (quæ est Galeni ratio) *Si dierum numerus ipse decernendi facultatem haberet, non frequenter diebus imparibus, raro paribus, verùm perpetuo imparibus, nunquam paribus de acutis morbis iudicium fieri oportet*. Deinde mutatio fit in tempore, quare fit in motu: est enim tempus numerus motuum secundum prius, & posterius; fit igitur mutatio in numero, non autem à numero: quippe numerus nullam agendi vim habet.

3.*dieb. decr. cap.*8.

Recedant igitur Arithmetica cum suis numeris, qui quidem nihil sunt, ac subinde nihil efficere queunt: nihil autem sunt quia sunt negationes; negatio autem nihil est: Quod sint negationes non diffitebitur ille, qui numerum omnem ex vnitatibus componi videt; vnitates autem quid sunt nisi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

indiuisiones, hoc est, diuisionum negationes. Si verò dixerint numerum inter obiecta communia sensuum ab Aristotele reponi, sciat oportet ex eodem, numerum sola continui negatione percipi, sicut tenebræ, & cæcitas, priuationes cum sint, à sensibus per obiecta quæ negant percipiuntur.

lib. 2. de anima.

PARTICVLA II.

Quid sentiant Astrologi.

lib. de ar. aq. & loc. & lib. de affect.

QVamuis Hippocrates dicat oportere Medicum esse astrologum, non propterea Astrologantium nænias recepisse censendus est. Rursus quamuis Astrologi in genethliacis ex futurorum diuinationibus plus æquo sibi arrogent; non idcirco à re rusticâ, à re nauticâ, à re medicâ, excludendi omnino sunt; sed constanter cum Aristotele tenendum, ***Oportere mundum hunc inferiorem supernis lationibus esse continuum, vt indè vniuersa vis eius gubernetur.*** Quare constat inde non egredi extra medicos cancellos, eum, qui crisimorum naturam in astris quærit.

Sunt nonnulli plus nimio huic contemplationi addicti. Alij ab eadem plus nimio abhorrentes. Tertij (quibus assentior) superiores causas cum inferioribus permiscentes. Porrò, qui in crisimorum vi, ad cælestes causas duntaxat respiciunt, duodecim signa in Zodiaco constituunt, quæ planetarum domus appellantur. Iuxta hanc doctrinam sol, & luna singulas habent domos, reliqui planetæ vnusquisque duas. Rursus Planetæ in tres diuiduntur classes in beneficos, maleficos, & ancipites.

Itaque cum aliquis cæpit ægrotare, in quo signo Luna tunc reperiatur considerant: Ex illo per suos aspectus sextiles, trinos, quadratos, coniunctiones, & oppositiones contemplantur iuxta naturam signorum, ad quæ die quartâ, aut septima (& sic de aliis) Luna accesserit. Sic futuram crisim prænuntiant: si enim signum horæ decubitus, oppositam habeat naturam signi die iudicatoria, in ea die fiet crisis, quæ bona, aut mala erit, provt Luna benè, aut male fuerit disposita, hoc est, cum benefico, aut malefico planeta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Hæc, & similia effutiunt, cuncta tamen inania; nam apud varios, variam dierum criticorum indaginem reperio, varia etiam documenta, cuncta inania, nisi quid occultum habeat nobisque ignotum. Sed quid proderit occultum quod manifesta experientia refellitur. Demus duos eadem die decubuisse, nunquid eadem die vterque iudicabitur? Non profecto; nam euentu contrarium comprehenditur.

Confugiunt Astrologi ad genethliacos dies: & comparant aspectus horæ decubitus cum aspectibus, natiuitatum. Verùm nec sic quicquam efficiunt, nam duo nati eodem horâ (vt Iacob, & Esaü) diuersam habent naturam, diuersum temperamentum, diuersum vitæ finem. E contrario multi sub diuersis nati aspectibus, in eàdem horâ, eodem mortis genere corripiuntur. Scio non deesse Astrologis subterfugia, quorum refutatio ad alios pertinet. Ad me porrò tantùm incumbit probate crisimorum vim, non à solis accipi syderibus, quod iam aggredior.

Primò, si astra in quibusdam aspectibus concurrentia naturam ad crises in morbis moliendas cogunt, cur eandem non cogunt ad aliam operationem? sed quis vnquam vidit hominem septimâ die, aut decimaquarta meliùs cibos concoquere, meliùs attrahere, retinere, expellere.

Secundò, cum rapidi sint syderum motus, vix possunt deprehendi eorum aspectus, vix conuersiones obseruari. Sed esto deprehendantur, obseruentur. At stellæ sunt causæ vniuersales, quæ per particulares determinantur, sic sol non sine homine generat hominem: quippe ad effectuum productionem requiritur agens particula, & certa quædam materiæ dispositio, quæ vniuersalis illius agentis vires immutat, alterat, euertit.

Tertiò, Luna duplicem habet influxum, vnum à sole mutuatum, alterum à signis obliquioribus, per quæ singulis mensibus proprio cursu trans greditur. Si ergo vis crisimorum oritur ex influxu mutuato à sole, ij morbi duntaxat septimâ die iudicantur, qui nos in nouilunio corripiunt; alioquin nec diei septimæ Luna dimidia, nec decimæquartæ plena respondebit. Si verò ex influxu à signis zodiaci accepto, & sextus, & decimus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

muſ- tertius poterunt decernere; ſiquidem cum inferiora Epicicli permeat velociùs fertur, & tunc ſexto die ad quadrata ſigna accedit: cum autem ſuperiora tranſit tardiùs fertur; & tunc octauâ die vel nonâ in quadrangulari loco apparet. Porrò luna æquales motiones, & circuitus non ſortitur; quare ad lunam dumtaxat cauſa motionis quæ in diebus certis contingit referri nequit.

Quarto, poſt vigeſimum diem omnes circuitus ſeptimanarum ſunt, omniſque quaternionum vis perit; vnde vigeſimatertia, & trigeſimaquarta dies decretoriæ non cenſentur. Poſt quadrageſimum diem ad centeſimum vſque vicenarij ſoli decernunt perítque vis ſeptimanarum, ſi ergo criſimorum vis à ſola luna dependet, vnde nam hæc computandi varietas?

Quinto, omnis actio contactu fit. Cœli contactus mathematicus non eſt, ſed phyſicus: emittitur ergo ex eo quidpiam: id autem corporeum non eſt; ſiquidem ſi corporeum eſſet, ſenſim minueretur, eſt igitur incorporeum, nempe qualitas contrario carens: nam quia contrario caret, momento diffunditur vt lumen: Hæc qualitas ſpiritualis: aut primas producit qualitates, vt lux calorem; aut vim fugandi, attrahendive: vis iſta attrahendi indiuiduis ineſt non autem cauſæ generali, qualis eſt Cœlum: Producit ergo lumen; at lumen non magis hâc die ſuggerit calorem, quàm aliâ, niſi quo plus ad terram reflectitur, quod in ſole quidem accidit, quanto aut propinquior eſt, aut directior; in lunâ verò, quãdo plus luminis à ſole recipit; Accipit autem plus, quo magis ab eo recedit, quare cum octauo die magis à ſole recedat, quàm ſeptimo octauus maiorem decernendi habebit vim quàm ſeptimus.

Sextam adiungo rationem, & ſatis validam. Cum dies criticos inquirimus, in febribus intermittentibus, non per continuas dies, ſed per acceſſiones computando procedimus. Hæc computatio ad lunam, quæ continuo motu agitatur referri haudquaquam poteſt, alioquin ſeptima aceeſſio non erit decretoria vtpote quæ die duodecimâ contingit; dies autem duodecima quid cum lunæ quadrâ commune habet? Quod ſi habet, omnis dies ſimiliter habebit, & ſubinde nulla inter criticos, & non criticos dies, erit differentia.

Hanc

Hanc Astrologorum opinionem, tot rationibus confutatam, Galenus nihilominùs amplectitur, eámque, tanquam optimum Ægiptiorum inuentum commendat, adeò vt non ægrotis duntaxat, sed sanis etiam Luna quales dies futuri sint denunciet. In huius rei gratiam natalitios dies considerat: *Fingamus* inquit, *homine quopiam nascente salutares Planetas in Ariete esse, malignos in Tauro. Profectò is homo cum Luna in Ariete Cancro, Libra, & Capricorno fuerit, pulchre vitam deget, & benè habebit; cum verò eadem Taurum ipsum, aut tetragonum aliquod, aut ex diametro oppositum ipsi Arieti signum occupauerit, pessimè quidem, & molestè homo ille Vitam transiget. Atque iam morborum initia huic, cum Luna in Tauro, Leone, Scorpio, & Aquario fuerit, pessima: sine periculo autem, & salutaria sunt cum Arietem, Cancrum, Libram, & Capricornum Luna permeat.*

3 dieb. decr. cap.6.

Cæterùm Galenus, qui in explorandis diebus decretoriis experimentum ducem habuit, non debuerat Astrologis adhærere, quorum doctrina, vt diximus, cogit nos dies aliquos criticos constituere, quos Hippocrates experientiæ filius iudicare nunquam reperit. At dicetis, Galenus existimat se in hoc ab experientiâ non recedere: quippe ibidem Sophistas damnat, qui rationem quærunt in iis, quæ manifestè patent. Manifestè autem patere ait, tetragonas, & diametras Lunæ constitutiones affectionésque in principiis bonis bonas facere alterationes; in malis, malas.

Est tamen quod Galeno respondeamus: nempe experimento quidem compertum esse Lunam hæc inferiora in tetragonis, & diametris constitutionibus alterare, quod annotauit Aulus-Gellius ex Ammiano, ostreas scilicet Lunâ senescẽte tenues, & exuccas esse, & ex Lucillio, Lunâ echinis & muribus fibras, & penu addere. Aristoteles ex Lunaribus incremẽtis, echinos, ait, & id generis animalia, vtpotè cancros, ostreas, conchas, conchilia pleniora fieri, & vberiori lumine fæta succulentiora euadere humiditatis viuificæ, & lunaris caloris beneficio. Addit Plinius minimum animalium formicam syderis vim sentire, & interlunio cessare, & al bi, lunam accedentem corpora implere, recedentem inanire. Et (vt multa alia quæ in hanc rem dici solent omittam) vnum duntaxat ab Aristotele

4. de part. animal. c.5.

lib.2.c.42.

eodem lib. cap.101.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

dictum, & à me in loco maritimo vbi maiorem vitæ partem transegi, obseruatum adiungam: scilicet nullum animal, nisi æstu maris recedente expirare. Neque prætereundem est in pestilentibus constitutionibus in eâ die in quâ ex diametro Luna Soli opponitur, & quâ cum eodem coit, quin etiam in quadratis cum Sole aspectibus, longè plures ex iis qui sani sunt ægrotare, longè etiam plures ex ægrotantibus perire.

Hæc omnia ita esse qui negaret, sensus expers iudicaretur. Cæterùm constitutiones istas lunares quis diebus decretoriis adaptare poterit? Eas nihilominùs Galenus adaptare contendit, inani tamen conatu; siquidem vt diem vigesimum, Hippocratis autoritate, & experimento decernendi vim habentem lunari cursui adaptaret, figmentum reperit ab omni ratione alienum: nempe mensem quemdam suum, quem medicinalem appellat ab omnibus tam astrologis, quem medicis, vtpote fictitium repudiatum. Quod vnusquisque videre potest apud Authores, qui contra mensem istum scripserunt, quorum præcipui sunt Ioannes Picus Mirandulanus, Petrus Aponensis, Hieronymus Cardanus, Hieronymus Fracastorius, Ioannes Manardus.

3. dieb. decr. cap. 9.

Itaque cum aduersus Dioclem, & Archigenem pro Hippocrate vigesimum diem, magis quàm vigesimum primum decretorium esse probaret, relicto experimeuto, quo solo debuerat esse contentus, ad Lunam potius voluit confugere. Oportet ergo considerare tres menses Lunares pro vario respectu ad Lunam constitui ab astrologis. Primus dicitur coniunctionis; & est totum illud tempus, quod inter vnam, & alteram coniunctiones interiacet. Hunc mensem dierum 29. & horarum 12. cum 40. minutis esse tradunt Recentiores. Secundus, est mensis peragrationis, quo Luna ab vno Zodiaci puncto recedens ad idem punctum integro circuitu emenso redit, & est dierum 27. & horatum octo. Tertius mensis est apparitionis seu illuminationis, seu illustrationis, & est interuallum à primo nascentis Lunæ conspectu ad vltimum vsque diem euanescentis. Hic mensis inæqualis esse solet, nunc longior, nunc breuior. Longior quo minore tēpore occultatur Luna; breuior, quo diutiùs delitescit; constat tamen vtplurimū 26. diebus, & horis 12.

Aduer

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Aduertendum hoc loco eſt, menſem coniunctionis dici illum, in quo Luna à Sole diſcedens, ad ſolem iterum redit. Sol enim vnum de duodecim ſignis, vnius menſis ſpatio metitur: Ponamus igitur Sole in primâ Arietis parte conſtituto ab ipſius, vt ita dicam, orbe emerſiſſe Lunam, quod eam naſci vocamus. Hæc cum ad arietem redit non inuenit ibi ſolem; intereà enim ipſe progreſſionis ſuæ lege vlteriùs abſceſſit; quapropter vltra peragrationem ſignorum procedit vt ſolem reperiat, & ideò cum ad arietem peruenit non putatur, eo vnde profecta fuerat reuertiſſe, quia oculi noſtri tunc non ab ariete, ſed à ſolè eam viderant proceſſiſſe, quod fit 29. diebus horis 12. Minutis 40.

Peragrationis igitur menſis, minor eſt menſe coniunctionis, quia numerantur in eo dies tantùm in quibus luna ob vno puncto ad idem punctum vt à primâ parte Arietis ad primam Arietis redit; hoc dicimus fieri ſpatio dierum 27. & horarum 8. De hoc menſe (vt Macrobrius ait) luna octo, & viginti prope diebus totius Zodiaci ambitum conficit.

1. de ſomnio ſcipionis.

Menſis verò illuminationis eſt circuitus in quo nobis eluceſſit Luna, quem idcirco non ſibi ſemper æqualem eſſe diximus, quod occultationis tempus non ſibi ſemper æquale ſit; ipſum vero vulgo dierum 26. & horarum 12. faciunt, ſecundùm quam rationem breuior eſſet menſe peragrationis horis 20. quod conſtabit ſi tot horas, 20. dico ad 26. dies, & horas 12. adiungatis; ſummam enim conſtare reperietis 27. dierum, & horarum 8.

Damnãt aliqui Galenum tanquam Aſtrologiæ ignarum, qui per triduum Lunam latere dixit, quem tamen Lalamantius excuſat: quia medium ſpatium propoſuit, vt extrema innoteſcerent: ſolet enim deliteſcere non ſolùm per triduum, ſed & per biduum, & per quatriduum; latet etiam per vnum tantùm diem aliquando.

Itaque nullus ex prædictis menſibus poteſt diem vigeſimum ſibi accommodare; quia ſemper iuxta horum menſium rationem, vel numerum vicenarium dies decretorius tertiæ ſeptimanæ excederet, vel non compleret. In primis ex menſe coniunctionis vigeſimus non poteſt demonſtrari; ſi enim hunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

mensem in quatuor diuidas septimanas, earum tres constituent 22. dies, & horas 3. qui numerus longissimè excedit vicenarium. Nom etiam ex mense peragrationis; diuidite enim hunc mensem in suas septimanas, & inuenietis tres septimanas efficere dies 20. & horas 12. qui numerus medius est, inter vigesimum, & vigesimum primum, adeò vt si sic contingat crisis, nec huius nec illius diei erit. Neque etiam potest confici ex mense illuminationis, quoniam incertam habet magnitudinem, modo enim longior est, modò breuior.

His difficultatibus irretitus, mensem alium sibi finxit quem vocauit medicinalem: hic fit ex mense peragrationis, & illustrationis, qui duo simul iuncti efficiunt dies 53. cum horis 20. hi si in medietates diuidãtur erit quælibet medietas mensis medicinalis constans diebus 16. horis 22. cuius duæ septimanæ comprehendunt dies 13. & horas 11. quælibet nempe septimana dies 6. horas $17\frac{1}{2}$. vnde tres septimanæ efficiunt dies 20. horas $4\frac{1}{2}$. Sic ille.

Cæterùm si mensem illuminationis per se solum non recipit, quia inæqualis est nunc breuior, nunc longior; cur modo medicinalem suum mensem conficit ex eodem mense illustrationis simul coniuncto cum mense peragrationis: Profectò si mensis illuminationis per se solùm incertus erat eandem incertitudinem coniunctus habebit. Neque verò Lalamantij excusatio quicquam valet, cum enim hic quæratur præcisus dies vigesimus ad differentiam vigesimi primi, quæ differentia in exigua distantiâ consistit, non sufficit numerum medium assignare; nam quæcumque euariatio efficiet, vt iam non sit verum id quod Galenus probare contendit nempe vigesimum, non vigesimum primum esse iudicatorium.

Et quorsum quæso iste labor, si vigesimus primus etiam ab Hippocrate inter iudicatorios statuitur. Non ergo vigesimus hoc à solâ Lunâ habet; si enim haberet profectò omnino vigesimum primum excluderet, nec diceremus rariorem esse, sed nequaquam esse iudicatorium.

Præterea demus Galeno suum diem medicinalem: nonne iuxta illius rationem, tres septimanæ constabunt diebus 20. & horis $4\frac{1}{2}$. sed si tunc crisis manifestari incipiat, & duret per

horas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

horas $19\frac{1}{7}$. vel vltra, iam vigeſimi primi, non vigeſimi eſſe dicetur.

Tertio ſi dies iſte medicinalis confert ad cognoſcendam criſim, quæ fit in tertiâ ſeptimanâ, hoc eſt in die vigeſimo: conferet etiam ad criſes aliarum ſeptimanarum: fiet ergo criſis in primâ ſeptimanâ die ſextâ, & horis $17\frac{1}{7}$. & in ſecundâ ſeptimanâ die 13. & horis 11. Et ſi bene numerabitis, inuenietis criſes morborum acutorum ex decidentiâ iuxta hunc menſem medicinalem, non debere fieri 40. ſed 41. die.

Tandem menſis iſte imaginarius eſt, & non niſi mente conceptus exiſtit; ea autem quæ eſſe habent intentionale (vt cum Philologis ioquamur) non poſſunt realem effectum parturire. Et hæc ſufficiant pro hâc opinione refellendâ; Plura quærito apud Authores ſuperiùs allegatos.

PARTICVLA III.

Fracaſtorij opinio enarratur & refellitur.

NOnnulli ſunt qui prædictis nimiùm aduerſantes, omnino aſtra contemnunt, & ad ſolam materiæ motionem ſe recipiunt. Auerrhoes, Naturæ tribuit iudicandi vim, tanquam cauſæ proximæ; cœlum autem tanquam cauſam remotam Medico non eſſe neceſſariam dicit. Fracaſtorius etiam licet Aſtrologiæ peritus, ab Aſtrologis omnino factus transfuga, totus ſe humorum motionibus addixit. Primum ſuæ opinionis fundamentum tale eſt. Rarò contingit vt vitio aliquo in humores tranſeunte, vnus tantum humor corripiatur. Nam, vtplurimum, alterum aut plures vitium idem concipiunt, aut ſimul, aut poſteà: quippe in ea ſanguinis maſſâ, quæ in venis continetur, confuſi, commixtique ſunt. In ſecretione autem putreſcentis humoris, quando à naturâ fit, ſi humor qui ſecernitur ſimplex ſit, neque alio alteratus, criſim nullam efficiet, ſed paroxyſmum tantum: quotidianum quidem ſi pituitoſus erit: tertianum, ſi bilioſus: quartanum, ſi melancholicus. Ex his infert quod ſi permixti fuerint humores, aliquando omnes mouebuntur, aliquando

3. col. c. 9.

quando aliqui, aliquando nullus. Vnde dierum aliqui erunt placidissimi, alij acerbiores, alij acerbissimi: Placidissimi in quibus humor nullus mouetur: acerbiores in quibus vnus: acerbissimi in quibus omnes: Et hi ad crises sunt aptissimi, quoniam in illis magis stimulatur Natura, quo stimulo fiunt crises.

Alterum fundamentum: Crisis non fit nisi digesto, præparatoque humore; digestio non adest, donec quod crassum, & segnius est, non est domitum, crassior verò, & segnior humor omnibus aliis est melancholia: vnde fit vt potissimum circa melancholiæ, & motus, & digestionem attendantur crises: fit autem motus per quaternarium, fiunt igitur crises per quaternarium.

Demus e. g. bilem in aliquo ægrotante peccare, eámque cum paucá pituitá, & melancholico humore permixtam esse, simulátque putrescere incipit bilis, reliquos etiam inquinabit humores. Itaque grauis erit primus ille paroxysmus. Secunda dies quietissima erit, in qua nullus humorum fiet motus: Tertia paroxysmum quidem bilis sentiet, crisis tamen non fiet, tùm quia stimulus nondum maximus, tum quia totum nondum digestum est: Quarta, dies motum habebit melancholiæ, sed latentiorem: quia non multum est quod tunc mouetur de melancholia, partim quidem, quia tunc peccabit solùm, partim quia putrefactio eius quodammodo pendet à bile, quâ cessante in die quarto, melancholia dat aliquem motum ob conceptam putredinem, sed paruum, & latentem, quia origo, & fomes putrefactionis, nempe biliosus humor quiescit: Quinta, bilis motum videbit: Sexta nullius. At verò septima acerbissimum omnium sentiet paroxysmum, concurrentibus simul humoribus omnibus, qui peccabant, ac largius melancholiâ: quoniam ex alterius contagione, & impulsu non parum motionis recipit. Quo die quoniam digesta fuerat melancholia, & stimulus acerbessimus ob coniunctam bilem, fiet crisis.

Tertium fundamentum: Cum melancholiæ modi, & conditiones multiplices sint, (sæpe enim pauca est, sæpe multa, interdum crassior, interdum tenuior, modò tenacior, modò soluta magis, modò frigidior) Ex hac diuersitate fit, vt putrescente cholerá, quandoque simul eadem die computrescat melancholia,

lia, modò in initio paroxysmi, modo in medio, modò in fine; Interdum non simul eadem die, sed secunda tantùm.: In acutis morbis eadem die motus fit vtriusque humoris, quia acuti morbi à tenuiore, & paucâ, & calidissima materiâ fiunt. In tardis autem, & diuturnis, quorum materia frigida est crassa, & tenax, moueri melancholiam accidit non nisi die quartâ. In mediocribus autem morbis quorum materia media est quantitate, qualitate, & crassitie, in secundâ moueri incipiet, & computrescere melancholicus humor.

Ex diuerso itaque melancholici humoris motu diuersæ contingunt crises, & tres eorum ordines statui possunt. Nam si prima die cum cholera simul, & melancholia cõmoueatur, (quod in acutis fit morbis) quartanariæ periodi erunt 4.7. 10.13. Rarò enim vltra hos protenditur status in acutis. Si extremè peracutus sit morbus, crisis in quartum cadit diem: quia materia paucissima est, subtilissima, & feruens. Si acutus segnior ad 13. prorogabitur. Si medius inter extremè peracutos, & acutos minores, septimo die iudicabitur; atque hîc primus erit dierum criticorum ordo.

Secundus, ita numerari debet, si non in primâ die, sed in secunda solùm, motum dederit melancholia, (quod in mediocribus morbis accidit) tunc quaternariæ periodi erunt 2. 5.11. 14.17.20. Vltra autem rarissimè in mediocribus producitur status, sed 11.14.17.20. præcipuè erunt critici.

At si tertia solum die motum recipiat melancholia, quod in chronicis solùm fit, in quibus, & crassa valdè, & tenax, & multa materia est; periodi quidem erunt 3.6.12.15.18.21.24.27.30. Rarò autem vltra contingunt crises. Maximè autem criticus erit vigesimus primus, mox 27. mox 15. si enim materia crassa quidem, & tenax sit, pauca autem in eo genere ad quartumdecimum status erit. Si vero crassa, ac valdè multa ad 27. si verò in genere mediocris ad 21. Hæc est Fracastorij sententia.

Quæ & Hippocrati, & experientiæ aduersatur: Hippocrati quia multos constituit dies criticos, quos Hippocrates non constituit. Experientiæ quia dies criticos enumerat, in quibus experimento compertum est rarò aut nunquam crises accidere: quod si vnicuique ad libitum dies criticos assignare est datum, nulla

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

nulla erit difficultas. Igitur dum decimum diem, & 12. inter decretorios primis ordinis reponit, in quibus nunquam crises vidit Galenus, sibi dies fingit, quas nullo modo recipere debemus.

Aduersatur præterea rationi: nam fundamentum huius opinionis est humores intra venas non solos putrescere, sed permixtos. Sit ita, sed nunquid morbi quorum causa est intra venas per crisim soluuntur? Nonne inflammationes externæ etiam iudicantur? Profectò iudicatorios dies in abscessibus etiam Hippocrates commemorat.

Nunquid etiam in abscessibus, non vnus tantum putrescit humor? Iam ergo erysipelata à sola bile non fiunt; sed semper admixtam habebunt melancholiam, & melancholiæ eam quãtitatem quæ in crisibus principatum obtineat. Quod si hoc ita esset omnis curandi ratio peruerteretur. Quandoquidem, & in phlegmone, & in erysipelate curando melancholici humoris erit habenda ratio.

Præterea cum ait in vno solo humore putrescente, vel pluribus in vnam formam redactis, fieri non crisim, sed paroxysmum, vt v. g. sola bilis purrescens tertianæ exquisitæ paroxysmos referat, permixta verò itavt in vnam formam non redigatur efficit crisim. Profectò merum somnium videtur. Insurgat natura ad debellandum vnum humorem, & vocetur paroxysmus. Sed si huius humoris secretio, & expulsio fit, appella vt vis, à crisi nihil differet. Quid præterea differentiæ est inter humores, ad vnam formam redactos, & humores permixtos? Profectò in venis humores permixti existunt, & ad vnam formam redacti: ex his fit tertiana notha, ex his etiam crisis debet fieri, si quidem ex humoribus, ex quibus morbus constat, eiusdem morbi crisis fiat oportet.

Tandem, tertius dies morborum exactè peratutorum criticus est. Tertio tamen die melancholia adhuc quiescit. Cum verò raro vltra 30. diem, crisim contingere ait, videtur parum in medicâ praxi versatus vt reuera erat, qui in suis Caphiis (erant montes in quibus villam amœnissimam habebat) Musis, & quieti operam dabat parum quidem faciendæ medicinæ sollicitus. Si ergo experiretur inueniret quadragesimo,

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

& sexagessimo crises fieri quod vidit Hippocrates, vt non semel scriptum reliquit.

PARICVLA IV.

Aliorum opinio refutatur.

ALij sunt qui crisium efficientem causam dicunt esse Naturam, materialem verò humorem: atque adeò tardas, aut celeres fieri crises, partim ob humorem stimulantem, aut reluctantem, partim verò ob Naturam, quæ si sui sit compos, cum primùm stimulatur insurgit, si debilis crisim retardat. Quod verò potius pari quàm impari die crises eueniant, hoc ad humores spectat: bilis enim mouetur per impares, melancholia per pares, Quod septenariis tantum accidant crises, id totum Naturæ est, quæ septenarium numerum in delitiis habet.

Hæc tamen opinio licet aliqua ex parte veritatem præsefe-rat difficultates nihilominùs patitur. Et in primis Natura debilis (quam supponit) crisim non efficit, neque enim excitatur, ac proptereà quamuis æger occumbat non per crisim mori dicitur. Si verò mediocriter sit debilis tunc crisim quidem efficiet licet imperfectam. Sed qua die? Profectò in eadem die, in quâ crisim efficeret, si robusta foret. Neque ex humoris crassitie, & frigiditate euenit vt crises retardentur, quandoquidem, & ex pituitoso, & ex melancholico humore possunt fieri apoplexiæ, quæ breui iudicantur. Tandem falsum est dicere humores efficere, vt paribus, aut imparibus crises fiant: tametsi enim crises fiant in accessionibus (vt diximus) & accessiones fiant à bile diebus imparibus; à melancholia diebus paribus; potest quartana v.g. iudicari in impari, & accessiones habere per dies pares, quia quæ dies facit accessionem par erit, sed respectu totius ægritudinis impar: demus enim quod aliquis quartanâ laboret & in septimâ accessione iudicetur, huic iudicium erit in accessione impari, quamuis moueatur per pares. Nec mihi quispiam dicat non posse quartanam in septima iudicari, nam con-

trarium experientia patet, & tertianas in ſexto paroxyſmo iudicatas multi viderunt, Hippocrates enim ait, tertianas ſeptem circuitibus ad ſummum terminari, non quod ſeptimo ſemper circuitu terminentur, ſed quod is ſit ſummus ad quem peruenire poſſit. Neque pituita, aut ſanguis poteſt ad pares referri, quod tamen iſti Authores volunt; nam pituita, & ſanguis ſemper eodem modo mouentur, ſcilicet pituita quotidie, ſanguis ſemper.

PARTICVLA V.

Authoris Opinio.

POtius mihi videtur dicendum multa eſſe quæ concurrunt ad mutationes, illas repentinas, quas Criſes appellamus. Et in primis non eſt excludenda cauſa vniuerſalis; neque vero eam cum Auerrhoe remotam appellabo, ſiquidem non mediatè, ſed immediatè ſuum attingit effectum; ſol enim non mediante homine generat hominem, ſed partialiter cum illo ad generationem concurrit. Eſt ergo cauſa cæleſtis, ſed præcipuè Luna, quando hæc magnam, & ſatis manifeſtam in hæc inferiora vim habere conſpicitur. Nam ſi in corporibus ſanis mutationes exercet, vt quam ſæpiſſime experimur, cur non maiora fient in corporibus ægrotantium: Profectò quò debiliora ſunt corpora, eò magis Lunares recipiunt impreſſiones: hinc eſt quod infantes lunæ obnoxios eſſe videmus. Et melancholici in lunaribus conſtitutionibus manifeſtè exacerbantur. Ægrotos nemo eſt qui neget in pleniluniis, & nouiluniis immutari, quamuis plenilunia, & nouilunia non coincidant cum diebus criticis; quod ſi coincidant, mutationes longè maiores redduntur.

Eſt igitur luna quæ per ſuos aſpectus tetragonos, & oppoſitos mouet, quod ſi non coincidit exactè cum die decretoria, at certè per paucas horas diſtat, atque ita materiam intumeſcere facit: ita vt præſtituto die pugna fiat. Pugna autem præſtitutam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tutam habet diem, non ailia ratione, nisi quia ille dierum numerus conficit spatium temporis necessarium vt humor maturetur ad pugnam. Quod si interrogabis, cur potiùs septimo, quàm sexto die hæc pugna fiat? Quæram ego, cur concoctio alimenti septem horis peragatur? Dices forsan hoc non esse verum, sed in aliis tardiùs in aliis citiùs pro caloris ratione; ego vero sic admittam crises, vt non sit semper exacta dies septima decretoria, sed ipsa vt plurimum, aliquando autem ab ea per aliquot horas iudicatio recedat, qui horarum numerus cum exiguus sit, semper septimæ diei crisis attribuitur.

Obiectio prima.

Sed obiicies, si hoc esset verum crisis fieret septima v.g. die, aut si septimam elaberetur, fieret octaua; sed cur si non fit septimâ reseruatur in decimamquartam? Respondeo crisim quæ fit in decimoquarto non esse eam quæ debuit fieri in septima. Nam, si indicatio facta fuit in quarta, profecto crisis, aut septimam, aut septimæ propinquam occupabit: Est igitur crisis, quæ fit in decimaquarta, ex ea humorum natura, quæ duplici indiget tempore ad sui maturationem; & hinc est quod morbi conditio variatur, morbus enim in septimo iudicatus peracutus est, si vero iudicatur in decimoquarto, est simpliciter acutus, & sic de aliis: quod si contendat aliquis septenario aliquam nobis occultam dignitatem esse tribuendam quam ex superius allatis exemplis poterimus coniicere, per me quidem licebit.

Obiectio altera.

Si opponat aliquis in intermittentibus non posse crises ad lunam referri, siquidem hæ febres per accessiones decernunt; accessiones autem interdum cum lunari congressu non cœunt e. g. septima accessio tertianæ accidit die duodecimâ, dies autem duodecima non habet decernendi vim. Respondeo, Diem duodecimam non esse decretoriam in continuis, quia non est destinata motui humoris ex naturâ eiusdem humoris, esse tamen decretoriam in intermittentibus, quia motum humoris habet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

habet ex acceſſione in eâ die eueniente. Quod verò attinet ad Lunarem concurſum, poteſt quidem eſſe in duodecimâ die ſaltem aſpectus trinus, qui licet exiguam vim habeat multum nihilominùs iuuat: ſiquidem acceſſio ex ſe adeò efficax ad mouendum eſt, vt quolibet vel exiguo auxilio cœleſti adiuta, vehementer moueatur. Nam id quod iam priùs à cauſâ internâ agitari erat aptum, paruo quopiam incitamento valde multum ſtimulatur. Hinc eſt quod infantes, aut corpora alia debilia, quæ facilè agitantur ſub Lunari influxu vehementer alterantur. Iam verò ſi contingat in eadem duodecimâ die lunam eſſe coniunctam, aut oppoſitam, aut in quadrato cum ſole; hoc contingere poſſe nil prohibet) tunc quis dubitat ægrotum magnam debere ſubire alterationem?

Si hæc quæ dicta ſunt, alicui diſpliceant, reperiat meliora, interim verò vnuſquiſque ſit certus in re admodum difficili ſatis eſſe, ſi probabiles inueniamus rationes, vt portentoſas poſſimus effugere chymæras.

CAPVT VII.

Modus computandi dies criticos.

PARTICVLA PRIMA.

Vnde incipere debet computatio.

PRINCIPIVM ægritudinis multifariàm ſolet accipi, ſed tribus præcipuè modis ex Galeno. Vno modo pro primo morbi inſultu latitudine carente, quem etiam indiuiſibilem appellat alibi; Altero, pro ſpatio quod in tertium protrahitur diem; Tertio, pro quâdam totius morbi parte, quam ſigna manifeſtæ coctionis definiunt. Præter has tres acceptiones, quarta eſt, quando ſumitur

1. criſ. c. 9.

eodem lib. c. 4. & c. 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

pro prima accessione, vt liquet apud eundem. Sumitur etiam pro insultu non quidem latitudine carente, sed qui latitudinem quandam habet, & diuidi potest: quam acceptionem ipse exprimit his verbis: *Principium igitur morbi primum insultum indiuisibilem primæ accessiones, veluti, & ipsum nunc, quod sine latitudine est, vocant: sed, etiam aliquod tempus latum, quod etiam in ipso nunc obseruamus, quando dicimus nunc esse hyemem, vel Aestate, vel aliquod aliud tempus.* Atque hæ sunt potiores principij morborum acceptiones; nam aliarum, quas aliqui afferunt, quædam ad has reduci possunt, quædam sunt prorsus inutiles.

citato c.4.

citato c.6.

Quæritur ergo in quanam istarum acceptionum principium in computatione Criticorum dicatur? In primis non quando sumitur pro primo insultu indiuisibili; siquidem principium sic acceptum sola imaginatione comprehenditur, Medicus autem sensum habet ducem. Non etiam pro spatio trium primorum dierum: nam sic tertius dies non esset iudicatorius, quippe iudicatio non fit in principio; tertium autem diem inter iudicatorios Hippocrates non semel reposuit. Non etiam quando principium sumitur pro quadam morbi parte, in qua signa manifestæ coctionis apparent: nam si ita accipiamus, eueniet aliquando, vt decimaquarta dies sit principium morbi.

Scire expedit aliter computationem incipere in continuis, aliter in intermittentibus: In continuis incipit computatio à primo insultu, non diuisibili quidem, sed cum latitudine: In intermittentibus verò à prima accessione. Quod in intermittentibus numerantur dies à prima accessione manifestum est, siquidem in his febribus numeratio fit per accessiones ex Galeno: Quod autem in continuis computentur dies incipiendo à primo insultu latitudinem habente, colligere licet ex Galeno dicente. *Morbi principium statuere conuenient non leuioris morbi, sed decubitus esse principium.* Quibus verbis insinuat, neque primum insultum capi debere, quia insensibilis est, neque decubitum, quia alij aliis provt fortiores sunt, citiùs decumbunt: remanet igitur vt principium sit id tempus, quod inter decubitum, & primum insultum insensilem interiacet, nempe primum insultum cum latitudine. Hæc doctrina ad Hippocratem Authorem referenda est, vt ex eius historiis colligitur.

1. dieb. decr. cap. 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

PARTICVLA II.

Dies, & septimanæ in computatione, quomodo sunt accipiendi.

QVamuis ad hebdomadas, aut menses conficiendos, dies vt plurimum mutilantur: quippe (vt Galenus animaduertit) cum nec annus, nec mensis completis diebus numerari possint, annus ad trecentos sexaginta quinque dies extenditur cui tamen addas particulam diei maiorem quarta, hoc est, quartam diei partem, & partis cuiusdam partem quodammodo centesimam: mensis etiam ad triginta dies absoluendos vnius dimidium desiderat: septimana sexta diei parte, vt septem compleat dies indiget. Nihilominùs numeratio omnis per dies integros non mutilatos progreditur.

3. dieb. decr. c.....

Porrò vt, inquiunt Plinius, Plutarchus, Aulus-Gellius, Censorinus, Macrobius, Seruius, dierum diuisio apud antiquos fuit multiplex. Athenienses, inter duos solis occasus diem obseruabant, quod similiter Hebræis iussum est facere, vnde in sacra pagina, *à vespere, vsque ad vesperum celebrabitis sabata vestra.* Babylonij aliter obseruabant, nempe, ab exortu solis, ad exortum alterum. Vmbri, & Etrusci à meridie, ad meridiem: Sacerdotes Romani, & qui diem ciuilem definierunt, simul etiam Ægyptij, à media nocte, ad mediam noctem; decipitur vero Alexander ab Alexandro qui aliter Ægyptios sensisse refert.

Leuit. c. 23.

lib. 20. Genial. cap. 20.

Astrologi, diem diuidunt in naturalem, & artificialem: naturalis 24. constat horis, quæ æquinoctiales dicuntur: eius duæ sunt partes, dies, & nox: dies dicitur dum sol lucet super terram, nox vmbra terræ in solis oppositum diametraliter exten... Artificialis dies dicitur quandiu sol est super terram, & hîc inæqualis est: nempe æstate longior, hyeme verò breuior.

Medici, diem appellant spatium 24. horarum æquinoctialium: sic Galenus sæpe. Quapropter neque suos dies à mediâ nocte, à meridie, aut Solis ortu, occasúve numerant: neque, cum Astrologis, dies naturales, artificiales contemplantur, sed ab

1. & 2. cris. necnon de septim. part.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ab eâ horâ, quâ inœprit morbus, & quoties 24. horas licet numerare tot dies dicunt transactos esse.

Si autem mutilarentur (vt nonnulli volunt) non esset necessaria septimanarum copulatio: si verò septimanæ non copularentur fieret, vt vigesimus dies non iudicaret. Nec tres septimanæ in vigesimo cōcluderentur. Nec secūda septimana cum tertia in die 14. communicarent. Nullaque dies ipsis esset communis, sed crisis fieret 13. die, & horis 11. & hoc tempore inciperet septimana.

Vera igitur septimanarum computatio accipitur ab Hippocrate, dicente; *Septenorum quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem, & vndecimus contemplabilis: ipse enim quartus est secundæ septimanæ. Rursus verò, & decimus septimus contemplabilis; ipse siquidem quartus est à quartodecimo septimus verò ab vndecimo.* Quid critici, quid contemplabilis diei nomine intelligatur inferiùs dicam: sufficiat nunc pro septimanarum computatione agnouisse, primam, & secundam septimanas separari inter se, ita vt, post perfectum diem septimum, secunda septimana ab [illegible]uo oriatur. At verò tertia septimana, cum septimanâ sec[illegible]â coniungitur, quare secunda in 14. die terminatur; ab eodem die tertia septimana solos 6. dies suos habet, quemadmodum etiam docet Galenus: primus enim non suus est, sed à præcedente septimana mutuatus. Quare quamuis Hippocrates vigesimi diei non meminerit, manifestè innuit vigesimum diem inter iudicatorios esse reponendum: quandoquidem septimum tertiæ septimanæ contemplabilem statuit. Cum enim contemplabilis sit quartus, à quo restant tres, vt septimana perficiatur, nemo dubitare potest Hippocratis sententiam fuisse vigesimum diem esse iudicatorium,

2.aph.24.

3 progn.1.

Nec solùm priores tres septimanæ eo modo computantur, vt prima, & secunda sint separatæ, tertia verò coniuncta; sed omnes deinceps eandem legem seruant, vt videre est apud Galenum; quapropter dicemus diuisionem fieri per ternarios septimanarum, & in quolibet ternario 20. dies numerari, quoniam tertia septimana solos 6. dies suos habet.

2.dieb. decr. c.9.

Indicet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

	Indices.	Iudicatorij.	Indices.	Iudicatorij.	Indices.	Iudicatorij.
Prior ternarius	4.	7.	11.	14.	17.	20.
Secundus ternarius	24.	27.	31.	34.	37.	40.
Tertius ternarius	44.	47.	51.	54.	57.	60.
Quartus ternarius	64.	67.	71.	74.	77.	80.
Quintus ternarius	84.	87.	91.	94.	97.	100.

Cæterùm ad vigesimum vsque, per quaterniones numeratio fit: ad quadragesimum autem, per septenarios exinde ad centessimum, per vicenarios, posteà per menses, quod scriptum reliquit Galenus. Si igitur firmum, ratúmque Hippocratem tres septimanes 20. diebus includere, quod clarè protulit, dicens; Fieri non potest, vt horum vllum integris diebus eximiè numeretur: *Non enim annus ac mensis integris numerari diebus naturâ apti sunt.* Sic ille; Quod si viginti & vno diebus concludi tres septimanas vellet, non erat cur dies mutilaret, siquidem ex integris tribus septenariis vnus, & viginti dies emergunt.

3. prog. 10.

3. prog. 3. & 3. progn. 4.

Neque tamen ex prædicta sententia Hippocratis, intelligas dies, in numeratione dierum esse mutilandos, sed, vti iam dixi, integros assumendos, at[illegible] cum integri accipiantur dies pro numero dierum cognoscendo, mutilantur tamen pro septimanâ perficiendâ, aut pro constituendo quaternario. Ita etiam in annorum numeratione dies accipimus integros quos tamen ad complendum vnumquemque annum mutilamus, quod Galenus interpretatur. *Quippe cum nec annus, nec mensis completis diebus numerari possint, annum ad trecentos sexaginta quinque dies extendi ait, queis adiicitur particula diei maior quarta, hoc est, quarta diei pars. Tum mensem ad triginta dies; aut absoluendo vnius dimidium desideratur. Sic, & septimana sexta diei parte, vt septem integros habeat dies, indiget.*

3. dieb. decr. cap. 9.

Non est hoc loco prætereundum, Hippocratem (quod Galenus argutè annotauit) alio loquendi modo in acutorum diebus criticis computandis, alio in chronicorum fuisse vsum: quippe diuinus Senex in longis morbis circa vigesimum, circa quadragesimum, circa octuagesimum iudicia facta fuisse narrat; in acutis non sic, sed simpliciter vel quinto, vel septimo, vel nono

3. dier. decr. cap. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

die fuiſſe iudicatos. Quoniam autem criſis, vt plurimum non vnum duntaxat, ſed vel duos, vel tres dies occupat; ad quem præcipuè diem criſis referenda ſit, ſi notas quibus cognoſci poſſit affert Galenus: ſunt nempe quatuor. *Ratio acceſſionum; diei natura; numerus criticorum temporum; & criſeos tempus.* 1.dier. decr. cap.8.

Particvla III.

Ratio computandi dies criticos in puerperâ.

NE quid ad computationem dierum criticorum deſit, difficultas, quæ Auctores Medicos in diuerſas partes traxit, hoc loco explanāda eſt, vtrùm in perpura cui ſuperuenit febris, dierum cōputatio debet incipere à die partus, an à die febris. Offerunt ſe inprimis duo fulmina artis noſtræ Hippocrates, & Galenus, qui ſtatuiſſe videntur à partu debere fieri calculationem: quippe Hippocrates ſic ait, *Pari modo iudicationes fiunt à partu.* Galenus ibidem ſic. *Principium numerationis tibi, non quo die cœperint febricitare, ſed quo peperint.* Et conſequenter ſubdit: *Quibuſdam igitur circa ſecundum, aut tertium incipiunt diem à partu, ex quo multi numerant futuram indicationem, ſed res non ita ſe habet, ſed ex quo peperint numerationem fieri oportet dierum.* 3.prog.tex. 10.

Quamuis autem ita ab illis ſit lex ſancita, nihilominùs, in enarrandis Hiſtoriis Hippocrates interdum aliter ſe gerit: quippe in Philini vxore ſupputationem à febre facit: Reperies autem eum ibi manifeſtè eſſe loquutum; ſiquidem, febris corripuit decimaquarta à partu die, deinde in progreſſu hiſtoriæ, ait, Author. *Sexta die ad noctem multum delirauit*, deinde proſequitur, quid ſeptimâ quid octauâ acciderit Non igitur eſt dubium cum decima quarta dies poſt partum fuerit inuaſio febris, ſextam poſta eſſe à decima quarta. Reſpondent aliqui, inter quos eſt Stephanus Athenienſis, Hippocratem quando in Prognoſticis numerationem fieri iubet à die partus, ita eſſe intelligendum, vt ſolùm hoc fiat ſi febris ſecunda, aut tertia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

die poſt partum ſuperuenerit, non autem ſi acciderit ſexta, aut ſeptima ex ſequentibus. Huius tamen reſponſionis vanitas ex Epicratis vxoris hiſtoriâ comprehenditur: quippe Epicratis vxor ſecundo à partu die febre fuit correpta; & tamen à febre non à partu numeratio in ea fit; namque Hippocrates ſe ipſum declarat, inquiens: *Sextâ die à quâ febris ipſam corripuit.* Similiter Dromeadis vxor, quæ filiam pepererat, poſtridie rigore, & febre acuta fuit apprehenſa, quinto die non à partu, ſed à febre obiit: quippe, ait Author eam die quo rigore, & febre correpta eſt, ex præcordiis laborare coepiſſe, poſtridie eius diei, quo riguerat, aluum commodè reddidiſſe, tertio riguiſſe, quarto dolorem præcordiorum paſſam fuiſſe, quinto ſitibundam, faſtidioſámque ſubitò obiiſſe.

Auicenna magis ad narrationem hiſtoricam, quam ad id quod Hippocrates in Prognoſticis præcipit reſpiciens, in omni euentu nulla adhibita diſtinctione à febre exordiendam eſſe computationem exiſtimat. Eius hæc ſunt verba: *Et ſi pepererit mulier, deinde accidat ei febris, tunc fiat computatio ex febre, non ex partu: ex illo enim eſt error.* Adiungit poſtea, *Et plurimum quod accidit eſt febris poſt ſecundum, aut tertium diem à partu.*

l.4.tr.2.c.1.

Soluunt communiter neoterici hanc difficultatem, diuidentes partum, in partum naturalem, & non naturalem. Vocant nonnaturalem illum, qui cum difficultate fit, & cum grauibus ſymptomatibus, & purgatione diminuta; naturalem vocant, in quo leuia ſympromata accidunt, & purgatio intra terminum à Naturâ præſcriptum ritè, & rectè procedit. Profectò ſi quæſtio de nomine habenda eſſet, iſta partus non naturalis acceptio neutiquam foret recipienda: neque enim partus naturalis, & non naturalis differunt penes ſymptomatum grauitatem, & purgationum quantitatem, ſed tempus pariendi, & modum figurámque exeuntis foetus. Itaque ſi præcociùs fiat quàm conueniat, aut exeat in figurâ præpoſterâ, nempe ſi pedes, aut brachia priùs emittat, aut obliquè ſe ſe conſtituat, non naturalis eſt partus, ſi verò abſoluto geſtationis tempore, hoc eſt, tranſacto octauo menſe, & figurâ conſuetâ, atque commodâ eueniat, naturalis cenſetur. Penes ſymptomata autem partus difficilis, aut facilis appellatur; debita verò lochiorum quantitas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

quantitas, si in partu non accidat, causa difficilis partus esse potest: quandoquidem (vt diximus) siccitas difficultatem ingerit pariendi; si post partum; iam ab hoc symptomate non denominatur difficilis partus, aut non naturalis, sed est causa per se, aliorum symptomatum.

Porrò prædicti Authores considerant febrem in partu laborioso intra dies puerperij, & sic à partu computare incipiunt. Rursus considerant febrem in partu, qui feliciter successit, & tunc à febre computationem ordiuntur. Probant istam sententiam: quia partus laboriosus, quem non naturalem appellari diximus, est præternaturam, qui cum satis multas operationes lædat, non est cur non dicatur morbus, partim in intemperamento, & affluente succo, partim in praua compositione consistens. Quæ igitur febris intra purgationis tempus in quo non rectè mulier purgatur, euenerit, ab ipso partu procedere censetur, & rationem symptomatis habet. Quemadmodum enim febris, quæ pendet ex inflammatione, aut graui vlcere, aut aliquo alio morbo, ab ipsius morbi die computari debet, non à febre; sic dicendum est si ad partum non naturalem superueniat febris. Huius rationis Author mihi videtur fuisse Petrus Aponensis, in suo Conciliatore. *diff. 100.*

Redarguitur tamen ex historia mulieris, quæ apud frigidam aquam in Thaso habitabat. Hæc postquam filiam peperit, neque fuit purgata, tertio à partu die, febre acuta correpta est, cum horrore vehemente, & tamen (vt colligere licet ex historiæ contextu) Hippocrates à die febris computationem est exorsus, quamquam partus fuerat non naturalis: quippe mulier non fuit purgata Amatus Lusitanus, & Vallesius, historiam huius mulieris, quæ apud frigidam aquam habitabat, & aliam vxoris Dromeadis, & alias huius census existimant scriptas esse ab Hippocrate tanquam obseruatore, seu historico, non verò vt præceptore: etenim in Epidemiis historias tantùm referebat, & experimenta captabat, vt sententias posteà in Aphorismis, & Prognosticis reponeret. *3. epid. sect. 3.* *cent. 1. cur. 34. in schol. Valles. lib. 10. contr. c. 4.*

Absit tamen, vt dicamus Virum Medicum, etiam in historiis narrandis parum medicè se gessisse. Profectò magnus vir, siue historias narret, siue artis præcepta tradat, semper, vt artis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

eſt loquitur. Demus igitur quod in Epidemiis hiſtoricum agat (neque hoc penitus concedendum eſt, ſiquidem ex eo libro multa addiſcimus, non tanquam ex hiſtorico, ſed tanquam ex Medico) hiſtoricúſne à ſermonis proprietate abhorrere debet? minime. Quanto igitur magis artifex in arte ſua, qui ex lege tenetur.

Porrò eius ſum opinionis, vt exiſtimem Hippocratem in Prognoſticis voluiſſe, vt ex partu computatio fiat, præceptum tradens quaſi in re dubiâ, hoc eſt, in re, de qua dubitare aliquis poſſet. A febre autem computationem fieri non dixit: quia hoc erat manifeſtum, non tamen negauit. Itaque exiſtimo in omni puerpera febriente, ſi febris accidat intra pręſcriptos purgationis dies, ſemper vno oculo attendendum eſſe ad horam in qua mulier cœpit febrire, de quo non loquutus eſt Hippocrates in Prognoſticis, quoniam videbat neminem fore qui hoc negaret: Altero oculo ad diem partus, hoc eſt, non ex quo partus in lucem fuit editus, ſed ex quo graues parturienti dolores, & manifeſta ſigna acciderunt. Tunc autem conſiderandum an fortaſſe dies à partu, & dies à febre ita intra ſe coeant, vt in vna, & eadem die decretorius à partu, & decretorius à febre coincidant: in quo caſu maiore cum ratione criſis expectanda eſt, ſiue bona, ſiue mala, provt præcedentia ſigna pollicebantur: quippe ea dies duplicem habebit iudicandi vim, vnam à partu acceptam, alteram à febre. Si vero dies ſit decretoria, computando à partu, non autem à febre; Conſiderare oportet an partus fuerit facilis, an difficilis, vtrum purgationes rectè ſucceſſerint, an fuerint diminutæ. Iuxta hanc conſiderationem ratio elicienda eſt, vt ſciamus cuinam diei maior ſit habenda fides, num computationi, quæ fit à partu, an alteri quæ à febre fit.

Quod ſi aliquando accidat, vt dies in quo febris corripit ſit decretorius (vt accidit Philini vxori, quæ decimoquarto à partu die febricitare incepit) nulla tunc temporis eſt difficultas: ſimul enim dies partus, & dies febris vnica numeratione computantur. Atque hæc mihi videtur vera doctrina, & Hippocratis menti conſona: ſiquis enim eius hiſtorias peruolutauerit, reperiet eum modò à partu, modò à febre cœpiſſe numerare, provt ſe ſe illi offerebat occaſio loquendi, tanquam in re, in qua

nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

nihil intererat si sic loqueretur. Constat ergo diuinum senem in Prognosticis numerationem à partu exordiendam esse recte dixisse, recte etiam ab eodem numerationem à febre fuisse factam: A partu quidem tanquam peculiari numerandi ratione, quæ parturientibus debetur; à febre autem, ratione communi, in qua omnes febricitantes conueniunt.

PARTICVLA IV.

Ratio computandi dies criticos in recidiuâ.

ANteactæ controuersiæ, controuersia altera affinis est, de computatione crisimorum in recidiuis. Reuertuntur morbi non semper, sed prout occasio postulat. Hinc Hippocrates; *Quæ relinquuntur in morbis post iudicium recidiuas facere consueuerunt*: quam sententiam pluries repetit. Dixi [*prout occasio postulat*] quia occasionem recidiuandi præstant, tum constitutio temporis, tum morbi malignitas, tum ægri incontinentia. Temporis constitutio multoties recidiuas affert: nempe humores crassos gignendo, qui nunquam perfectè iudicantur, & sic imperfectæ fiunt crises, quæ recidiuandi occasionem præstant: morbi malignitas non imperfectas, sed infidas crises efficit; vnde cauendum à Brasauola, qui infidas cum imperfectis confundit. Tametsi autem tam imperfectæ, quam infidæ, recidiuas polliceantur; nihilominùs diuersæ sunt inter se: diminuta iudicatio morbum non omnino abstulit, infida abstulit, sed abstulit secundum quoddam specimen, etiam quoad signum securitatis, hoc est, quoad coctionem, quam Hippocrates securitatem significare ait, sed maligni morbi venenata materia coctionem non admittit; quare cum hæc cruda maneat, licet alia sit cocta, parum refert ad stabilem sanitatem; imò venenum pullulans, coctionem alterius materiæ irridet, ita vt possit illud dici, *Morbus curatus, & tamen æger periit.* Tandem ægroti incontinentia (quam tertiam reuersionis morbi occasionem esse diximus) efficit, vt tametsi non maneat materia valde multa, sed tantummodo dispositio, huic potuit error

in victu fermentum addere non parum efficax ad morbi resurrectionem.

Argenterius hanc diſpoſitionem malignitatem eſſe ait, eam enim quæ à ſolis qualitatibus pendet, non exiſtimat poſſe recidiuas facere: propterea, ait, vlcera maligna in quibus nec frigus, nec humiditatem, nec ſiccitatem damnare poſſumus, poſtquam cicatrice ſunt tecta ſæpius recrudeſcere, ob malignam diſpoſitionem, quæ ex liuore, nigritiéque relicta in parte apparet. In his omnibus meo quidem iudicio decipitur. In primis non rectè malignitatem diſpoſitionem appellat, quippe malignitas non diſponit ad malum, ſed per ſe ſolam eſt quidpiam valdè malum; quod ſi per aliquod tempus, vel ex defectu materiæ, vel ex mutatione loci non profert ſuos effectus; non tamen proinde cenſeri debet non malum. Deinde diſpoſitiones in qualitatibus primis aptiſſimæ ſunt ad inferendos morbos: quippe diſcraſia quæ poſt febrem remanet, niſi caſtigetur & refrænetur, poterit materiam diſponere ad putredinem, ſi calor eſt; ſin frigus ad craſſitiem obſtruentem; ſi humiditas ad laxitatem infirmantem; ſi ſiccitas, ad anguſtiam meatuum, commeatum ſpirituum impedientem: hæ ſunt vere deſpoſitiones. Liuor autem, aut nigrities relicta in vlcere poſt inductam cicatricem, fit à ſanguinis portiuncula quæ extra vaſa remanſit, atque licet reſoluta fuerit, (aliter non poterat cicatrix induci, & plaga ſanari) manet tamen eiuſdem tinctura quædam non nocua, quæ non eſt vlceris recrudeſcentis cauſa.

Offert ſe hic difficultas, quæ multos tenet irretitos, num ſcilicet recidiua ſit eadem cum ſua radice? Ita tenent non pauci, in quorum numero eſt Valleſius, qui tamen contrariam ſententiam non omnino improbat: quippe recidiuam, & radicem, hoc eſt, priorem morbum, eiſdem vniuerſalibus totius morbi temporibus, includi dicunt, quod monſtrant exemplo Anaxionis morbo laterali laborantis, in cuius hiſtoria dies recidiuæ, & dies prioris morbi ſimul numerantur: ſiquidem vigeſimo ſudauit, liberatus eſt: vigeſimo ſeptimo rediit febris; trigeſimo quarto eſt iudicatus; trigeſimoquarto, inquam ab initio prioris morbi.

10. lib. contr. cap. 5.

3. epid. ſect. 3. agr. 8.

Deinde

Deinde conſiderant febrem intermittentem, quæ inter vnam, & alteram acceſſionem ad infebricitationem deſinit, ſuntque per aliquot horas ægri à febre omnino liberi: neque tamen febrem intermittentem dicimus plures morbos, ſed vnum duntaxat, cur ergo recidiuam, & ſuam radicem plures morbos eſſe dicimus?

Tertio radix ad recidiuam terminatur: quippe prioris morbi terminus ad recidiuam protenditur, igitur recidiua eſt pars ſuæ radicis, conueniúntque ambo in vno tertio, hoc eſt, vnam numero ægritudinem efficiunt.

Nihilominùs magis rationi conſonum eſt dicere recidiuam, & priorem morbum ſpecie quidem conuenire, ſpecie tamen non prorſus ſpecialiſſima: nam poteſt prima radix eſſe intermittens, recidiua autem continua, vel è contra; in reliquis autem conueniunt: quandoquidem quando ad vnum morbum alius genere differens ſucceſſit metaſtaſis eſt, non verò recidiua. Sic Hippocrates, *Aliæ febres*, inquit, *in quartanas abſcedebant*, quare hos morbos qui ad alios diuerſos conſequuntur, quaſi abſceſſus quoſdam imaginabatur e.g. hydropes qui ex acuto morbo eueniunt, paralyſes, in quas apoplexiæ mutantur, & multa alia huiuſcemodi.

Recidiuam autem à priori radice differre numero probatur, quia morbus quilibet ſolutus, niſi accedat recidiua, per ſe ſolum integer eſt, res autem quæ rei integræ accedit, non eſt pars eius, ſed quidpiam ſuperadditum, quod numerum auget. Deinde ſupponamus morbum priorem habuiſſe ſuam conſtitutionem optimè ordinatam vſque ad vigeſimum, tunc autem fuiſſe iudicatum: Quis negabit morbum fuiſſe acutum? Accedat poſteà recidiua, & producatur ad quadrageſimum: Profectò ſi eſt idem morbus, iam habuit integram acuti morbi conſtitutionem; nunc habet conſtitutionem chronici: & ſic vnus, & idem morbus erit chronicus, & acutus, quod rationi contradicit. Si verò dixeris multoties morbum acutum produci vſque ad terminum chronicorum, hoc quidem non obſtat: nam dum morbus non fuit ſolutus, non habuit ſuam integram conſtitutionem, potuítque ex acuto in chronicum degenerare; at verò ægritudo ſemel ſoluta, & ſuam conſti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

constitutionem sortita, non potest manere eadem, & simul in aliam transmutari.

Quicquid autem in contrarium fuit adductum facilè soluitur. Nam ad primum, non admittimus eadem esse, & radicis, & recidiuæ vniuersalia tempora: quippe si ita foret, includerentur etiam dies, quos durauit sanitas interiecta, & ex duobus morbis,& vna sanitate fieret vnum, quod est risu dignum. Ad Anaxionem respondet Brasauola eum à principio vsque ad diem trigesimum quartum morbum lateralem habuisse: quamuis febris vigesimo die desierit, & vigesimo primo iterum redierit. Cæterùm hæc responsio non est recipienda: quippe febris, quæ cum inflammatione adest (vt iam superiùs diximus) symptoma est illius inflammationis, ac proinde desinit cum morbo. Deinde cum inter pathognomonica signa pleuritidis comprehendatur febris acuta, iam si febris desiit, signum pathognomonicũ etiã desiit,ac proinde desinente febre nõ erat pleuritis.Dicendum potiùs reor Hippocratẽ vario modo dies numerare, nunc à principio prioris morbi,nunc à principio recidiuæ, vt constat ex historia Herophontis; quippe dum ait quinto rediit,attendit non ad principium prioris morbi, sed ad eius finem, deinde cum ait, tertio die post recidiuam residebat lien, non respicit ad radicem: tandem cum dicit decimo septimo fuisse iudicatum, includit radicem,Hæc tamen in numerando varietas nihil nocet, dummodo consideremus recidiuam suos habere dies decretorios; cum ergo dies recidiuæ fuit quinta post nonam, fuit decima quarta à principio radicis; in hac autem morbus rediit, qui die tertia fuit iudicatus, hoc est, die decima-septima à prioris morbi initio, Sic Anaxion recidiuam habuit die vigesima septima; fuit vero iudicata die trigesima quarta, quæ fuit septima dies recidiuæ, & notatu dignum est trigesimam quartam si radix, & recidiua non differrent numero, non potuisse morbum perfecte iudicare, quem tamen iudicauit perfectissimè. Iudicauit quidem perfectissimè, quoniam erat dies septima omnium iudicantium princeps.

Cæterùm, Vallesius abscessum, ait, diuersa habere tempora à febre; admittit, & affert Hippocratis verba,cui ita sentire placuit

2.progn.58.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

placuit: recidiuas autem non ita se habere, sed iudicationum tempus in eis computari ab initio suæ radicis. Verumtamen in hoc secundo decipitur: siquidem Hippocrates aliquando expressè à recidiuæ initio calculationem orditur, vt videre est, apud eum cum ait; *Intermisit septimo, à recidiua iudicatus est, die quinto, & rursus aliquibus intermisit septimo, à recidiua iudicatus est die tertio.* Est quod mirer Vallesium, qui ait Hippocratem hic vnicam dierum computationem facere à principio totius morbi; dormitabat certè dum hæc scribebat.

1. epid. sect. 2. tex. 83.

Ad secundum, dicimus inter vnam, & alteram accessionem ordinem seruari, & præstitutos habere reuertendi dies, imò etiam, & horas: neque vna accessio dicitur per se morbus integer; licet enim habeat peculiaria tempora causæ coniunctæ, hoc est humori in minerà putrescenti respondentia, nondum habet tempora vniuersalia, quæ causæ antecedenti, nimirum materiæ intra venas existenti debita. Idcirco post multas accessiones adhuc morbus esse in principio dicitur, quia vrina quæ ostendit quomodo se habeat causa antecedens, nondum signa coctionis; saltem obscura præsefert.

Ad tertium, non terminatur quidem radix ad recidiuam: terminari enim vnum ad aliud tunc dicimus, cum se tangunt, vt si prior morbus tangeret recidiuam; cæterùm quoniam mediat salubritatis tempus, non est cur dicamus recidiuam esse terminum radicis, ac proinde nec eius partem.

Sed adhuc poterit quispiam dubitare, dicens, tanguntur quidem ratione materiæ quæ relinquitur ex primâ radice; cum enim hęc sit eadem quæ recidiua, causa, videtur posse dici ratione causæ vtramque se inuicem tangere. Quod autem recidiuæ causam habeant ex priore morbo relictam, manifestè constat ex præcitati aphorismi verbis. *Quæ relinquuntur ex morbis post iudicium, recidiuas facere consueuerunt.* Constat etiam quia prior morbus nondum est omnino extinctus; siquidem adhuc eius vestigia apparent, quæ Hippocrates expressit: ea sunt sitis intus relicta, & oris exsiccatio, & insuauitas, & inappetentia eadem ratione.

6. epid. sect. 2. tex. 20.

Quid autem relinquatur, si à Galeno quæris; ille tibi in commento Aphorismi respõdet esse humores alienos à natura corporis in quo continentur, neque aptos ad eius nutritionem: qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

neceſſariò ad putredinem conuertuntur: cum verò locus calidus fuerit in quo ſint collecti, facillimè putreſcent. Idemmet Galenus in ſexto Epid. citato, bifariam intus relinqui ait vno quidem modo humorem morbi authorem; altero autem, morboſum affectum: & addit quando prædicta recidiuæ futuræ ſigna, ſitim videlicet, oris inſuauitatem, & inappetentiam, narrat; intelligere ſe intus relictum morboſum affectum. Poſſumus itaque ex hac Galeni diſtinctione colligere, tria iſta ſigna non eſſe veræ recidiuæ, quæ ad morbum prorſus ſolutum conſequitur, ſed recidiuæ non veræ, quæ non excipit corpus in ſtatu ſalubri conſtitutum, ſed adhuc morboſo affectu laborans. Atque ita videtur reſponderi poſſe propoſitæ difficultati: ſcilicet ſigna illa quæ eueniunt morbo non planè ſoluto non efficere quominùs ſi morbus perfectè ſoluatur recidiua ſit à priori morbo ſaltem numero diuerſa.

Non tamen adhuc exhauſta eſt difficultas: nam quamuis nec ſitis adſit nec reliqua; quamuis etiam non relictus ſit morboſus affectus, ſufficit quod remanſerit humor morbum faciens, vt recidiua cum ſua radice perpetuitate cauſæ ſit eadem. Reſpondent aliqui eſſe quidem eamdem perpetuitate cauſæ, non tamen perpetuitate affectus, atque hoc ſufficere, vt duo affectus ſint non vnus. Ego tamen aliter ſentio nempe nec perpetuitate cauſæ eſſe vnum morbum: quippe materia quæ relinquitur vel putrida eſt, ſed pauca vt poteſt quæ ab alia denuo ſuperueniente aucta morbum accendere poteſt; vel cocta, ſed quæ non potuit euacuari, vnde pars aliqua remanſit, quæ licet non ſit apta ad nutriendum, non eſt etiam apta ad morbum gignendum. Si eſt putrida nec tamen morbum efficit niſi aucta à quantitate nouæ materiæ ſuperuenientis non poteſt dici cauſa eadem, vt e. g. ſi quis poculum vnum vini biberit à quo inebriari nequit, ſuperbibat plura alia pocula, & inebrietur non dicetur ebrietatis cauſam eſſe primum illud poculum. Sed dices eſſe ſaltem cauſam partialem; fatebor partialem, ſed quæ minima ſit pars totius, ac proinde à manima parte, cauſa non accipiet totam denominationem. Si vero materia quæ relicta fuit eſt cocta; nec apta ad gignendum morbum, niſi denuo putreſcat, non debet dici cauſa eadem, ſiquidem in priori morbo co-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ctionem obtinuit; in recidiua autem propter aliquem errorem in prauam lapsa est naturam.

Digressio.

Porrò cum Hippocrates dicat, *Quæ relinquuntur ex morbis post iudicium*; videtur de solis morbis agere, qui per crisim terminantur; quid ergo de aliis est dicendum qui per simplicem solutionem euanescunt? * Quamuis crisis propriè sumpta à simplici morbi solutione distinguatur, vt scilicet crisis fiat per subitaneam, simultaneámque euacuationem; solutio vero simplex sensim sine sensu, reponente scilicet Naturâ fere totam materiam morbificam in aliquo loco remoto, in quo cum ipsa natura pugnare nequeat, donec illinc vel per insensilem transpirationem, vel per solitas euacuationes tractu temporis euacuetur. Nihilominùs aliquando iudicationem pro quacumque morbi solutione accipi iam superiùs est dictum. Quapropter ad reliquias materiæ, sententia referenda est, siue remanserint post crisim propriè dictam; siue post insensilem morbi solutionem; quocumque enim modo ægritudo soluatur potest remanere recidiuæ suspicio.

Præcipuum autem signum, ex quo sumitur recidiuæ suspicio est defectus præcedentis coctionis; si enim vel diminuta, vel nulla cocti humoris signa adsint, quantumuis perfecta fuerit morbi solutio, nec maneat sitis, nec oris insuauitas, nec inappetentia semper solutio isthæc infida est, postulatque medici vigilantiam, vt scilicet post solutum morbum, & coctioni humoris incumbat, & euacuationi.

De magnitudine autem periculi quod secum recidiua affert, etiam Medicus solicitus sit oportet. Verùm quidem est recidiuam semper eo nomine esse prauam, quod ægrum ex priori morbo defessum accipit, quod Galenus in libro de affectibus, in omni morbo qui alteri superuenit considerauit. Attamen si præcedens coctio fuit valdè propinqua coctioni perfectæ, si euacuatio satis copiosa, sperandum est, vt materia quæ recidiuam affert, non sit potens ad excitandum magnum incendium, sicut accidit Herophonti, cuius prima ægritudo sudore fuit iudicata, qui sudor debuit esse non omnino diminutus, quandoquidem materiam adeo diminuit, vt parum fuerit quod remansit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

mansit, ideóque solum trium dierum laborem excitauit. Mensura ergo reliquiarum humoris ex mensura præteritæ, tum coctionis, tum euacuationis sumenda est. Vt si præcessit coctio exigua, si exigua etiam euacuatio, recidiua expectetur valde timenda: sin aliter pro cuiusque ratione.

Cur paucæ nostro hoc tempore fiant crises.

* Crisis nomen nostro hoc tempore superfluum videtur: quippe raræ fiunt crises, quod, & ad veterum temperantiam reducendum est, propter quam natura erat magis compos sui, & ad calidam intemperiem illius regionis, quæ humores gignebat valde stimulantes, & ad medicorum peritiam qui locum dabant naturæ, nostro autem hoc æuo qui medicinam faciunt, tum vt videantur aliquid agere, tum vt ægroto obtēperent remedia semper expetenti; obruunt vires naturæ eiusque operationes intercipiunt.

PARTICVLA V.

Ratio computandi dies criticos in abscessibus, qui per febres fiunt.

CONsiderandum abscessus alios esse quibus febres superueniunt; Alios, qui inuadunt simul cum febre; Tertios, qui ad febrem, tamquam critica quædam expulsio sequuntur: Isti vltimi eosdem dies criticos habent cum sua febre, quemadmodum etiam secundi, siquidem isti tertij incipiunt in die decretoriâ, secundi in eadem cum febre die. Priores quibus superuenit febris, vel ea est ephemera, vel est putrida. Si ephemera, nulla illius ratio habenda est; si putrida, quæ vel priùs non erat, vel si erat, non admodum vehemens, tunc suam habet considerationem; tamen quia febris tunc temporis signum est incipientis suppurationis dies iudicatorios ab illa febre vsque ad rupturam abscessus numerari licet: Erunt verò (vt docet Hippocrates) aliquando 20. aliquando 30. nonnunquam 40. atque etiam 60. dies; hi tamen dies intelliguntur in suppurationibus, quæ fiunt in membris respiratoriis, vt ex antecedentibus licet colligere. Debet prætereà aduertere, quod si bilis sit admixta fient ruptiones 7. die; sin minus pro ratione caliditatis loci patientis, & anni temporis, necnon, & regionis, aliæ aliis celeriùs, aut tardiùs eueniunt.

2. prog. 37.

T.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

In reliquis autem partibus abſceſſus dies ſuos decretorios habebunt, à die ſuperuenientis febris cum rigore; quia tunc incipit pus fieri, tunc enim ab humoris ebullientis mordicatione, febris augetur, & rigor oritur; & quia materia, quæ ſparſa erat, & diſtendebat, colligitur, fit pro dolore pondus: quæ omnia ſunt ſigna incipientis ſuppurationis, à qua numerandi ſunt (vti diximus) dies 20. 30. 40. 60. ſi ruptio expectanda eſt, ſin tamen ſuppurationis perfectæ ſigna adſint, non expectata ruptione abſceſſum aperire conuenit.

Nota

CAPVT VIII.

Quam ſinguli dies vim habeant.

PARTICVLA PRIMA.

De quadru plici dierum differentia.

RELICTIS inanibus ſophiſtarum Empyricorum ſententiis, quos Galenus ſatis reprehendit, quorum quidam criſim (dictante ratione) admittebant: quippe morbum hoſtem ſine magno conflictu Natura expellare nequit; alij criſim, (ſic monſtrante experientiâ, non negabant, dies autem decretorios negabant. Tertij etiam erant (contra quos diſputandum ſibi non putat, quoniam duobus principiis (rationi ſcilicet, & experientiæ) terga dabant, nec dies decretorios, nec criſim agnoſcebant. Omnibus notum eſſe arbitror aliquos eſſe dies magnis, & inſignibus deſtinatos mutationibus. Antiquis dies aliquot fuerunt in magnâ obſeruatione: Ægyptiorum ſacerdotes in priuatis, & politicis actionibus peculiares dies obſeruabant. Græci quoque ſuos dies habuerunt, quos ἀποφράδας, id eſt, nefandos appellarunt. Fuerunt apud Romanos infauſti quidam dies, qui ex Pontificum decreto neque præliares, neque puri, neque comitiales erant. Ruſtici & agricolæ in plantarum amputatione

1. dieb. decr. cap. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

dies peculiares obſeruant. Aſtrologi, & Genethliaci in ſuis natalitiis maximam dierũ rationem habent: Sunt, & nautis ſuſpecti quidã dies, quibus mari ſe non audent committere. Horũ aliqua ſuperſtitionem ſapiunt: Medicorũ vero circa dies obſeruatio ab experientiâ ortũ habet; cum enim in morbis dies alios aliis potẽtiùs viderẽt decernere; contemplati, quinam eſſent in quibus frequentiores fierent indicationes, ita fuerunt edocti.

- Dies in morbis ſunt;
  - Aut ſecundum quaternarios & hebdomadas inuicem cõnexi: Et hi.
    - Vel Decretorij, ſeu Critici, ſeu Iudicatorij.
    - Vel Indicantes, *Quos Hippocrates appellat Contemplabiles.*
  - Aut nullo hebdomadarum nexu coniuncti: Et hi.
    - Vel Intercalares, ſeu Intercidentes, *In quibus criſes ſolent celebrari ſed minùs perfectæ, quàm in criticis.*
    - Vel vacui, ſeu Medicinales; *vacui, quia ab omni criticâ euacuatione vacant; Medicinales: quia in his locum habet Medicus tutò exhibendi medicamentum purgans.*

- Dies verè & perfectè decernẽtes, qui idcirco etiam Principes dici ſolent.
  - 7.
  - 14.
  - 20.
- Dies Indicatorij
  - 4. ad ſeptimũ.
  - 11. ad decimũ quartum.
  - 17. ad vigeſimum.
- Dies Intercalares
  - 3. 5. *in primâ ſeptimanâ*
  - 9. 13. *in ſecũdâ ſeptimanâ.*
  - 19. *in tertiâ ſeptimanâ.*
- Dies Medicinales
  - 6. 8. 10. 12. 16. 18.

Differũt Critici ab intercalarib⁹ quatuor circunſtantiis.

- *Prima.* Critici iudicãt ſuapte naturâ, niſi aliquis circa ægrotũ cõmittatur error: Intercalares verò contra niſi committatur error non ſolent iudicare.
- *Secunda.* Critici aliquẽ (vt diximus) habent ad lunam reſpectũ; Intercalares ad ſolũ materiæ motũ, quæ interdum per pares fit, interdũ per impares provt materiæ conditio poſtulat.
- *Tertia.* Criticus poteſt eſſe indicatorius, & indicatorius poteſt eſſe criticus; Intercalaris non ita; neque enim vim iudicandi ab aliquâ dierum connexione habet.
- *Quarta.* Critici, vt plurimùm perfectè iudicant; Intercalares, vt plurimùm imperfectè.

Hanc doctrinam ab Hippocrate ſubobſcurè traditam; à Galeno tribus criſium; totidem, dierum decretoriorum libris fusè pertractatam, habes hic clare & breuiter explanatam. Vnum tamen reſtat problema ſoluendum.

Problema

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Problema.

Cur nõ possunt dies medicinales sicut intercalares iudicare;cum tamen tam in his,quã in illis Natura possit irritari; iudicatio autem intercalarium,motum duntaxat irritatæ naturæ sequitur?An quia irritationes quæ fiunt in diebus medicinalibus vt plurimùm malignitatis sunt soboles;ac proinde naturã magis expugnãt,quàm lacessant:succumbẽte autẽ Natura, vel nõ fit pugna,vel si fit,est ad malum. An etiam quia intercalares propter criticorum vicinitatem, digniores sunt quàm medicinales,qui à criticis magis distant.

Particvla II.

Differentia inter Pares, & Impares.

IN febribus intermittentibus cõputatio non per dies fit,sed per accessiones:quippe teste Galeno, *Quod in continuis dies potest;hoc in intermittentibus,accessio* : tunc enim Natura peculiari certamine incitata,ad vniuersalẽ pugnam faciliùs exurgit.Pari ergo ratione in continuis ea dies iudicationi magis apta erit,in quâ exacerbatio reuertitur.Continuas apello,quę differunt à cõtinentibus:hę enim vnã ab initio ad finem accessionem habent,illæ autẽ quamuis non desinant in ἀπυρίαν, hoc est,in quietem febre vacantem, suas tamen statutas habent exacerbandi horas.Cum ergo ex continuis acutæ à bile sint,vt Galenus admittit, cùm rursus bilis per impares moueatur: acutas per impares moueri consentaneum est. Quare videbitur fortasse alicui superuacaneum esse quærere,num prauum sit acutas diebus paribus moueri.

1.epid.sect.3. com.17.& 4. aph.19.

1.prog. com. 46.

Cæterùm aliud est moueri per impares,aliud moueri diebus imparibus : potest nanque iuxta peculiarem exacerbationum correspondentiam biliosa febris moueri per impares,hoc est,de tertio in tertium, nihilominùs exacerbationes,si totius morbi vniuersalẽ constitutionẽ consideremus, diebus paribus contingere. Exemplũ habes in Philisco cuius morbus fuit acutus,& motus eius de tertio in tertium,& tamen contingebant mutationes diebus paribus.

Existimat Vallesius febres moueri diebus paribus,ob longitudinem accessionum:quippe si prima accessio finiatur primâ die;febris

tertia

tertiâ reuertetur, & sic fient reuersiones diebus imparibus. Si autem prima illa accessio vsq; ad secundũ diem prouehatur, secunda exacerbatio, quarta die eueniet; & sic mouebitur per pares. Sed lapsus est non considerans, ea quæ in praxi eueniunt. Quamtumuis enim prima accessio per duos dies duret, secunda tertia die redit, & sic est quidẽ suapte natura, hoc est, quoad minerã intermittẽs, nihilominùs non habet quietẽ omnino à febre liberã, vocatúrque idcirco continua per subintrantiã; quasi dicamus ideò est continua quoniã subsequens accessio sub priore quæ nondũ finita est intrat. Ita etiam in continuis exacerbatio multoties durat, adeò vt subsequens adueniat, nullumque permittat declinationis signum adesse, vulgúsque ignoret an sit noua exacerbatio (nouam febrem appellat (quippe non videt inter vnam & alteram, aliquod intermedium solatium.

Quod si longitudo duntaxat accessionis est, quæ facit vt febris redeat diebus paribus, cùm accessiones, quò magis materia cocta est eò breuiores fiant, febris quæ priùs redibat quartâ die, progressu tẽporis redibit tertia. Rursus febris quæ priùs diebus imparibus exacerbabatur exacerbabitur paribus, confundentúrque tertianarum, & quartanarũ reuersiones. Poterat Vallesius in historiâ Philisci, quam explicat adducere rationẽ, cur in morbo acuto accessiones fiant diebus paribus: nempe, quia secundæ diei insultus maior fuit, quàm primæ; ac proinde insultus alter maior quarta die reuersus, reuersiones fecit diebus paribus.

Adiungit Vallesius, tantò deterius esse moueri morbum acutũ per pares, quartò deterius est quamcumque accessionem esse longiorem. Verumtamen leue esset hoc malum, siquidem vt fatigat longitudine præcedentis accedentis accessionis, sic consolatur tarditate subsequentis, nec Philisco tardabant exacerbationes, sed meridie semper redibant; sanè Hippocrates vltimo adiecit accessiones fuisse diebus paribus, tanquam vnum ex iis quæ ægrotum ad mortem breui tempore deduxerunt.

Vt intelligas quo iure acerbationes diebus paribus damnentur. Tres constituito hipotheses: Primam ex Hippocrate, maximè numerum imparem esse obseruandum, quoniam res impares in hanc vel in illam partem declinantes ægrotos reddunt, & Galenus in Commento dies impares multâ virtute pollere admonet. Alteram ex Galeno, *Diem ex se primariam habere decernendi virtutem; sed per*

4. acut. tex. 46.

3. dier. decr. c. 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

per accidens fieri, vt ratione quâ morborum iudicia frequentißimè in accessionibus accidunt (hæ autem in dies impares incidunt) eâdem in morbis acutis imparibus diebus crises contingant. Tertiam, ex eodem Galeno ibidem videlicet accessionem esse vnum ex iis, quæ Naturam stimulant, & veluti prouocant nullam quietem, vel moram concedentem, sed inchoantem, & mouentem, & veluti pugnam indicentem.

His ita constitutis accipito ægrotum febrem continuâ acutâ laborantẽ, qui tamen exacerbationes habeat diebus paribus; Iste vt optimam habeat crisim, debet eam habere in die decretorio; quamuis dies decretorius non coincidat cum die accessionis: Ex secundâ hypothesi dies per se habẽt primariam decernendi vim; per accidens autem est, vt ab accessione prouocentur. Et quoniam febris est acuta, iudicatorius dies ex primâ hypothesi erit impar; erit ergo dies iudicatorius extra diem accessionis; quoniã ergo ex tertiâ hypothesi accessio prouocat naturam ad pugnam, fiet crisis absque hoc stimulo, & sic vel imperfecta, vel non bona. Imperfecta, quia Natura minùs stimulata, minùs insurgit contra materiam morbificam; non bona, quoniam æger ex precedente accessionis labore lassatus, nouum laborem ferre nequit; itaque nec ex parte naturæ dabitur conferentia, nec ex parte ægroti tolerantia.

QVÆSTIO.

An diebus imparibus duntaxat fiat laudabilis crisis.

SI consulamus Hippocratẽ; Ille nobis, & paribus, & imparibus iudicationes non reprobat: siquidem *Quæ paribus* (inquit) *diebus accedunt, paribus iudicantur, quorum verò sunt imparibus iudicationes, imparibus iudicantur.* Nihilominùs eius assecla Celsus, eum noluisse, ait, in diebus tantùm imparibus fieri iudicium; ad quod persuasus est ex magni Senis sententiâ, *Febricitantes nisi diebus imparibus febris reliquerit, solent recidiuare.* At decepit eum isthæc sententia, quam vel adulterinam, vel adulteratam esse Galenus ait, nempe, vel falsò adiectam, vel turpiter vitiatam: Etenim aut tota sententia explodenda est, aut non scribendum *Diebus imparibus,* sed

1. epid. sect. 3. tex. 13.

4 aph. 61.

ſed *Diebus indicatoriis*; itavt ſit ſenſus; Febris quæ in diebus decretoriis non ſoluitur, ſed in aliis intercalaribus; reuertetur. Et hęc lectio adeò digna eſt quæ recipiatur, vt Caſtellonouenſis, qui ſemper à Galeno recedere erat promptus, in hoc ab illo non diſcedat, imò reprehendit Cardanum, Galenum reprehendentem, & forſitan nullibi alias hâc pietate eſt vſus.

2. aph 24.
2. epid. ſect. 1.
** 4. aph. vlt. & 2. epid. tex....*

Igitur Hippocratem, qui pares dies iudicatorios recipit, & alibi, numerat pares iudicatorios, non eſt credendum * dixiſſe, ſi non die impari febris dimittat, recidiuam expectandam eſſe. Et hinc eſt quod meliùs Galenus legit, niſi in iudicatorio die febris dimiſerit. Quod accepiſſe videtur ex Hippocrate, vbi ſic ait, *Si quibus febris deſinit, non cum indiciis ſolutoriis, neque in diebus decretoriis recidiuum expectare oportet*, Et in Coacis, *quibuſcumque deſinunt febres in diebus iudicatoriis, recidiuæ fiunt*, Et alibi, vbi interpres habet, *Si non die impari febris dimittat*, vertere debuiſſet, *Si non die legitimo, febris dimittat*, ideſt, die, qui legitimè iudicet, ſeu die iudicatorio. Sic vertendum exiſtimant Valleſius, & Petrus ſalius.

3. prog. 22.

Cardanus tamen non acquieſcit, inquiens, Hippocratem inter dies decretorios multos dies pares numeraſſe. At ô Cardane, ideò Galeno non placet hæc lectio, quoniam ſi legimus diebus imparibus, dies pares excludimus. Galenus verò non excludendos pares exiſtimat, qui ſolent etiam eſſe iudicatorij, ſed intercalares reiicit, in quibus aut rarò, aut nunquam, aut imperfectæ, aut infidæ criſes accidunt.

Neque verò contemnenda eſt Philotei reſponſio, qui licet ibi pro *Imparibus* intelligi patiatur, *Iudicatoriis*, addit in eo Aphoriſmo loqui Hippocratem de morbis acutis: hi enim imparibus, vel alternis diebus exacerbantur, propter facilem difflationem, & caliditatem materiæ; vbi autem acceſſio ibi iudicatio. Acutè igitur febricitantibus niſi diebus imparibus febris dimiſerit, recidiuant. Nam non eſt facta iudicatio lege naturæ, ſed violentia ſymptomatis. Sunt ergo morbi acuti in ſuis motionibus magis obnoxij diebus imparibus, quàm paribus. Ad hoc fortaſſis reſpicit Galenus, & cauſam reddens cur Hippocrates diem quartam prætermiſerit ait. *Si vero Hippocrates illam præteriit, hanc ob cauſam ipſum exiſtimo illud feciſſe: quoniam morbi plurimi peracuti, qui cum ſudore iudicantur, tertio, & quinto die magis, quàm quarto iudicium*

4. aph. 36.

ſuſcipiunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

suscipiunt. Et post pauca adiungit. *Hoc autem videtur accidere, quoniam morbi peracuti primam statim accessionem vehementissimam habent, & reliquas illis proportionales per diem tertium, &c.* Et idem Galenus dies impares multâ pollere virtute non simpliciter, sed in acutis, interpretatur.

4. acut. com. 46.

Possum commode hunc in modum Aphorismum interpretari, *Febricitantem* diebus imparibus, *nisi diebus imparibus febris reliquerit, solent recidiuare.* Quasi voluerit Hippocrates insinuare perfectas crises eas esse quæ diebus accessionum contingunt. Quod tamen (velut alia quãplurima artis documenta) sic intelligi debet, vt secundũ plurimum eueniat, non autem omnino infallibiliter. Nam Pericles die quartâ, & virgo Laryssæa sexta bene iudicati fuerunt.

Discursio per singulas seorsim dies, vt cognoscatur quid vnaquæque secum afferat.

Prima Dies, Et Secunda.

A Primo die ad vigesimum libet speciatim recurrere, & vniuscuiusque vim considerare. Primum, & Secundum Diocles iudicatorios statuit: Galenus tamen rem in hunc modum distinguit. *Si præceps ac subita in ægrotantis corpore perturbatio morbi solutionem præcidens Crisis, id est, iudicium nominatur, neque primum diem, neque secundum decretorios existimare oportet, quia illa vel vt fluctuatio solutionem præcedens, nequaquàm in his manifesta est: si verò solutio simpliciter, & absolutè est appellanda, fuerint & hi quoque decretorij; omnes siquidem febres diariæ dictæ solutionem partim in primo, partim in secundo nanciscuntur.* Sic ille, qui quæstionem hanc de nomine solum esse existimet.

1. dieb. decret. cap. 9.

Obiectiones verò aliquas quæ se se offerunt soluit idemmet Galenus; Prima est: Hippocrates, sic habet: *Circuituum verò, qui iudicant impartibus diebus, Primus, tertius, quintus, septimus nonus, vndecimus:* Ibi *Primum* diem inter eos qui iudicant numerare videtur. Respondet Galenus, circuituum non dierum mentionẽ factam fuisse. Cæterum hanc responsionem triplici de causa non recipiendam puto: primò, quia Galenus in Commento illius sententiæ contra-

3. dier. decret. cap. 8.
1. epid. sect. 3. tex. 14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

rium omnino sentit,& de diebus,non verò de circuitibus eam interpretatur: secundò,quia si de circuitibus agit, & primum inter impares iudicare dixit, cur secundum circuitum inter pares iudicatorios non collocauit?sed pares à quarto;impares à primo numerare incipit: Tertiò,quia ita se habent paroxymi in intermittentibus,vt dies in continuis;si igitur primus paroxymus iudicat,iudicabit,& prima dies. Quapropter,longè aliter interpretari libet,neque enim primum circuitum intelligimus, siquidem nec prima dies,nec primus circuitus decretorius est,sed ita vt sit sensus *Circuituum qui imparibus iudicant*, *Primus & Tertius.*

Secunda est: Hippocrates loquens de facie cadauerosâ, quæ à causis externis potest initio accidere,potest,& ab internis; adiungit, *Iudicantur verò talia per diem ac noctem , si ob has causas talis fuerit vultus*: Huic sic respondemus. *Iudicantur* eo loco Hippocrates non accipit pro crisi quamuis in græco sit κρίνεται,sed vt Galenus explicat in Com. ad cognoscendum an sit aliqua externa causa,an febris consumens, distinctio erit nobis de subsequente die noctéque. Ac proinde vt prædicto habet, intelligimus verbum *iudicantur* pro deprehenditur,& agnoscitur.

3.dieb. decr.

Præter has duas obiectiones à Galeno solutas potest aliquis obiicere ex eodem Galeno, morbum aliquem prima die ad statum peruenire posse, in statu autem fit crisis; In prima igitur die fit crisis, ac proinde prima dies decretoria erit. Dicendum putat quidam, in quacumque die posse hominem mori, non tamen in quacumque posse liberari: Vnde morbi qui primâ ad statum deueniunt, non sunt salubres, imò lethales, qui non iudicantur, sed magnitudine sua, & sæuitia homines, iugulant, iudicium autem non de malo, sed de bono absolutè dicitur.

1.cris.c.17.

Hæc tamen responsio, nequaquam est admittenda, tum quia contrariatur Hippocrati dicenti, *Febres iudicantur iisdem numero diebus, & ex quibus supersunt homines, & ex quibus intereunt.* Tum etiam quia apoplexiam vno die solutam per transmutationem in paralysim vidimus. Melius igitur dicendum est solutionem primâ die factam vt neque mortem, accidere per crisim, vt scilicet crisis sit habens præcedentia accidentia, quæ necessario veræ crisis rationem ingrediuntur. Male igitur con-

progn. 1.

tentiosus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tentiosus Castellonouensius mordicus tenet primam diem inter decretorias esse numerandam. Cur verò crisim expectabimus vbi coctionem expectare non possumus, at in primâ, & secundâ die concoctio nulla est, & hinc euenit quod euacuatio in iis diebus est pessima, quoniam, *Cum incipit morbus si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione; sed sunt omnia symptomata earum quæ præter naturam sunt in corpore dispositionum*, vt Galenus ait. *4.aph.22.*

Primum quarti indicatiuum esse dicunt nonnulli, inter quos est Mercatus, quod accepit ex Galeno. Verumtamen Galeni mens est ex die primo posse cognosci an æger moriturus, an liberandus sit intra primum quaternarium; quapropter etiam tertij diei erit iudex. Sic interpretatur Galenum Ioannes Lalamantius; cum enim dicat quod si quis ad primum diem acutâ febre corripiatur, at ipsi tamen periculosum nullum signum adsit, sed in vrinis aliqua coctionis nota sit deprehensa, huic die quarto, & non vltra morbus soluetur. Die quarto (inquit Lalamantius) id est, tertio, quia vt peracuti, de quibus sermo est, primo die vehementissimam habent accessionem, ita eam quæ tertio die fit, primæ proportione respondentem mancifcuntur. Per vehementiores autem accessiones crises fieri, & morbos qui imparibus commouentur, citius terminari didicimus ex Galeno. *1.dier.decr. c.vlt.& 1.crif.c.16.* *1.dier.decr. citato.* *4.aph.36.*

Quod si Philiscus prima die febre acuta correptus, cum tertio die ad occasum periculosa, tum signa, tum symptomata habuisset, extra quartum tamen (sexto enim obiit) iudicatus est. Id accidit (vt Galenus notat) quia accessiones in eo, diebus paribus factæ fuerunt, ipséque ad diem octauum sufficere potuisset, ni quintus sanguinis puris stillam, cum frigidis sudoribus, nec amplius recalescentibus, vrinis item nigris attulisset, quæ omnia satis arguebant eum accessionem sexto die futuram, perferre non posse, idem Sileno compertum est accidisse. *1.epid.*

Secundam diem ex intercalaribus primam esse existimauit Mercatus: Cæterum eandem cum prima fortunam habere constat ex Galeno, qui de prima, & secunda simul, & semel mentionem fecit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Tertia dies.

Tertius dies primus eſt iudicantium eorum,quos intercidentes appellant Medici, quia nempe iudicandi vim habet ab inordinato fluxæ materiæ motu, & *Ex paruo imbecillíque prodit principio.* Quod Ariſtot. docet, quo loco tertium diem decretorium eſſe aſſerens, ait, *Cur Aquilo nocte exorſus die tertiâ ceſſat? Vtrùm quia ex paruo,imbecillíque initio prodit, tertius autem dies decretorius eſt.* Sic ille. Porrò Hippocrates, & paſſim Galenus, tertium inter decretorios primo loco ſtatuunt.

ſect.26.probl.13.

4.aph.36. & 1.epid.ſect.3. tex.14. Gal. 3.prog.1.3. dieb.decr. cap.8. 4.aph.36.

Sed dices,Galenum ſcriptum reliquiſſe;*Tertium anticipare quartum in breuioris temporis morbis; quartum verò eſſe primum indicatorium.* Reſpondeo hoc quidem verum eſſe, ac propterea in ſerie ſuperiori primum locum inter verè iudicatorios quartæ diei conceſſimus.Tertiæ verò primum locum intercalarium; eſt namque intercalaris quia ſolius materiæ motui reſpondet, non verò alicui lunari concurſui; quippe ſunt quidam dies ſeptimanam diuidentes, in quibus Luna in medio quadræ conſiſtit,alij abſoluentes,in quibus Luna quadram ſui motus abſoluit: Primi ſunt indicatorij,Secundi iudicatorij; vtrique tamen poſſunt decernere auxilio cœleſti.Hac ratione neque inter indicatorios eſt numerandus, verùm duntaxat ratione materiæ, & motus acceſſionis eius: Non igitur habet aliquam cum prima ſeptimana communionem, aut ſocietatem,ſed caſu tantùm, ob prædictam materiæ vehementiam rapit ad ſe criſim quartâ die futuram.

De vi indicandi quartæ diei.

3.aph.24. 4.aph 71.

Notiſſimum eſt quartam diem indicare quid in ſeptimâ euenturum ſit, vnde ſummus Dictator, *Septenorum quartus eſt index*, Et alibi, *Quibus criſis die ſeptimo futura eſt, iis vrina rubram die quartâ nubeculam habet.* Imò verò cum omnes dies iudicatorij principes per ſeptimanas numerentur, & vniuſcuiuſque ſeptimanæ quarta dies ſit media, fit vt ſemper reſpectu diei iudicatoriæ quarta ſit quæ indicat; ita tamen, vt quemadmodùm primus ſeptenarius potentius iudicat quàm alij, ſic primus quaternarius efficaciùs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

efficaciùs indicat: deperditur namque progressu vis iudicandi, deperditur similiter indicandi dignitas.

Exceptio.

Ne tamen infallibilem existimes quarti diei indicationem; potest námque contingere aliquando vt crisis quarta die indicata, die septimâ non eueniat, quod Galenus non siluit quippe ait, *Si manifestum quarto die malum signum fuit, septimo die mors expectanda, sin obscurum etiam hinc quoque excedit; Nisi tamen erratum aliquid circa ægrotum fuerit; errare autem sæpessime contingit.* Sic ille. Errores autem circa ægrotum quadrifariam fieri elicitur ex Hippocrate; errat namque Medicus imprudens; æger inobediens; minister negligens; Peccatur etiam in iis quæ exteriora dicuntur; hoc est, quæ ægro offeruntur.

1.dier.decr. cap.11.

1.aph.1.

Appendix.

Adde iis quæ quartæ diei indicationem impediunt,tum ægrotantis, tum morbi naturam, Natura ægri, scilicet si biliosus sit, & iuuenis, potest efficere, vt crisis anticipet; sin pituitosus, & senex postponat. Natura morbi etiam crisim promouet, aut retardat.

De vi Iudicandi quartæ diei.

Poterit alquis dubitare, An quarta dies iudicare etiam possit: ratio dubitandi, est, quoniam dum Hippocrates iudicandi dies recenseret, quartam omisit. Nihilominùs id fecisse credendum est, non quia non omnino iudicet, sed quia iudicet rarò. Ita sentit Gelenus, ita suadet, & ratio. Galenus, qui Archigenem bis, se autem semel hanc crisim vidisse refert, Ratio quoniam crisis huius diei duas requirit conditiones, quarum quælibet raritatem præ se fert: vna quoniam febris, quæ hâc die iudicatur synocha est, nempe vnam habens à principio ad finem vsque accessionem siue crescendo procedat, & dicitur Epagmastica; siue decrescendo,& Paragmastica appellatur; siue eundem seruet

3.crif.c.4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

ſeruet tenorem, & vocatur Omotonos: at febris iſthæc ſinocha rarò accidit. Secunda, vt nullus committatur error: rariſſimum verò eſt nullum committi errorem. Tum igitur ob hanc raritatem, tum quia quarta iſthæc dies imperfectè iudicare ſolet, fit vt quæ inter iudicantes præcipua eſt, inter iudicantes ignobilis habeatur. Nihilominùs non eſt à iudicantium numero excludenda: hanc enim vim habere exemplis docemur. *Pericles in Abderis quartâ die multo ſudore iudicatus eſt. Caluus Lariſſæ quartâ die ad meridiem periit*, vtrobique diligens narrator Hippocrates addit *Acutum*, inſinuans admirabilem motus velocitatem. Porrò hæc iudicandi poteſtas, quæ quartæ diei attribuitur: Hippocratis authoritate nititur dicentis: *Simpliciſſimæ febres, & ſignis formatæ ſecuriſſimis quartâ die, aut citiùs deſinunt, deterrimæ verò ac ſignis affligentes difficillimis, quartâ die, aut citius interimunt.*

3.epid.sect. 3.tex.77. eodem lib. tex.76.

3.prog.2.

Si quis autem quærat quænam ſit dies quartæ diei indicatiua? Cum Galeno eſſe primam Reſpondeo; primam diem, inquam, in continuis: in intermittentibus autem primam acceſſionem: quod enim in continuis dies præſtat (vt iam ex Galeno diximus) id intermittentibus acceſſio.......

1.dier.decr. cap.13.

FINIS.

D. STEPHA

D. STEPHANI RODERICI

CASTRENSIS LVSITANI,

CHYRVRGICO-MEDICVS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Perillustri & Nobili Viro

D. PELLIGRINO VITI.

IN lucem iterum hoc mei Parentis opusculum affero, quod post eius obitum typis iamdiu mandatum fuit Florentiæ: & nusquam profecto, hâc vrbe exceptâ, fuisse arbitror lectitatum; auaritiâ enim, cuius præcipuè notâ est inurendus Typographus, existimo factum, vt pauciora in lucem ediderit exemplaria. Quamobrem Tibi, Vir Amplissime, quodcumque est operis esse dicatum volui, vt tuis innixum auspiciis, faciliorem, quàm anteà fortunam valeat experiri. Quod minùs improbo factum, cum mihi Humanitas tua, cui maxime sum auctor, vt munusculum hoc læto accipiat animo, id futurum recipiat; nam etsi de iis rebus, quæ omnibus sunt inuisæ, disserere videatur, nemo tamen, cum necessitas postulat, suam debet aspernari medelam. Cum verò Te omni, vt debeo, prosequar obseruantiâ, Deum enixè oro, vt tua vota secundet. Vale.

TVVS EX ANIMO.

FRANCISCVS CASTRENSIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Ad Lectorem.

HAbes hic, optime Lector, Doctoris in arte medica præcellentiſſimi priuatas lectiones, quas Vir eximius dictauit, non pro ſua eruditione ſingulari, quæ opus longè copioſius, & omnibus numeris abſolutius edidiſſet, ſed pro auditorum captu, & vtilitate, cui potius quàm ſibi ſatisfecit. Auctorem tamen, & ſummam eius doctrinam ex hoc opuſculo ſatis agnoſces, quemadmodum Conſtantinus Porphyrogenitus ex digito Coloſſi Rhodij totam eius molem comprehendit. Fruere præclaris documentis egregij Doctoris, qui nihil habuit antiquius, quàm medicinæ ſtudioſis opitulari. Vale.

CHYRVR

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

CHYRVRGICO-MEDICVS

SEV

DE CHYRVRGICIS ADMINISTRATIONIBVS.

PRIVATÆ LECTIONES.

Præfatio.

QVANDOQVIDEM finis Medici eſt ſanitatem parare, conſequíve, vt eſt ſententia Gal. lib. de iis, quæ in Medicatrina fiunt cap. 1. & lib. de optima ſecta cap. 5. lib. de ſectis ad eos, qui introducuntur cap. 1. ad quem finem vt perueniat, neceſſe eſt, vt ſibi ante oculos proponat morbi ideam, iuſtâ qualitatis, temporis, & loci conſideratione, & ſic facilè, ac promptè auxilium quod optimum futurum ſit, intelliget: quo intellecto, non adhuc finem poterit aprehendere, niſi auxilij materiam, aſſequendo fini accommodatam, inueniat. Quamuis autem auxilium ſit vnum, materia tamen multiplex eſt, in qua admiſtranda, præhabitæ de morbo conſiderationi correſpondere debet, ita vt quemadmodum talis conſideratio, qualitatem, (vt diximus) quantitatem, tempus, & locum reſpicit, ita, & remedia in qualitate, quantitate, loco, & tempore debitis ſunt adminiſtranda. Ex quo intelligitur id quod Gal. millies inculcauit, ſcilicet præter id, quod ſit agendum, rectam quoque eius adminiſtrationem requiri. Hac de cauſa operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi vobis, qui & cognitionem morborum, & cauſarum differentias aliunde habere, necnon, & quæ ſint medica auxilia ex aliis ediſcere poteſtis, his domeſticis lectionibus adminiſtrandi modum tradam, non quidem remediorum omnium, ſed duntaxat quæ ad chyrurgiam pertinent, nam quæ ad pharmaciam, & dietam ſpectant in alias occaſiones reſeruabo. De his igitur chyrurgicis priùs tractare volui, maiori vtilitati veſtræ conſulens, ſiquidem hæc ſunt, in quibus maiores occurrunt dubitationes, & in quibus grauiſſimè peccatur, quando error, qui in eis committitur, turpis admodùm eſt, & calamitoſus. Non me latet, ab Hipp. dictũ *Turpem eſſe calamitatẽ, ægrum ab epoto medicamento mori*, & alibi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

nempe libello de purgantibus medicamentis, maximè purgantium medicamentorum vſum timere; quare ea in fortibus febribus propinari prohibet, niſi in declinatione, quando iam violentia morbi remittitur. Vnde Gal. de Cur. rat. per ſanguinis miſſionem, ita inquit, *Quod ſemel in ventrem deuoratum eſt medicamentum, quominùs omne deuoratum ſit, fieri nullo modo poteſt, neque poſſibile eſt, vbi pluſquàm conueniat, iam purgetur homo, partem oblati auferre.* At in ſanguinis miſſione cap. 12. *ſummum id bonum eſt, euacuationem, dum voles, poſſe ſiſtere, ac rurſum quo videatur tempore, fluere ſinere, Et 2. de vic. acut. tex.* 11. nullum ex ſanguinis miſſione periculum vitæ impendere teſtatur, *& lib. de venæ ſect. aduerſus Eraſiſtratum cap.* 7. enumerans damna, quæ ex purgante medicamento ſequuntur, nempe refrigerationem, tormina, dolores, morſus, & animi deliquia, colligit, purgationem periculoſiorem eſſe, quàm ſit miſſio ſanguinis. Hæc quamuis ita ſe habeant, & pharmacum ebibitum, ſic ſicut lapis proiectus, qui ampliùs reuocari non poteſt, miſſio autem ſanguinis equus, quem habenis regere, cohiberéque poſſumus, non tamen negandum eſt, maximam in adminiſtrandis chyrurgicis remediis curam eſſe adhibendam. Nam in primis ſanguinis miſſio, ſanguinem, qui vitæ theſaurus appellatur, vtpote qui, & proximum eſt noſtri corporis alimentum, & potiſſimus virium reparator, euacuat; quare in eâ exercendâ maximam circumſpectionem adhibere conuenit, præcipuè cum multoties lethalis error in ea committatur. Nec minorem expoſtulant diligentiam, reliqua chyrurgica auxilia, quæ omnia quantò ſunt patienti moleſtiora, eò magis pertimeſcenda: quapropter Medicus iis vſurus curare debet, ne cum damno, vel ſine fruge applicentur. Ordiamur igitur à miſſione ſanguinis, vtpote quæ vnum eſt ex duobus auxiliis, quæ Gal. appellauit magna; ac propterea primum inter chyrurgica remedia locum obtinet.

CAPVT PRIMVM.

Sanguinis miſſionis Definitio, Præſtantia, & Neceſſitas.

DVplici de causâ dicimus, ſanguinis miſſionem vniuerſaliter euacuare; primò ratione humorum, quos ſimul omnes è corpore educit, & ſic dicitur à Gal. 2. aph. 17. euacuatio omnium humorum æqualiter. Quod ſi aliquod reperiatur medicamentum compoſitum, omnes ſimul humores educens, non propterea reiicienda eſt hæc vniuerſalis ſanguinis miſſionis acceptio; etenim medicamentum purgans, cum nonniſi à calore noſtro alteratum in opus exeat, purgatióque, trahente medicamento, & expellente partis naturâ, ſuccedat; is ſemper humor priùs educetur, qui vel medicamento magis familiaris, vel naturæ magis erat infeſtus. Vnde non ſimul, quaſi dicas promiſcuè omnes, ſed ſimul hoc eſt continuato ordine, vnum poſt alium

euacuabit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

euacuabit. Adde, quòd pharmacum delectu semper operatur, sanguinis verò missio omnes humores indifferenter euacuat, nec putridum magis, quàm non putridum educit, verùm per eam omnes simul, nulla habita electione, qua data porta ruunt.

Dicitur prætereà sanguinis missio vniuersalis, nempe ex parte loci; Etenim non solum è venis (vt perperam voluit Argent. 3. art. med.) sed, etiam successiuo quodam tractu, sanguis ex vniuerso corporis habitu per venæ sectionem extrahitur; namque est mira quędam venarum series, & continuatio, per quam vniuersus sanguis transfunditur, ita vt patente via ad animi vsque defectum, nonnunquam ad interitum extrahatur. Prætereà totius corporis commeatus permittit, vt inanitæ, & indigentes partes trahant è plenioribus, & pleniores illis subsidio veniant. Itaque venæ sectio, licèt vno tantum in loco fiat, totum tamen corpus est apta euacuare.

Recte igitur Auic. 4. 1. cap. 20. phlebotomiam, ait esse euacuationem vniuersalem, sed non rectè addit *quæ multitudinem euacuat*, nam licèt per sanguinis missionem multitudo euacuetur, tamen non sola: ac propter aliquid amplius deberet addere, ne cum Menodoto Empirico coincidere videretur, quem Gal. reprehendit 4. acut. 19. quoniam in sola plethorica appellata syndrome sanguinis missionem exercendam asseuerabat.

Est ergo sanguinis missio vniuersalis euacuatio, omnes humores æqualiter, atque derepente euacuans. Cum vniuersalem dico, respicio solùm ad locum, hoc est, ad vniuersum corpus; nam si vniuersalem accipiatis ratione humorum, frustra addita erunt reliqua verba *omnes humores euacuans*. E contrario particula *æqualiter* respectu humorum, & non loci intelligenda venit. Neque enim sanguinis missio, æqualiter ab omni loco euacuat, cum melius à propinquis quàm à distantibus, & ab iis, quæ è directo respondent, quàm ab aliis, quæ à transuerso sunt, educit. Sed dicitur æqualiter, quia æqualitate quadam iuxta proportionem omnes humores per sanguinis missionem extrahuntur; cum proportionem auditis, intelligite eam, quam humores nostri corporis inter se seruant, de qua paulo infra agemus cum de plenitudine erit sermo.

Porrò vniuersalis euacuatio ponitur loco generis, & quoniam perspiratio, alui subbductio, & forsan vomitio (vt voluit Fernelius 2. meth. cap. 2.) à toto corpore possunt euacuare, atque hoc solo nomine vniuersales dicuntur, idcirco, vt ab his sanguinis missio excludatur, additur loco differentiæ (omnes humores vniuersaliter euacuans) hoc enim est ei maximè peculiare, cum nullo consilio, nulla Naturæ opera, quos inuenit, foràs educit; vnde nec in crisis tempore, quando natura est victrix, si venam seces, sequestrationi humorũ tempus dabitur. Additur (de repente) quoniam, vt ait Gal. 4. apho. 2. exercitia, frictiones, omnes motus, & calor, balnea, & ex accidenti inędia à toto corpore æqualiter euacuant, sed sensim, & leniter, non vt acutorum morborum indigentia postulat.

Hoc auxilium Gal. lib. aduersus Erasistr. cap. 1. præsentaneum ac vnicum appellat, & vel ex antiquorum sententia inter efficacissima remedia extollitur

tollitur, quare 11. meth. cap. 6. celeberrimum esse ait, quem secutus Auic. 1.4. tract. 2. cap. 41. agens de febre sanguinis, prædicat non esse euacuationem, sicut phlebotomia. Hoc auxilium dolores sedat, vires oppressas subleuat, caloris innati ventilationi, spirituúmque commeatui inseruit, impendenti vitæ discrimini, apoplexiæque imminenti subuenit, quæ omnia paulo post manifestiùs declarabimus.

De necessitate quid aliud dicam, nisi quod natura in operibus suis nobis commonstrat? Siquidem Hippopotamus (vt narrat Plinius lib. 8. historiæ naturalis cap. 26.) in hac, medendi parte, etiam magister existit. Assidua namque satietate obesus exit in littus, recentes arundinum cæsura speculatus, atque vbi acutissimum videt stipitem, imprimens corpus venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluuio sanguinis, morbidum aliàs corpus exonerat, & plagam limo rursus obducit. Eadem natura crebrò spontaneis hæmorrhagiis nos ad sanguinem mittendum exhortatur. Hinc est, quod Gal. tantoperè in Erasistratum debacchatur, qui (vt inquit ille aduersùs eundem cap. 1. & lib. 9. meth. cap. 5.) nec spontaneas sanguinis eductiones imitari.

In hac hæresi antiquitùs Chrysippus Gnidius Erasistrati præceptor, deinde Erasistratus ipse, aliisque eiusdem condiscipuli, Medius Aristogenes, Stratoque fuerunt. Post Erasistratum discipuli eius, principio quidem (vt Gal. narrat de sanguinis missione cap. 2.) præceptoris sui decretis insistebant, sed temporis progressu, ex eorum numero quidam ab hâc sectâ desciuerunt, in perpetuumque hic error Gal. doctrinâ, & scriptis obrutus, sepultúsque iacebit. Quamuis nonnulli rustica magis timiditate, quàm ratione ducti, adhuc inter eos sint numerandi, quos Gal. [Αἱμοφόβους], id est, sanguinis mittendi timidos appellauit.

CAPVT II.

De Plenitudine.

QVandoquidem Gal. lib. de sanguinis missione cap. 3. necessarium esse docet, vt qui ad tractationem de sanguinis missione accedat, prius librum de plenitudine legat, libellus autem Gal. de plenitudine perdifficilis sit, & confusus, in quo solita Gal. perspicuitas desideratur, doctrinæ ordo postulat, vt ante quàm vlterius progrediamur, quicquid ad hanc rem operâ nostrâ indiget, præstemus.

Omissis variis plenitudinis acceptionibus, de solâ eâ, quæ humorum est, in præsentiâ agemus; Eam Gal. 5. de sanit. tuend. cap. 9. lib. 4. meth. cap. 4. 13. meth. cap. 6. omnium humorum, æqualiter se habentium redundantiam esse ait: intelligite humores æqualiter se habere (vt supra dicebamus) ad proportionem, ita vt in recte se habentibus, bilis non excedat melancho-

liam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

liam, neque hæc pituitam, nec pituita sanguinem. Etenim id, quod à iecore per venas nutriendo corpori mandatur, quod communiter sanguinem appellamus nunquam syncerum, & ab aliis humoribus defæcatum (iuxta Galeni doctrinam de plenitudine cap. 10.) reperitur. Humores in statu sanitatis eam seruant proportionem, vt minima quantitas sit flauæ bilis, deinde melancholiæ, pituita has excedat, sanguis omnes. Cum igitur tota hæc humorum miscella (massam vocant Barbari) hoc ordine augetur, plethora dicitur.

Et præterea alius plenitudinis modus, cum nempe sanguis solus, prout est quartus quidam humor, supra modum augetur, reliquis vel nihil, vel parùm auctis.

Tertium ego multitudinis modum; clarioris doctrinæ gratiâ, constituo, quem scribentes omnes cum priore confundunt; videlicet quando vnus tantum humor, diuersus à sanguine, breue suscipit incrementum: breue inquio, quia si magnum sit, iam non amplius plethora, sed cachochymia dici meretur: Sumit namque à præpotentiore denominationem. Conueniunt primus, & tertius modus: quia siue omnes simul humores siue vnus tantum crescat, semper sanguis cum iis augetur. Nam (vt Gal. pluries scriptitauit) in omni plethorâ humores, iuxta sanguinem augeri debent, nam si lutea sola, & flaua bilis aliquando, vt in icteris superauerit, non est talis affectus plenitudo, aut plethorica dispositio, sed humorum vitium, quod itidem de atrâ bile, & pituitâ dicendum est.

Quòd verò iste tertius modus, in quo vnus tantùm humor cum sanguine augetur, præter primum modum, in quo augentur cum sanguine omnes humores, sit admittendus, ex Gal. huiusmodi verbis *Cap. 10. de plenitudine* manifestè colligitur. *Non est igitur* (inquit ille) *quòd tumorũ sigillatim species, aut cachochymiæ cupias audire, sed plenitudinis, quæ sit, cum aut cuncti humores, aut vnus ex eis breuem quendam ceperit excessum.* Hanc ipsam Gal. lib. 2. de compos. med. sec. loc. cap. 1. non plenitudinem, nec simpliciter multitudinem, sed cum appositione pituitæ, aut bilis flauæ, vel nigræ appellat. Vtramque autem tam primam, quàm tertiam Fernelius 2. pathol. cap. 13. impuram nec exquisitam nominandam censet. Secunda pura, exquisitáque est, in quâ sanguis quartus humor solus redundat. Hæc secunda colligitur ex Gal. secundo de compos. medic. secum. loc. citato, dicente, proinde ego supra siue humores dixissem, siue sanguinem redundare; censebam, perinde audiendum, cum impromiscuus nunquam, purúsque aliorum sanguis reperiatur in venis.

Leonardus Fuchsius, & fortasse ab eo seductus Amatus lusitanus *cent. 4. curat. 12. in scholio*, ob prædicta Gal. verba existimant, nunquam dari plenitudinem, nisi omnibus humoribus ex æquo additis; quia nunquam (vt Gal. ait) sanguis impromiscuus, purúsque reperitur. Tunc sic conficitur argumentum: Vel redundant omnes simul humores; vel horum aliquis; si primum, est plenitudo; si secundum, est cachochymia. Cæterum ex ipso Gal. Fuchsij error manifestè comprehenditur. Ait Gal. *loco superius citato*, fieri

plenitudinem, vel omnibus humoribus ex æquo additis, vel solo sanguine; si per sanguinem quatuor humores intelligamus, committetur nugatio, tanto viro indigna, nempe videbimur dicere quatuor humoribus auctis. vel 4. humoribus auctis. Deinde cum Gal. dicat, solo sanguine, particula illa *solo* denotat peculiarẽ & solum quendam humorẽ, qui præter tres alios datur. Quamuis verò Gal. dicat, nunquam sanguinem impromiscuum reperiri, hoc non tollit sanguinem hunc non posse per se augeri: Aliud enim est, non posse aliquem humorem ab aliis separatum existere, aliud non posse absque illis crescere. Patet hoc, exemplo vini lymphati, quod ab aqua separari, non potest, & tamen si vnum addas, poterit crescere, non crescente aquâ.

Obiiciet tamen aliquis Gal. 13.*meth.cap.6.* vbi huius plenitudinis, quæ à solo sanguine fit, non meminit, ait enim, vbi inter se humores æqualiter fuerint aucti, id vocatur plethora; vbi verò vel flaua bile vel nigra, vel pituita vel serosis humoribus refertum fuerit corpus, ea affectio cachochymia appellatur. Obiectioni hoc modo faciemus satis: Non ex eo, quòd Gal. hoc loco plenitudinis à solo sanguine non meminit, colligitur, talem plenitudinem non dari; Imò verò cum ex quolibet aliorum trium humorum, dicat fieri cachochymiam; reliquum est, vt ex solo quarto humore nempe sanguine, quem ille omisit, non cachochymia, sed plethora fiat. Quapropter *libell.de plen.c.*11. dixit, in plenitudine posse sanguinẽ excesũ amplissimum adipisci, nullũ autẽ aliorũ humorũ posse. Non, quòd alij humores à sanguine non possint nimis excrescere, posũt quidẽ vt in ictericis, & leucophlegmaticis, verùm cum per se, & sine sanguinis consortio crescunt, cachochymiam efficiunt. Conuincitur tandem Fuchsius Gal. verbis *cap.* 10. *de plenitudine*, qui ait Rubor autem, quem ipsum quoque commemorant, non simpliciter multitudinis, sed sanguineæ multitudinis signum est. Ecce sanguinea multitudo distincta ab eâ, quæ simpliciter multitudo dicitur.

Porrò duplicem plenitudinem statuit Gal. lib. de ratione curandi per sanguinis missionem cap. 3. 4. 5. & 6. lib. aduersùs Iulianum cap. 6. lib. 2. de nat. hum. com. 1. 9. met. cap. 5. 2. Apho. 17. Altera comparatione ad vasa altera, quæ ad vires nuncupatur. Multitudo ad vasa dicitur à Gal. de plen. cap. 9. quæ sua copia venas distendit: aliter enim vt ipse ait, plenitudo nondum est: quare eius inseparabile symptoma est tensionis sensus, Intelligi tamen debet Galenus de magna plenitudine, & quæ iam euacuationem postulat, nam parua, & quam nondum, nisi præseruationis gratia, curamus, benè potest sine tensionis sensu dari, vt idem Galenus non docet ibidem, dicens, tumores cum tensione plenitudinem, circa hanc remissionem præseferunt.

Itaque plenitudo hæc in principio, seu vt loquitur Galenus 9. met. cap. 13. dum bonitatem suam seruat, vt pariter augeri cum robore virium est nata, ita si quando has grauat, nec de cætero augebitur, & bonitatem naturæ amittet. Hinc colligetis, plenitudinem intra certos cancellos simul cum viribus augeri, vltra illos vires grauare, & in cachochymiam degenerare.

Alia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Alia verò plenitudo, quæ dicitùr ad vires, est quando, vel solus sanguis, vel alij humores simul cum sanguine augentur quidem, non respectu ad vasa, sed ita vt virtutem, premant adeò, vt humores regulare non possint, & tandem putrescant, & in cachochymiam euadant, de qua Galenus 11. meth. cap. 15. Huius signa sunt, grauitas, pigritia, lassitudo, quæ ponuntur à Galeno 9. meth. cap. 5. & de rat. cur. per sang. miss. cap. 6.

CAPVT III.

Vtrùm in vtraque plenitudine sit mittendus sanguis, & quam viam tenere oportet, cum sanguinis missionis, & purgationis par necessitas vrget.

VT breuitatem, qua à principio sum vsus, sequar, & omnia sanæ Gal. doctrinæ accommodem, sit conclusio, in vtraque plenitudine, sanguinis missionem conuenire. Quapropter Galenus de sanguinis missione cap. 5. iuxta finem tam vni, quàm alteri sanguinis missione succurrere præcipit, antequam graue aliquod malum in humores ingruat. Contingunt namque ex vtraque non leuia detrimenta. Imò non solùm in homine valetudinario, sed, & beneualente vtramque plenitudinem sanguinis missionem requirere docet ipse Galenus eodem lib. cap. 4. quemadmodùm enim, qui onus aliquod gestat non protinus vbi grauatur, ac fatigatur, statim concidit, ad eundem modum, vbi virtus à plenitudine grauatur, fieri potest vt nondùm ægrotet homo: siquidem nonnulli, qui consueta etiam munia obeunt, sentire se graues, pigros, segnes, & ægrè mobiles dicunt: ea ipsa est plenitudo ad vires. Veluti, etiam cum ab exercitiis tendi videntur implentur brachia, & cubiti, non exigua est plenitudinis ad vasa nota. Sciendum tamen est, cum sanguinis redundantia nondum eò deuenerit, vt venas distendat, remissiorem plenitudinem dici, quod supra iam manet inculcatum; quare ij, qui in hac remissiore plenitudine sunt constituti, quales sunt Athletæ, de quibus Hip. primo aph. cum nondum doloris sensum experiantur, benè valentes dici, possunt, & tamen eorum habitus solui iubetur ab Hip. quare si non curationis, saltem præseruationis gratia illis phlebotomia debetur, ne scilicet in deterius ruant; Vnde Gal. in com. anticipare solutione periculum, iubet, & Cornelius Celsus in hunc modum scriptum reliquit, si plenior aliquis, & speciosior ac coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet, quia nec in eodem habitu sustineri, nec vltra progredi possunt ferè retro, quasi ruina resoluuntur (hæc ille cum Hip. cuius simia vocatur.

Sed obstabit aliquis authoritate Galeni, qui 9. meth. 5. in sola plenitudine ad vasa phlebotomiam admittere videtur. Cæterùm Galeni verba in eo sensu sunt accipienda, quasi dicat, in hac potissimùm sanguinem esse mit-

tendum, de altera verò, quæ comparatione ad vires dicitur, non esse si-bi eo loco dicendum concludit.

Igitur cum plenitudo per se solam (vt diximus) sanguinis missionem po-stulat, multò melius eam postulabit, quoties cum cachochymia erit con-iuncta. Vnde Galenus de sang. miss. cap. 6. intensiuo affectu ait magisq; etiam in phlegmonoso sanguis mitti debet, meritò quidem magis in phlegmonoso, quia in eo contra duo, nempe contra redundantiam, & prauitatem pugna-tur, vt colligitur ex Gal. 3. de sanit. tuend. cap. 3.

Non præteribo, quin duorum insignium Authorum non leues lapsus, in hâc propriâ materiâ notem; primus est Francisci Valleriolæ, qui plenitudi-nem quoad vires cum cachochymia confundit, quando huiusmodi pleni-tudinem purgatione euacuat: Alter est Fernelij, qui è contrario cachochy-miam sanguinis missione euacuat. Vterque non leuiter peccat; etenim in primis Valleriola non videtur distinguere tempora, quandoquidem primis adhuc diebus cum affectus plethora dicitur, sanguis redundans suam ex-postulat euacuationem, cum verò posteà putredo inualuit, ad purgationem deuenitur, quoniam iam tunc cachochymia est. Atque ideo purgationem soli cachochymiæ deberi, constat ex Galeno *meth. cap.* 7. & 2. *apho.* 17. Fer-nelij verò non minùs damnandus est error, cum in humorum prauitate se-ligendus sit ille humor, qui affectui causam præbet: quod, vel ipso Ferne-lio teste, sanguinis missione non præstatur, cum hoc auxilio, vti dictum est, omnes humores pariter euacuentur. Quapropter, si post sanguinis mis-sionem eadem, quæ antea, humorum proportio remanet, eadem cachochy-miam remanere pro comperto est; ac proinde humorum prauitas, quæ vi-ribus incommodat, non fuit per phlebotomiam sublata: Vnde ad hoc au-xilium, nec conferentia, nec tolerantia secuta est. Non quidem conferen-tia, ex parte affectus, quia idem manet; non tolerantia ex parte virium, quia diminutæ sunt per missionem sanguinis; siquidem per illam, caloris pabu-lum, quo exiguo se Natura, tanquam munimine conseruabat, extrahitur.

Respondet Fernelius, quamuis hoc ita sit, tamen detractâ oneris por-tione, quo Natura premebatur, vires nihilo imbecilliores, imo alacriores plerumque euadunt, & quod reliquum est, faciliùs ferunt, minorique nego-tio domant, atque conficiunt: Hoc tamen eum non excusat, quia dum onus adesse supponit, grauitatis sensum concedere videtur, atque hoc pacto iam præter humorum prauitatem, redundantia aderit, in quo casu nobiscum con-uenit, non verò secum, qui in cachochymiâ sanguinem mittendum dixerat, nullâ, de plenitudine, mentione factâ.

Præterea quod Fernelius ait, naturam per sanguinis missionem in cacho-chymiâ recreari, falsitatem continet; quod apparet, si discurramus per sin-gulas prauitatis humorum species. Si enim bilis plurimum redundat, detra-cto illo pauco laudabili sanguine, quem natura; tamquam thesaurum, pro nutriendis corporis partibus asseruabat, corpus, quod alioquin parum aleba-tur, (biliosis enim magna ex parte annexa est corporis extenuatio) in maxi-mam penuriam adigetur. Si etiam pituitosus, crudus sanguis in venis conti-netur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

netur, sinceri verò, atque puri exiguum, venæ sectio imperanda non est: nam vt Galenus ait *lib. de trem. rig. & palp. cap. 5.* nemo ausus est sanguinem euacuare in affectu, qui calefieri desiderat, quoniam corpus alioquin frigidum, exempto sanguine, & spiritu, vehementer refrigeratur.

Verùm huiusmodi controuersiis relictis, ad aliam quæsiti partem accedamus. Nempe in affectu phlegmonoso, in quo cachochymiam cum plenitudine redundare constat, atque ideò vtroque remedio opus est, si par, aut saltem non longè dispar vtriusque remedij necessitas vrgeat, à quonam sit incipiendum? In quo quidem quæsito communis omnium consensus pro indubitato affirmat, à sanguinis missione esse exordiendum. Sic Hippocratres 4. *acut.* 21. & Galenus. *ibidem* Ipse Galenus 6. *Epid. sect.* 1. *com.* 6. *De dignotione renum cap.* 15. *De compositione med. per genera lib.* 4. *cap.* 3. *Lib.* 4. *de sanit. tuend. cap.* 4. *lib.* 5. *meth. cap.* 14. *de medic. paratu facilibus, & de coxendico dolore*; Auic. 4. 1. *cap.* 4. Paulus *lib.* 2. *cap.* 40. Alex. Trall. *lib.* 11. *cap. de podagra.* Aët. *lib.* 2. *serm.* 1. *cap.* 100. Ratio huius rei est, quia semper ab eo remedio incipere debemus, quod est tutius. Deinde, eo, quod alteri viam præstat, priùs vti conuenit; at sanguinis missione præhabita, purgatio feliciter succedit, vt manifestè probat Galen. *in lib. de dignotione renum.* Tandem si ex Hippocratis decreto 2. *aph.* 9. corpora cum quis purgare voluerit, oportet fluida facere; fluida autem fiunt corpora, vt ait Galenus in com. meatus reserando, & crassos tenacésque humores incidendo, atque attenuando, horum primum, nempe meatuum apertio, per sanguinis missionem optimè præstatur, per illam enim, plenitudine imminuta, corporis meatus tum conspicui, tum sensibus occulti, laxiores, patentioresque redduntur. Secundum verò, nempe, viscidorum, crassorúmque incisio, & attenuatio melius à Natura peragitur, quo magis detracto onere, potest humorum qualitati emendandæ incumbere. His adde considerationem in praxi maximè necessariam, (quam ab Auic. 4. 1. *cap.* 4. recipimus) nempe si pharmacum assumatur, quando venæ sectione opus est, febrem vna cum perturbatione excitari, quæ si opportunis remediis non sedetur, tunc pro comperto erit, sanguinis missionem necessariam fuisse, atque cum ægri malo addiscet Medicus.

Hæc tamen sententia, vti diximus, est intelligenda pari, aut saltem non nimis dispari necessitate existente: nam si cachochymia grauiora excitet mala, occurrendum est ad id, quod magis vrget, ex Galeni præcepto 7. meth. *cap.* 12. Deinde diximus *in affectu phlegmonoso*, in quo, & plethora, & humorum prauitas simul concurrunt, hoc esse, vtrumque malum intra venas nulla loci distantia sedem habet, nam si sede distant, ita vt cachochymia in vna corporis parte; plenitudo sit in alia; tunc ad id attendendum est malum, ad quod particulæ maior nobilitas nos vocat. In affectu autem phlegmonoso nostrum dubium constituimus, quoniam in eo, & plethora, & cachochymia sunt in venis, & tunc sanguinis missio pręcedere debet. Quod colligo ex verbis Auic. 4. *primi cap.* 4. non longe à principio dicente; *Vbi autem venæ sectione, & alui ductione opus fuerit, veluti veratro, & aliis fortioribus medicamentis,*

dicamentis; *tunc à venæ sectione inchoandum est.* Veratrum posuit,& fortiora medicamenta, quæ è venis educunt, quia tunc existere videtur omne malum in venis, in quo casu præcedit sanguinis missio. Hoc fortassis non diceret, si de mitioribus medicamentis loqueretur, nam ab his, ante venæ sectionem, curationem aggredi tenemur. Primò quia vitiosus humor à viis ductuum facili negotio extrahitur,etenim si leuiter partibus inhæret, libenter medicamento cedit, si vero tenaciùs, leuissima coctione præparatur, vtpote qui educendus est pharmaco integris suis viribus ibi agente, non vt in aliis longinquis partibus, quo medicamentum solos vapores, eosque iam nimis infractos mittit. Secundò quia mala primæ corporis regionis difficiliùs tolerantur: excitat enim humor in illa parte contentus nauseam, dolorem, æstum, oris amaritudinem,aut saporem alium iniucundum, cibi fastidium, suffocationem, præcordiorum oppressionem, anxietudinem, syncopem aliaque symptomata, cum tamen plenitudo solo tensionis, aut ponderis sensu, & pigritiæ ad motum infesta sit. Tertiò propter nocumenta, quæ ex vena secta, crudo adhuc ventriculo, sequuntur. Ideo Galenus 9.*meth. cap*.4. distulit (velut ipse narrat) venæ sectionem propter concoctionis tarditatem, edoctus ab Hippocrate, qui hoc obseruasse fertur 3.*Epid. sectione prima textu* 2. Ergo si ciborum cruditas præcedat, tantopere differre sanguinis missionem iubemur 9. *meth. cap*.5. quantum satisfacere tum ad eorum concoctionem, tum vt excrementa descendant; quapropter donec excrementa aut à Naturâ, aut ab arte sint sublata, expectare oportet, quoniam alioqui secta, atque exinanita vena,crudioris succi,portionem in sanguinis locum rapiet,& iecur,exhaustáque corporis vasa aliquid è fæcibus exugent. Nam, vt ait Galenus 4.*de sanit. tuenda cap*.19.*& cap*.20. aliquid eorum humorum, qui in corpore sunt, remigrat ad venas. Et Auic.4. cap.20. à cibi repletione non phlebotomandum esse præcipit, ne venæ incoctam aliquam materiam trahant., loco eius, quæ per eas euacuatur. Et Auer.7. col.cap.1.non debere ait,fieri phlebotomiam,nisi post corporum mundificationem, quia quando venæ à sanguine sunt euacuatæ, sugunt superfluitates malas,ad nutriendum ineptas. Rhasis est in eadem sententia 8.*ad Almans. cap*.21. & Zoar.*lib*.1.*tractatu* 8. *cap*.8. Auic.4.1. *tract*.2. *cap*.45. Aët. *tract*.2.*serm*.1. *cap*.71. Paul. *lib*.1. *cap*.1. *&* *lib*.6.*cap*.40. Actuar.3.*meth. cap*.13. Haly 9.*pract. cap*.2. quapropter graui sanè dispendio (vt eleganti Fernel. oratione vtar) naturæ ordinem preuertit, quicunquè impuritate relicta,purum, sincerúmque sanguinem profundit è venis,qui quidem venas sectione inanitas implet fœdâ illuuie,rapta à primis sedibus,quæ quasi sentina est omnis impuritatis.

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

CAPVT IV.

De loco, & tempore mittendi sanguinis.

AGamus prius de tempore; nam agendi de loco, posterior erit commodior locus.

De mittendi sanguinis tempore variæ occurrunt considerationes, quandoquidem tempus in medicinâ genus est, varias sub se continens species, seu potiùs analogum ad multa temporis significata. Nomine enim temporis intelligimus vnum ex quatuor morbi temporibus, quæ rursus, aut vniuersalia, nempe totius morbi, aut particularia videlicet vniuscuiusque paroxysmi. Secundò tempus significat Medicis anni tempus, quod est vnum ex præcipuis indicantibus, inter quæ recensetur à Galeno *lib. de sect. ad eos, qui introducuntur cap. 3.* Sumitur etiam pro ætate, quæ etiam à Galeno *eodem loco* vniuersaliter inter indicantia numeratur. Tandem pro parte diei, in qua magis idonea est sanguinis missio.

Ante tamen quàm huiusmodi considerationes aggrediamur, animaduertere oportet, duplicem dari curationem; alteram regularem, cum morbus ita inducias præbet vt, & artis medicæ regulis seruatis, methodo quadam, & via communi in curatione eius procedatur: altera est cura, quæ dicitur coacta, cum vrgentia morbi, aut turgentia humoris, aut quomodocumque periculum præsens, imminénsue cogit Medicum relinquere medica præcepta & vi vim, vt dicitur, repellere. Quod vt intelligatis, meminisse oportet eorum, quæ paulò ante in fine capitis præcedentis diximus, oportere, nempe ante sanguinis missionē, vti pharmaco leniente, quod idem de clystere intelligi debet; cum tamen morbus ingruit magnus, violentus, & periculosus, tunc temporis consideratio purgandi per medicamenta, vel clysteris exhibēdi postponenda est: vt si quis cecidit ab alto, vel strangulatur, vel aliter in periculo est: Ideò Hippocrates 4. *acut.* 21. sanguinis missionem fieri præcipit, & posteà clysterem, si morbus, fuerit magnus, & Galenus infra nempe 4. *acut. co.* 15. agens de peripneumonia, sanguinem ad animi vsque defectum extrahi iubet, posteà clysterem, exhiberi, cum tamen nulla vrgente morbi acutie, nullóque imminente vitæ discrimine, clyster priùs sit adhibendus, deinde venæ sectio sequetur.

Iam igitur de tempore totius morbi agamus. Nonnulli fuerūt, quos refert Galenus *lib. de Sang. miss. cap.* 20. qui dierum numerum ad sanguinis missionem attendebant, & aliqui fuerunt, qui expectabant tertium diem ad cognoscendam morbi speciem, & postea venam secabant; ij erant diatritarij vocati, qui per tres dies nec cibum nec medicamentum vllum præstabant, expectantes donec morbi Natura integrè fuisset agnita moribus, & formâ, quemadmodùm multis in locis Galenus refert, præsertim. 8. *meth. cap.* 3. Alij

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

3. Alij extremum terminum mittendi ſanguinem definiunt diem quartum, intra quem, miſſionem ſanguinis decernunt in paroxyſmorum interuallis electo quolibet die. Alij fuerunt, qui feſtinauerunt ſanguinem detrahere, adhuc eo transfluente, & nondum in parte aliqua firmiter retento: vnum tamen conſiderantes, num ſcilicet ciborum in ventriculo corruptio aliqua facta ſit aut tarda concoctio.

Diatritarios non eſt, cur refutemus, quando eos Galenus ſæpiſſime reprehendit, & 20.*cap.de ſang.miſſ.* ridiculos vocat, & *lib.*10. *meth.cap.*2. qui in eorum manus inciderit infortunatum eſſe, ait. Non minus etiam à Galeno referuntur, qui vltra 4. diem ſanguinem detrahere non audebant; neque enim ille ad numerum dierum, ad hoc remedium adminiſtrandum, attendebat; imò quouis morbi tempore, etiam poſt vigeſimum diem venam ſecabat, quod nobis inculcat, *cap.*2.*cit.& 9.meth.cap.*5. imò Auic.4.1.*cap.*20. differri poſſe hoc remedium, ait vſque ad 40.diem dummodo adſit virium robur, & morbi magnitudo, qui ſunt duo ſcopi mittendi ſanguinis. Idcirco Hippocrates prudentiſſimus Medicus *Anaxioni* pleuritide laboranti 8. die ſanguinem detraxit, vt conſtat ex *3.epid.ſect.3.tex.*79. vbi Galenus habet hæc verba, Quando igitur huic 8.die miſſus ſanguis eſt, multo certe plures cenſeas ſanguinis miſſionem requirentes 2. 3. 4.*die*, auxilio hoc eſſe vſos. Reticuit autem Hippocrates ſicut remedia aliqua omnia; tamen neceſſe interdum habuit ſcribere, nihil eos, ab iis, quæ offerebantur, adiutos fuiſſe, vt malignitatem ſuggereret morbi. Et hæc eſt potior ratio: nam alia, quam Galenus innuit, non ſcilicet vocatum fuiſſe Hippocratem ante 8. diem diuinatoris eſt, imò potiùs, vt optime adnotat Valleſius, cum narret Hippocrates ſexto deliraſſe, & poſt fomenta calida, nihil fuiſſe adiutum, videtur prioribus diebus interfuiſſe, ac fomentis calidis priùs ſedare dolorem tentaſſe, quod ita faciendum conſulit lib.2. de rat. victus in morbis acutis, inquiens; principio tentare calidis non nocet. Non equidem miror hanc opinionem de non mittendo ſanguinem vltra 4. diem apud Veteres fuiſſe receptam, vtpote qui multa alia deliramenta tanquam præcepta optima obſeruabant, miror tamen Cornelium Celſum cordatiſſimum Medicū, & Galenum poſteriorem, Hippocraticæque doctrinæ obſeruantiſſimum, qui in hunc incidit errorem *lib.*2.*cap.*10. atque hanc ſententiam manifeſtè proferat, vt nullus relinquatur interpretationi locus, inquit enim: *Itaque aptiſſimus videtur huic rei* (nempe ſanguinis miſſioni) *dies ſecundus, aut tertius: ſed, vt aliquando etiam primo die ſanguinem mittere neceſſe eſt, ſic nunquam vtile poſt diem quartum.* interpretationem tamen patitur Auic. *qui quarta primi citato ait*, poſt primos dies non eſſe ampliùs ei intentiones, quaſi dicat: primis diebus maius præſtat iuuamentum, & fieri poteſt cum minori diſpendio virium. Tertios verò, qui quocumque die Medicus vocetur, ſtatim ſanguinem detrahi iubent, Galenus recipit, & ciborum coctionem expectare, ſi morbus patiatur, optimum conſilium eſſe, iam ſupra ſatis manet inculcatum.

De particularibus temporibus paucis me expediam, ſiquidem Auicenna

vno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

vno verbo se expediuit *prima quarti tract. 2. cap. 7. inquiens. Et non moueas in die paroxismi, quantum possibile est tibi*: mouere dixit tam sanguinis missione, quàm pharmaco: addidit quantum possibile est: quia multoties impossibile expectare; ideo in ipsis paroxysmis sanguinem mittimus. Igitur ne naturæ motum impediamus, nec etiam in hora perturbationis euacuando, viribus parùm consuluisse videamur, fugienda est accessionis hora, imò etiam dies, in iis morbis, qui diem integritatis habent: in continuis verò, cum febris est magis remissa, tum venam secare oportet, sed sunt aliqua, quæ oppositum videntur persuadere.

Primum, vomitus in principio accessionis consulitur, & sudoris prouocatio in declinatione, quia in his temporibus natura has moliti solet euacuationes; cum igitur in augmento, & iuxta vigorem multoties hæmorrhagiæ accidant, cur & tunc non possumus venam scindere? & confirmatur quia medicus est imitator naturæ; cum igitur natura, & crises, & euacuationes moliatur in paroxysmis, Medico eisdem vti licet.

Secundum. Tunc debet fieri à Medico euacuatio, cum materia est apta motui; sed in hora paroxysmi materia magis, quàm alio vnquàm tempore, motui est apta, ergo tunc conuenit omnis illius euacuatio.

Tertium: In paroxysmo apopletico, aut in colicis doloribus, qui paroxysmaliter affligunt, & aliis similibus, in tempore paroxysmi sanguinem mittimus, & tamen hæc mala sunt, quæ magis Naturam affligunt, & magis vires prosternunt, igitur in aliis, in quibus minor datur, aut timetur virium prostratio, maiori cum ratione hoc remedium conuenit.

Hæc tamen non obstant, quominùs vera sit priùs tradita doctrina, quandoquidem ad vnumquodque argumentum facilis est responsio; Nam ad primum dicimus, Medicum quidem esse imitatorem naturæ, nempe in fine, quia ad eundem finem tendit, ad quem tendit Natura: non imitatur illam in mediis, quia non potest; nam non habet eadem instrumenta, quæ Natura habet: Natura enim vtitur calido innato suauiter sanitatem operante, Medicus autem pharmacis, & phlebotomia, quæ & debilitant, & alterant, quapropter licèt Natura hæmorrhagias in paroxysmo faciat, atque ita se exoneret, tamen Medicus, quia id non nisi violenter efficere potest, non tentabit. Vomitum verò in principio si prouocat, saltem in quartana id facit leni quodam vomitiuo, ac non nisi maxima vrgente necessitate, sudor in fine cum pauco dispendio prouocatur, quod non ita accideret in missione sanguinis.

Ad secundum aduertere oportet, maiorem propositionem inuoluere quandam æquiuocationis falsitatem, nam cum dicimus, tunc deberi fieri euacuationem, cum Natura est apta motui, si per motum intelligamus illum, qui fit in accessionibus, neganda est, si verò pro motu intelligatur motus excretionis, tunc vera erit, & à nobis admittenda, vt scilicet tunc materia expellatur, cum expulsioni est apta, non est autem apta expulsioni in paroxysmo, imò tunc retinetur à natura, quæ illam vincere laborat.

Ad Tertium: Concedimus in apopletico, & in [illegible]mentissimis doloribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

bus sanguinem solere mitti, sed non iuxta curam regularem, imò potiùs secundùm coactam, quod si id fit cum magno virium dispendio, tamen omnino fieri debet, quoniam meliùs est anceps remedium tentare, quàm nullum.

Anni tempus licèt non sit verè & propriè indicans, vt est vera Gal. sententia *cap.* 84. *libri artis medicinalis*, & 4. *meth. cap.* 5. tamen *lib. de sectis ad eos, qui introducuntur, cap.* 7. inter indicantia numeratur, nempe late sumpto indicantis vocabulo, quia nempe est mensura indicantium. Indicant propriè morbus, & facultas; at tempus anni & vires, & morbum potest mensurare. Nec verò quis existimet, tempus aliquod anni esse, quod omnino prohibeat missionem sanguinis, quoniam omni tempore tutò ea vti possumus. Nemini est dubium, sanguinis missionem præseruationis gratia magis congruam esse vere, quàm alio tempore, iuxta Hippocrat. doctrinam *6. Aphoris.* 47. & Galen. *lib. quos, & quando in principio*; Quæ autem veris pars sit eligenda ad sanguinem extrahendum, colligitur ex Gal. *in com. pracitati aph.* dicente, quòd in crassis humoribus, & pituitosis præstat circa veris initium euacuare, in biliosis verò in fine veris talis euacuatio potiùs est exequenda. Causa est, quia pituitosi hyberno tempore geniti modico calore funduntur, & attenuantur, qui tempore veris faciunt morbum, quare tunc præseruatio conuenit. Biliosi vere gignuntur, quare expectare oportet eorum generationem vsque ad finem veris, & tunc conuenit euacuatio. Altera causa est tempestiua vacuatio ante morbi inuasionem, morbi autem pituitosi, & melancholici post primam veris fusionem eueniunt, sanguinei paulò post: biliosi ad æstatis initium.

Igitur propter præseruationem, optimum tempus est medium ver, cum verò curationem præsens necessitas postulat, semper hoc remedium conuenit; largiùs tamen vere, cautius in feruore æstatis, propter maximam resolutionem; cautè etiam in autumno, quia tunc à præcedente æstate durat adhuc resolutio; hyeme verò, nisi obstet præsentia crudorum, audacter venæ sectionem exequi debemus, crudorum autem humorum præsentia sanguinis missionem prohibet, teste Gal. *de sang. missione cap.* 6. 9. 11. 13. non quod ad sanguinis missionem requiratur coctio, sed quia cruditas debilitat, cuius rei quinque assignari possunt causæ. Prima, quia validum frigus pituitę, opponitur vitæ, quæ in calido consistit; secunda quia hic humor immodicè intra vasa augetur, atque ita calorem sanguinis sopire potest; tertia quia copia sua vasa obstruit, crassitie, & lentore, quia non concedit spiritibus liberũ transitum ad functionũ officinas, nec sufficientem eorumdẽ alimoniam, & refrigerationẽ ex aëre; quarta, quia incrassat sanguinem, atque ita prohibet eius accessum ad membra nutrienda; quinta, quia cum receptaculum eius, sit os ventriculi, propter vicinitatem cor afficit; Intemperies enim omnis ventriculi ad cor vicinum, & connexum, facit, vt vires subitò concidant, & sudores erumpant, vt in syncope stomachichâ, ideóque febris pituitosa, vt plurimùm est syncopalis, nec in eâ sanguinis euacuationem permittit Gal. 12. *meth. c.* 3. vbi de ea ex professo agit. Auic. etiam 4. 1. *cap.* 20. in repletione ex crudis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

crudis humoribus phlebotomiam prohibet,quia per minutionem impeditur eius maturatio; & timetur ægri perditio.

De tempore,prout ætatem significat; multa dicenda à nobis forent,quandoquidem multa etiam congessit Horatius Augenius,vt eam à mittendi sanguinis scopis excluderet; sunt enim mittendi sanguinis præcipui scopi morbi magnitudo, & virium robur; tertiam addunt ferè omnes, ætatem, cum Gal. *cap.9.de rat. cur.per sanguinis missionem*, vbi incipit, Rectè igitur in iis, quæ de victu acutorum proposita sunt, admonemur, vt sanguinem mittamus,vbi magnus fuerit morbus,& æger florentis ætatis,robúrque aderit,& in fine eiusdem cap.Definitis itaque mittendi sanguinis scopis,nempe morbi magnitudine imminente, aut incipiente,ætate florente, virium robore. Tria sunt ergo,quæ agnitionem continent morbi magnitudo, aut præsens,aut imminens, ætas florens, & virium robur, quæ sententia, vt ipse ait,desumpta est ab Hipp. 4.*de victu acut.*19. vbi habet hæc verba. *In acutis autem morbis sanguinem detrahes, si vehemens morbus videatur, vigeatque ægrotantis ætas, & virium adsit robur.* Cæterùm non est meum in breui tractatione, longissimam controuersiam definire, forsitan aliàs dabitur commodior occasio. Sufficit nunc scire,ætatem,si quis scopum mittendi sanguinis nolit esse, at saltem maximi momenti est eius consideratio in mittendo sanguine.

Porrò Gal. tum *cap.9. de sanguinis missione, & cap.*12. *eiusdem lib.* & 4. *meth. cap.*5. & *cap. vltim. & lib.*8. *meth. cap.* 4. & *lib.* 11. *meth.cap.* 14. ait, *At si in puerum incidat, qui quartum-decimum annum hactenus* non attigit, mitti illi sanguis non debebit, propterea quod in illis, cum præsertim calidi, ac humidi sint, plurimum corporis substantiæ quotidie defluat, ac digeratur. Ita, quod ex incidenda vena moliendum vobis fuerat, id vltro nobis,ex curati corporis Natura præstatur,& *primo ad Glauconem* 13. & 4.*acut.com.*29. & plerisque aliis suæ doctrinæ locis, vbi pueritiam sanguinis missionem prohibere asserit, neque commodè fieri consentit,nisi in ætate florente,excludens tum pueritiam, tum etiam senilem ætatem; Pueritiam quidem, quia propter caliditatem, & humiditatem proprij temperamenti facile dissoluitur, & alienum à ratione est aliam addere euacuationem vltra eam, quæ à Natura sua habet; Senilem verò ætatem tum quia ob defectum caloris innati vires deficiunt, tum ob copiam crudorum humorum, quos aceruat ex diminuta coctione, & ita deficit vnus ex scopis præcipuis, nempe virium robur; Eadem etiam ratio potest pueris conuenire, nam crudos, & non paucos humores generant, quoniam sunt voraces ob exuperantem calorem, 3. *aph.* 26. 1. *de nat. hum. com.*13. *primo crisi. cap.*12. & 3. *prognosticorum* 36. vbi habetur plurimo alimento pueros, & importuno vti,nihil aliud agnoscentes viuendo præter esitandi commoditatem, & ideò sæpe alimenta corrumpunt *vt 3.epid.* Vnde vrinæ crassæ in eis prodeunt *lib. de dignotione renum*, & lapides in vesica, & frequentes destillationes, somnusque importunus, & morbi comitales.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Ex his constat Galenum meritò prohibere phlebotomiam in pueris, præcipuè, quia eorum substantia omnium facillimè dissipatur propter habitus mollitiem, propter quam succi per transpirationem facilè exhalantur. Propensi autem sunt ad succos exhalandos, quia calidi, & humidi sunt ex. 2. *de Natura hum. co.* 12. *&*. 13. & *primo de sanit. tuen. cap.* 15. & corpus habent humidum constat ex 1. *aph.* 14. & 3. *aph.* 24 & 3. *epid. sect.* 3. *com.* 53. & 4. *de compositione secundum genera cap.* 2. ideoque imbecilla habent crura & tardi sunt in ambulando, & raritas est eis naturalis, *lib ad Trasybul. cap.* 26. Sicut senibus violentia, qui ob densitatem tardè dissipantur, & facile ieiunium ferunt. In pueris autem raritas facit ad difflationem propriæ substantiæ vltra copiam natiui caloris, quo abundant 1. *aph.* 14. *&* 2. *temp. cap.* 7. & 6. *epid. sect.* 1. *com.* 5. qui halituosus est, 3. *de causis sympt.* 3. *& cap.* 4. vbi dicit, sanguinem in eis non esse mittendum, quia carnem habent dilabilem. Et hæc est causa, cur pluribus alimentis indigeant 1. *aph.* 14. *& lib. de puero epileptico cap.* 4. & non quælibet alimenta, sed humidiora, & molliora eis congruunt, ex Auic. 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 7. quia eorum temperamento magis assimilantur 3. *de causis sympt. cap.* 3. maximam enim vim habent substantiæ similitudo, & conuenientia ad alimenta conficienda, non solum in ventre, sed & in toto corpore, 6. *de sanit. tuend. cap.* 3.

De hora sanguinis missioni congrua nos admonet Fernelius *lib.* 2. *meth. cap.* 13. inquiens. In quibus morbis, vel præcautionis, vel curationis gratia potestas datur sanguini mittendo, horam eligere conuenientior erit matutina, quàm pomeridiana, nam à solis exortu sanguis suscitatur, viget, atque dominatur, ipsoque diei lumine tenuis fit, serenus, & ad fluendum aptior, maxime 2. tertiaue hora. Hac ipsa ne æger sopore torpeat, experrectus insomnem horam saltem vnam duxerit oportet. Hæc Fernelius. Vrgente tamen necessitate phlebotomia commodè fieri potest quauis hora diei, aut noctis ex Galeno 9. meth. 4. & de sanguinis missione cap. 2. & Auic. 1. 4. tractat. 2. c. 45.

De loco multa dicenda forent: sufficit tamen scire, phlebotomiam aut esse reuulsoriam, aut deriuatoriam: nam euacuatoria à parte affecta non datur; Reuulsoria fit ad distantissima loca, deriuatoria verò per partem vicinam affectæ partis. Vtrùm verò sanguinis missio facienda sit ex parte opposita, an ex parte affecta, in hoc tota dubitatio consistit, nos tamen breuitatis causa, vnica conclusione rem absoluemus.

In principio cuiusuis inflammationis sanguinis missio debet fieri ex eademmet parte affecta, seruante rectitudinem, & communitatem. Probatur hæc conclusio, quia quandocumque simul conuenit reuulsio, & euacuatio, pars affecta eligenda est, seruata rectitudine, & communitate, sed in principio inflammationum conuenit reuulsio, & euacuatio ergo ex parte affecta facienda est; minor suadetur, quia reuulsio fit ratione humoris fluentis, vacuatio autem ratione humoris contenti in parte; cum ergo in principio humor partim fluat, partim iam contineatur in parte, sequitur tunc temporis conuenire simul vacuationem, & reuulsionem.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

In quo autem consistat rectitudo, difficile est iudicare: quidam, in quorum numero est Fernelius, dicunt consistere, in villis oblongis vasorum, qui villi secundùm rectitudinem progrediuntur, quare secundùm rectitudinem trahent; sed hæc sententia refellitur, quia vis trahens, insita villis, non trahit nisi in penuria, & defectu, & licèt perpetuò traheret, non tamen eò pro se traheret; secundò quia solùm habere potest locum in sanguine vasorum, cum tamen vis rectitudinis, & ad communicationem vaporum, & simplicis qualitatis extendatur, ideò læsa parte dextera vteri, dolet pars dextera capitis,& si caput ex ventriculo dolet, frons dolet, Si ex vtero, dolet occiput, quia secundum rectitudinem supraponitur vtero. Ita refrigerato rene dextro, crus dextrum refrigeratur,& si iecur incaluit, dextra manus,& pes exulcerantur,& ardent;si lien,sinistra propter rectitudinem.

Alij putant,vim rectitudinis consistere in procliuitate fluxionis humoris secundùm situm, quem suæ partes obtinent intra venæ cauitatem;quemadmodum enim in flumine videmus partem dextram illius seruare ductum, & fluxum ad dextram partem, partem verò sinistram ad sinistram, similiter dicunt, partem sanguinis contenti in vena suos situs,fluxúsque seruare, & procliuitatem fluxionis secundùm partem dextram, vel sinistram,quam seruant. Verùm non minùs,& hæc opinio reiicitur, quia in inflãmationibus lienis non habet locum:sanguis enim in venis brachiorum,& pedum contentus à vena caua fluit,lien autem non nutritur per venam cauam,sed per venam portam,quæ ab illa disiuncta,& separata est;Cum igitur in inflammationibus lienis videamus, sectionem basilicæ sinistræ multò magis iuuare, quam sectionem basilicæ dextræ, patet alias rationes assignandas esse.

Non desunt, qui nouam sententiam excogitantes, aiunt, in sanguine ignem abundare; ignis autem naturâ suâ sursum fertur, ergo sanguis sursum feretur,ideóque aduersæ sectioni,per latus aduersum non cedet. Sed refelluntur etiam, quia hoc solum in sanguine contento in venis potest habere locum. Deinde si ignis facit,vt sanguis rectà ascendat, quinam etiam faciet,vt rectà descendat,& tamen sanguis,ex dextra nare fluens,retrahitur cucurbitulâ lieni applicatâ.

Verior sententia est, quæ causam refert ad abundantiam meatuum, porórumque, qui secundùm corporis longitudinem à Natura distributi sunt, ratione quorum seruata rectitudine, multo plus euacuatur à latere affecto, quàm ab opposito,& multo maior fit communicatio,tum vaporis,tum puræ qualitatis; Ob hanc igitur causam phlebotomia seruans rectitudinem plus euacuat à parte affecta,quàm ab opposita;Hæc sententia tripliciter suadetur. Primò à fine:solicita enim Natura durationis rerum, non solùm prouidit indiuiduorum caducitati, seminum creatione, quorum virtute,noua,& viuentia pro veteribus,& mortuis substituerentur,sed etiam animalia ipsa,semina etiam plurima gemina constituit, vt eâ ope, ab iniuriis externis facilè peritura indiuidua tueretur. Dum enim infortunio vnus oculus,auris,aut brachium perit, altero oculo,aure, brachio, vitam seruat: ideo duo quasi ani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

malia dextrum, sinistrúmque in vnum animal coniũgens, diuturniorem illis vitam comparauit, nec verò solùm animalibus, & seminibus, eâ duplicitate consulit, & multoties duplicitatis inopiam numero resarcit, vt in milio, & in piscibus videre licet, nam fabæ, cicera, triticum, & cerealia omnia manifestam seiunctionem habent, vel per intercedentem membranam, & densitatem, vel deniquè appositionem citra agglutinationem, ita vt duo latera non sint continua; cúmque huc tendat ea duplicitas, vt diutiùs talia perseuerent, neque possint perseuerare, si illa duo latera simul sibi communicant, mutuóque consentiunt non minùs quàm partes vnius lateris, quæ inter se rectitudinem seruant: conficitur necessario dictos canales dandos, credendósque.

Secunda ratio sumitur ab anatomia: In cerebri enim testiúmque medulla canales illi, ductúsque oculis percipiuntur, tanquam angustissimi alueoli sanguine pleni.

Tertia ratio ab euentu est petita, plerumque enim permutatio mali fit à dextro pede ad dextrum vel brachium, vel humerum, ad sinistrum verò raro.

Hæc de rectitudine. Communitas etiam seruanda est, quæ è loco affecto maximè euacuat, Idcirco Galenus de trem. cap. 5. perpetuò communitatem seruari iubet, nisi enim communes venæ secentur, ait ille, non sanabis affectum, perpetuò autem, quod sanum est, lædes, vacuato nempe vtili pro noxio sanguine.

Si petas, quæ venæ sint communes, dico venas brachij cum partibus superioribus, cum inferioribus autem venas crurum. Renes autem ait Galen. in medio positi ambigunt: hinc per vtrasque venas possunt euacuari, nec omnes venæ brachij superiores partes euacuant, sed partes capitis cephalica, hoc est humeraria, partes pectoris, nigra, seu interna, seu basilica; media verò, ait, communes omnes.

Nec obstat, si quis dicat, omnes venas communicare in se, cum dicat Hippocr. *libello de alimento*, confluxio vna, conspiratio vna, consentientia omnia; nam respondemus, communitate non exquisitâ omnia vasa consentire, communitate propria, & exquisita, quæ consideratur in phlebotomia, & consistit in respectu, & commeatu vasorum nutrientium eadem membra, non omnia communicare.

CAPVT V.

De Hyrudinibus.

NOn solùm phlebotomiam, sed alia extrahendi sanguinis instrumenta excogitauit ars medica; inter quæ non minimum obtinent locum hyrudines, siue sanguisugæ, quibus etsi in aquis nascantur, sanguinis sugendi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

di facultas à Natura est data. Hoc instrumentum congnitum fuit antiquis, ac de eo agit Galen. peculiari tractatu, si tractatus nomen meretur breuissima illa ratiocinatio. Agunt & alij celebres medicinæ proceres

Galenus velle videtur omnibus hyrudinibus venenum adesse, Arabes non omnes venenosas esse dixerunt, sed earum aliquas, & quænam sint, internoscere docent, præcipue *lib.* 28. *Continentis.* Verùm si quid virulentiæ habent, id parum est, & præparatione emendatur. Galsatis esse putat, vt per diem asseruentur, & sanguine alantur, nos per plures dies eas seruari iubemus in aqua limpidissima sæpiùs mutata, cui admistum sit parum sacchari, priùs tamen ipsas absterges ab omni mucore, & capite in inferna verso manu exprimes. Cæterùm pars, cui applicari debent, lauanda priùs est, ne quid habeat sordidum, aut fœtidum, aliter non adhærebunt, & hoc mihi argumentum est, quo persuadeor, eas non esse venenosas; pars etiam fricanda est linteis, abstergique vsque ad rubedinem, nec oleum superaffundendum, vt consulit Gal.

Cum adhærent, sinendæ sunt, & si tantum sanguinis extrahere volumus, quantus pro implendis illis sufficiat, se ipsis, cum fuerint plenæ, à suctione cessabunt, si plus auferre est animus, tunc caudæ forcipe secandæ, non transuersum, vt agunt communiter chyrurgi, nam sic fibræ, quibus trahendi munus est datum, rumpuntur directò. Quod si adhuc maiori sanguinis quantitate indigemus, pars spongia calente aquâ imbuta fouebitur, aut si ano sunt applicitæ æger iubendus est, vt sedens accipiat calentis aquæ vaporem, in medio autem vasis calente aqua pleni, vas aliud excipiendo sanguini apponatur.

Earum vsum pro cucurbitulis esse dixit Galenus, in quo videtur solius sanguinis cutanei trahendi facultatem hyrudinibus tribuisse, cui Auicenna contradicit, inquiens, *Appositio præterea sanguisugarum confert ægritudinibus subcutaneis, sicut pustulis capitis, impetiginibus, & his similibus,* vnde addit, *extractio præterea à sanguisugis facta profundior est extractione, quæ fit cum ventosis: à partibus quoque exhaurit magis internis.* Auicennæ subscribit Fernelius, qui 2.*met.cap.*19.*ait.* hyrudo morsu trifidum vulnus infligit, quod non cutem modò, verùm alteriùs quoque, si ea tenella, vt pueris, & infantibus est, penetrat; Hæc ille, & hodierna consuetudo est, eas venis grandioribus applicare, quod forsitan Galeni tempore nondum erat factitatum.

Itaque, & cutaneis, & interioribus malis hoc remedium auxilium præbet. Cutaneis, inquit Rasis, imperans, vt sanguisuga ponatur in locis, vbi est impetigo sahaphati, aut vulnus malum, aut antiquum: hæc Rasis, cuius consilio nos in omni vlcere sordido, & in elephantiasi, in scabie, cum magna ægrotantium vtilitate hoc remedio vtimur.

Nec minùs vtimur eodem remedio ad aperiendas venas, verbi gratia, in eo casu, in quo venæ non apparent, vt consulit Nicolus Florentinus, & in infantibus, qui sanguinis missione egent, & tamen propter venarum exilitatem phlebotomiam non licet operari, atq; etiam in exiliũ venarũ fœminis.

Cucurbitulæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Cucurbitulæ fortaſſis maiore impetu trahent, ſed longè vtiliùs ſanguiſugæ, quia non attractionem ſolùm vaporum, ſed extractionem etiam humorum ex genere venoſo præſtant. In phrenitide, & affectibus capitis pro reuulſione proſunt hyrudines venis hæmorrhoidalibus appoſitæ, licèt Horat. Aug. imbecillis rationibus perſuaſus contradicat, nam quòd ait, priùs hoc remedium debere eſſe, quàm venæ ſectio ex brachio, quia reuellit ex longiori, hoc nihil conuincit, nam reuulſio omni tempore conuenit, quod probo in primis, quia eadem eſt ratio de repercuſſione, atque de reuulſione, imò multo magis in repercuſſione principium requirendum eſſe, verum Gal. reuulſionem etiam in declinatione admittit, vnde cum ſemper timeatur fluxus, ſemper reuulſio eſt vtilis, at in mobris capitis ſemper fluxus timetur propter vaporum facilem aſcenſum; Vnde Hippoc. caput, veluti cucurbitulam corpori ſupraſtare dixit; Tandem Galenus 6. *Epid. ſect.2. cap.8.* ſic ait; *Neque enim ſemper in retrahentibus auxiliis permanendum eſt, ſed aliquod tempus, quod retrahentibus vacet, interponere oportet, vt ſuccum, qui in affecto membro prius inhæreſcit, excerni permittamus.* Ex quibus videtur non reprobare vſum reuulſionis poſt principium; At verò incipere à diſtantioribus non ſemper poſſumus, præcipuè cum diſtantior hæc via potentiſſima ſit, & ſemper à minus potentibus incipiendum ſit; quod verò ſi potentior, inferiùs probabimus. Alia ratio Augenij eſt, phrenitidem fieri è ſanguine bilioſo, quapropter talis eſt reuellendus, talis autem non conſiſtit in illis venis; ſed non vidit ille, non ſolum hyrudinibus euacuari ſanguinem, qui in illis venis eſt, ſed impetu etiam ſuctionis, & vacui impediendi ratione, etiam ſucceſſiuè è ſuperioribus partibus ad inferna recurrere, & ſanguinem tenuem, & ſpiritus, & quemlibet alium ſuccum.

Duo mihi reſtant aduertenda, in quibus communibus opinio mihi non placet: primum eſt, conceſſum communiter eſſe non poſſe per hyrudines craſſum ſanguinem euacuari, quia cum exiguum aperiant foramen, non patentem faciunt viam ſanguini craſſo euacuando. Augenius craſſum quidem ſanguinem exire permittit, ita tamen vt licèt foramen exiguum, ſit tamen ſanguinis quantitas, & impetus, velut foſſarum aquæ ruptis aggeribus, faciunt viam ſibi, ita præſtat, vt qui lentè profluebat, aliquando violenter fluens nos cogat accedere ad remedia ſanguinem comprimentia. Hanc tamen Augenij rationem nullo modo poſſum admittere, nam videmus ſanguinem guttatim exeuntem ceſſum admodum eſſe, vnde ſi ruptis aggeribus ſanguis impetu exiret, deberet hoc fieri dilatato foramine, ſed foramen exiguum manet, igitur non dicendum eſt, aggeribus ruptis exiiſſe. Ioannes Baptiſta Montanus conſ.68. ait hæc verba, Aliqui per ſanguiſugas dicunt trahi ſanguinem tenuiorem, quia foramen paruum eſt, quod videri non poteſt; quomodo igitur talis apertio vtilis in propoſito (agebat de paralyſi cum lienis tumore) ego etiam fui in hac ſententia olim, & deridebam eos, qui applicabant: ſed iam me pœnitet cum vlteriùs vidi; tunc putabam foramen paruum, per quod non poſſet exire ſanguis craſſior, ſed

poſtea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

postea vidi effluere vsque ad 20.lib.vsque ad syncopē sanguinis crassissimi, & est ratio, quia sanguisugę trahunt sanguinem ad orificia venarum, si præsertim ponatur æger supra aquam calidam feruentem, non per foramina, quæ faciunt sanguisugæ, effluit sanguis ille, sed per solita foramina, & per orificia venarum, quæ illa irritatione aperiuntur, sicuti cum ex naribus prouocamus sanguinem, abstergentibus, aperimus orificia venarum; sed dicas, sæpe hoc non succedit, respondeo, & alia sæpe non succedunt; nihilominùs tentandum est, cum sit rationabilis operatio. Hæc Montani ratio sapit illam priorem Augenij, quapropter eodem modo refutanda venit, nam si post suctionem factam à sanguisugis fit apertio foraminum, cur hæc foramina posteà ita aperta non apparent? Sanè per illas venas hæmorrhoidales sanguinem euacuari melancholicum, & crassum certissimum est; quod Hipp. & Galenus multoties testantur, præcipuè *6. Aph. 2.* & per mariscas lien expurgatur, quia inter illas, & lienem datur communitas vasorum. Cum igitur illic sanguinem inueniant crassum hyrudines, non alium possunt sugere; sed quomodo exibit per angusta foramina? nempe liquatus; sed liquatio fit à calore, dico enim viuentibus omnibus in flatu, & ore calorem existere, atque adeò in sanguisugis. At oppones ex Gal. afferente sanguisugas frigidas esse, ideo enim sanguinem non permitrit extrahi, quoad vsque sit satis, quia pars ipsa frigescit, tum ob ipsas hyrudines, quæ natura frigidæ sunt, tum etiam ob aërem ambientem; Sed hæc Galeni sententia nec recipitur ab aliis, nec à nobis venit recipienda, nam in primis, cur magis infrigidabitur pars ab aëre in hyrudinū applicatione, quàm in venæ sectione? & tamen in sectione venæ pergit vsque ad animi deliquium; vnde quis animali sanguiuoro tantam frigiditatem concedet sanè & multa sanguinolentia, & valida tractio calorem indicant, quod cum in ore habeant, possunt eo liquare sanguinem, qui post quàm ab aëre alteratur, iterum ad crassitiem suam redit. Prætereà post hyrudines applicatas iuuatur sanguinis exitus aquæ calidæ fomento, quod fomentum sanguinem fundit; Vltimo tandem dicam id, quod primò dicendum erat, videlicet ante hyrudinum applicationem, frictione sanguinem attenuari, quod etiam agimus ante venæ sectionem.

Alterum quod aduertere vos cupio; est, communem omnium opinionem esse, multo minùs virium dispendium sanguine misso per hyrudines fieri, quàm per venam phlebotomo sectam, cuius ego contrarium existimo esse verum. Primò quia licèt in venæ sectione maius pateat foramen, atque ita ampliorem viam spiritus exeuntes reperiant, tamen in tractione per hyrudines datur suctionis vis, quæ spiritus multò potentiùs conuocat, vnde si teste Auicenna venæ sectio, quæ fit per saphenas magis debilitat, quàm quæ fit per venas gibbēri, quia ad inferna fit maior detractio spirituum, qui licèt non exeant à corpore, cum tamen à partibus superioribus, in quibus omnis vis, & facultas residet, retrahantur, debilitatem efficiunt; cur non etiam, quæ per hæmorrhoidales venas fiet hyrudinibus euacuatio, retractionem istam moliendo, debilitatis erit causa? Adde, quòd per venam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

sectam breuissimo tempore sanguis educitur, per hyrudines longo temporis spatio, quod maximè spiritibus euacuandis est accommodatum. Hæc est mea sententia, interim tamē relinquo liberū vnicuiq; suo sensu iudicare.

CAPVT VI.

De Cucurbitulis.

CVcurbitulas trahere, vel sensu duce, omnes experiuntur: quomodo verò tractio fiat, non constat apud omnes, nam maximum facit scrupulum, quî fieri possit, vt carnes trahantur à cucurbitulis, quandoquidem inclusus aër igne candentior factus, maiorem occupat locum, quàm antea, vtpote rarior redditus. Ad hanc quæstionem responderunt quidam, portionem aëris igne consumi, in cuius locum cudunt carnes, ne detur vacuum. Hi quidem falso dogmate nituntur, nihil enim in nihilum potest naturaliter conuerti, quod si portio illa aëris in aliam substantiam conuertatur, quæro, an sit crassior aëre, an subtilior? Crassior esse non potest; cum fiat ab igne attenuante, si subtilior, maiorem replebit locum, quàm aër, ac proinde carnium attractionem prohibebit.

Nicolus Florentinus est arbitratus, ignem ipsum conuerti in aërem, quo tempore extinguitur: posteà verò cum aër minorem locum possideat ipso igne necessariò succedere carnes ad euitandum vacuum. Sed nec ille quæstionem absoluit: ignis siquidem in stupa hærens, materialior est aëre ipso: quod stupa ipsa, & fumi ab ea dimanantes crassiorem nacti sunt substantiam, quàm sit aërea; non igitur occupabit capaciorem locum aëre.

Dicendum itaque est, ab igne aërem reddi rariorem, qui post ignis extinctionem in pristinam densitatem rediens, locum præbet carnibus consequentibus. Quod corroboratur experimento, quo volentes chyrurgi trahere violentiùs, exteriùs cucurbitula refrigerant linteis madentibus.

Horatius Augenius confundit hunc nostrum modum dicendi cum priore, nam & ignem dicit occupare minorem locum, quàm aër ex igne genitus; quod falsum esse diximus, & aërem, quò magis refrigeratur, & condensatur, eò minorem occupare locum, quod nostrum est Theorema.

Hoc auxilium, vt liquet, ex Cornelio Celso *lib.2.cap.*11. quemadmodum minùs vehemens sanguinis missione est, ita magis tutum, neque vnquam periculosum etiamsi in medio febris impetu, etiamsi in cruditate adhibeatur; ideoque vbi sanguinem mitti opus est, si incisâ venâ præceps periculum sit, aut si parte corporis etiam vitium inest, huc potiùs est confugiendum, cum eo tamen, vt sciamus, vt nullum periculum, ita leuius præsidium esse, nec posse vehementi malo, nisi æquè vehemens auxilium succurrere.

Gal. de Cucurb. Cucurbitulæ eua-

Ex quo intelliges Auicennam 4.1.*cap.*21. cum dicit, ventosas esse vicarias sanguinis missionis: esse intelligendum, non cum paritate iuuamenti, sed quia ob

ob aliquam causam sanguinem mittere non possumus, ex quo remedio magna speratur vtilitas, tunc contenti erimus cum minori, quæ ex cucurbitulis potest sperari. Ait enim ille ventosas supra *nocram*, quæ est in collo positas, nigræ vicarias esse, & conferre superciliorum grauitati, & alleuiare palpebras, & conferre scabiei oculorum, & fœtori oris, & super *Alchael* vicem tenent basilicæ, & conferunt doloribus humerorum, & gulæ, & supra duo *alchada* posteriùs sunt vicariæ cephalicæ, & conferunt tremori capitis, & membris, quæ sunt in capite, sicut facies, & dentes, & molares, & aures, & oculi, & gula, & nasus.

euatis corporib. vtiles sunt, nam vbi ea plethorica sunt, illis non vtimur.

Est concauitas vel fouea in parte posteriore colli.

An in principio nulla præcedente euacuatione applicari possint, controuersia est à viris doctis agitata, Valleriola *enarr.6.lib.*4. illis inconstanter vti consulit multis fretus rationibus. Prima fluxionibus debetur reuulsio, quàm cucurbitulæ maximè præstant, dicente Gal. 3. *loc. aff. c.* 4. ideo fuisse repertas, vt humorem ex imo ad se euocent, quapropter cum ex alto trahant, & affectum locum, qua premebatur plenitudine, exonerent fit omninò, vt incunctanter, ac sine mora admouendæ sint.

Locus inter duas spatulas

Eminentia posterioris capitis vicina duabus venis.

Secundò est Galeni auctoritas *in libro proprio* dicentis, in his affectibus, dum gignuntur, non quidem membris ipsis, quæ cœperint laborare, sed eis, quæ laborantibus coniuncta fuerint, reuulsionis gratia cucurbitulæ imponendæ sunt. Et 7. *meth.* agens de fluxionibus, quæ ventriculum infestant, reuulsione potissimum mederi studet; & 2. *de arte cur. ad Glauc.* fluentium, inquit, humorum medela retractio est fluxionum, & eorum, quæ membrum obsiderunt, deriuatio; & multo planius 13. *meth.* inquiens, *cucurbitula nobile plane auxilium est inuenta; tum vt foràs euocentur, quæ sunt in alto, tum vt eximantur, & eruantur quæ iam in scirrum abeunt*; & paulò post *cucurbitula in occipite affixa, efficax remedium est, ad oculorum defluxiones*, ex his Gal. locis hanc conficit argumentationem. Morbos ex fluxione reuulsio curat, vt ex Galeno est probatum, at cucurbitula ex maximè reuellentibus vnum est, igitur cucurbitula in his affectibus etiam in [illegible]io est adhibenda.

Opponit deinde sibi aliquas Galeni authoritates, quæ contrariæ opinioni fauent, vt eas soluat; Prima ex lib. de sanguinis missione, vbi ait, cucurbitulæ sunt vtiles euacuatis, plethoricis non sunt admouendæ. Secunda ex lib. de reuulsione, quo loco Gal. cucurbitulas purgatis vtiles, repletis inutiles esse affirmat; item 13. *meth.* cum ait cucurbita in occipite defixa, efficax est remedium ad oculorum fluxiones, vacuare tamen priùs totum corpus expedit, nam si refertum sanguine corpus sit, in quacumque parte capitis cucurbitam defixeris, totum ipsum implebit.

Respondet, hoc quidem verissimum esse, in quibus secundùm totum habitum corporis plenitudo subest, vel quæ ad vires, vel quæ ad vasa dicitur, non sic autem in quibus secundùm patiens tantum membrum (vt oculos,

aut cerebrum) plethorica diſpoſitio ſubeſt. Nam ſi reliquum totum corpus plethora vacet, ſecundùm cerebrum autem, aut oculos, plenum ſit, quid quæſo prohibet vacuis membris (vtpotè ſcapulis, aut natibus) cucurbitulas admouere? Nam quod Galenus ex illis metuit incommodum, haudquaquam eueniet, nimirum ex ſe iam inanitis ſecundùm naturam vaſis. Adde quòd in iis locis de earum cucurbitularum vſu Galen. locutus eſt, quæ affecto potiùs loco euacuandi, foràs humoris gratia admouentur, quàm de iis, quæ in oppoſito loco retrahendi, aut reuellendi cauſa admoueri ſolent, quod vel ex illa verborum ſerie conſtare poteſt, qua inquit, cucurbitulam cuicumque parti capitis affixam, locum implere: nam tum de illa cucurbitula ſermonem protuliſſe videtur, quæ capiti affecto euacuandi cauſa, non reuellendi admota ſit, cui ſanè muneri nihil fateor plenitudine nocentius eſſe.

Addit, reuulſionem his tantùm ex plenitudine morbis deberi, qui in fluxione adhuc ſunt, vt Galenus voluit 2. *ad Glauc.* In fluxione autem morbi non niſi in principio conſiſtere poſſunt, cum in reliquis morbi temporibus fluxa iam, non amplius fluens ſit materia. Igitur ſi qua reuulſio debetur, ea morbi principio, non ſtatui aut declinationi debetur, cum in his deriuatio ad vicina, vel ex ipſamet parte vacuatio, magis quàm reuulſio conferat.

Ex his fit, vt in principio magis cucurbitulæ, quàm reliquis temporibus, vtpote remedium reuulſiuum conueniat.

Prætereà Hippoc. 2. *acut. tex.* 1. in pleuritidis principio fomentis calidis vti conſulit, nec veretur locum affectum materia nimia turgentem fomentis calorificis probandæ plenitudinis cauſa aggrauare, & intendere: quare ergo timendum ſit Medico, reuulſionis gratia, non ſuper affecta loca, ſed omnino oppoſita cucurbitulas admouere?

Tandem ſanguinis miſſio, vbi neceſſaria eſt, ſi aliquam ob cauſam, nempe ætatem, aut ægri naturam, vel temporis conditionem, fieri nequeat, nonne cucurbitulis fieri debet, quæ vicariæ ſanguinis miſſionis ab Auic. vocantur?

Auicenna in ophtalmia, ſi ceruicis initio admoueantur vltimi iuuamenti eſſe ait: quem locum Nicolus exponens, ait, cucurbitulas etiam ante omnem euacuationem in hoc morbi genere non minimùm vtiles eſſe.

Accedit, quòd cum Medici ſit citò curare (Gal. 12. meth. Celſus lib. 3. cap. 4.) citiſſimè reuellamus oportet in fluxionibus ad oculos, & ad alia membra præcipua,

In contrarium eſt Galeni authoritas citata initio libri de Cucurbitulis, vbi eas non admittit corpore non purgato, vnde 13. *meth.* vbi ait, cucurbitulas eſſe efficax remedium ad oculorum fluxiones, vacuari tamen priùs totum corpus expedire.

Vera reſolutio huius controuerſiæ eſt, multos eſſe caſus, in quibus cucurbitulis vti poſſumus, nulla præcedente totius corporis euacuatione. Primò, cum volumus flatulentum ſpiritum, in aliqua parte contentum, diſcutere, in hoc enim caſu remedium eſt incantamento ſimile ex Gal. 12. *meth.* Se-

cundò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

cundò, cum volumus tumorem aliquem ex profundioribus corporis partibus ad superficiem euocare. Tertiò cum volumus reponere luxatum membru m. Quartò cum plenitudo parua adest per vniuersum corporis habitum, quam tamen neq; inedia, neq; frictionibus, neque balneis emendare sit tutum, tunc enim scarificata cute potest subueniri; si autem plenitudo fuerit à tenuiore sanguine, poterit cucurbitulis cum scarificatione euacuari, neque mirum videatur, si plenitudinem exiguam cucurbitulis curari posse dicamus, siquidem Gal. & Hipp. passim nos docent, morbis proportionata deberi remedia, & hac de causa plenitudinem non semper postulare missionem sanguinis. Itaque esse potest plenitudo exigua, quæ tantùm scarificatis cucurbitulis emendetur: ideo in mulieribus, quæ non perfectè expurgantur per menstrua cucurbitulas scarificatas sufficere compertum est, & à Galeno inculcatum. Quintò cum nobis non licet sanguinem mittere, postulante tamen morbo remedium propter corporis habitum, vt qui sit rarus, & facile difflabilis, quòd venas habeat exiguas, quòd alia sit præsens euacuatio; ideo mulieribus candidis, ideo pueris, quibus venam secare nec possumus, nec licet, cucurbitulas applicamus.

Ad authoritatem verò Galeni dicendum est, verum quidem esse in plethora vniuersali, quia tunc attractio fiet maxima; si verò plethora vnam partem occupet, quid prohibet in alia, in qua plethora nulla datur, cucurbitulas applicari? His adde, Galenum non loqui, nisi de cucurbitulis, quæ affectæ parti apponuntur, non verò de aliis, quæ reuulsionis gratia applicantur.

Circa earum vsum sciendum est, licèt è profundioribus vi sua trahant, tamen non nisi cutaneum humorem euacuare, qui potest esse tenuis, aut crassus; omnis enim per cucurbitulas extrahetur, si verò sine scarificatione fiant, & spiritus, & flatus extrahent, vnde etiam non scarificatæ debilitant.

In pleuritide, corpore satis benè post sanguinis missione euacuato, & celebratis reuulsionibus, ita vt nulla supersit fluxionis suspicio, cucurbitulam parti affectæ scarificatam applicamus, posteà scarificationes sale, & oleo vngimus, vt sequenti die applicara rursus cucurbitula serositatem extrahamus, quod quidem à prudenti Medico cum maximo artis decore præstatur.

In febre pestilente ad reuellendos vapores venenatos qui Natura sua cor aggrediuntur, mirum in modum conueniunt: aduertendum tamen est, non ideo, quia in hac febre cucurbitulas conuenire dicimus, sanguinis missionem excludi, quod multi putarunt, detenti scilicet rustico quodam timore, quoniam in pestilenti febre vires maximè laborant: cæterùm non ita nos debet perterrere virium lapsus initio febris pestilentis, vt à præstantissimo remedio desistamus, de quo non est hic tractandi locus, neque vires ita concidunt in pestilente, vt non possit æger tolerare sanguinis missionem, nisi pestilens fuerit hectica, quæ nec remedium postulat, nec expectat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Aduertendum tandem est, non esse adhibendas anteriori parti capitis, quoniam Aetius *lib. 3. c. 20.* ait intem pestiuè appositas lethargos, stupidos sopores, & oculorum prolapsus afferre: quod si bona fortuna euenerit, vt hæc, mala euitentur, non euadent omnino, quin diuturnus aliquis morbus capiti addatur; Pro *intempestiue*, non ad tempus, sed ad locum intellexit Auic. qui ait, plurimi horum abhorrent ventosas in anteriore parte capitis, & reperiunt in hoc sensum, & intellectum impediri; cæterùm in posteriore capitis parte illas applicat.

CAPVT VII.

De Scarificatione.

SI Auicenna scarificationem, quæ fit sine cucurbitulis, agnosceret; hanc profectò maiori iure sanguinis missionis vicariam esse dixerit. Cæterùm apud illum, nec apud alium quempiam ex Arabibus Scriptoribus non inuenitur facta mentio de scarificatione, quæ fit sine cucurbitulis: quod quidem mirum est, siquidem & apud Aetium, & apud Olibasium de scarificatione seorsim capitibus separatis tractatur, & Galenus etiam præterquam quòd de iis separatim agit multis in locis, de scarificatione facta, simul cum cucurbitulis agit, multis aliis de malleorum, & aliarum partium, in quibus cucurbitulæ applicari nequeunt, scarificatione verba facit:

Neque verò aliam potiorem rationem adducere libet, vt probem, Galenum scarificationem, quæ fit cum cucurbitulis, cognouisse diuersam ab ea, quæ sine iis fit, nisi quòd scarificationem cum cucurbitulis in vniuersali plenitudine non admittit, nisi priùs plenitudo minuatur: scarificationem autem per se solam plenitudinis remedium esse, ait *in lib. de cucurbitulis, & de sanguinis miss. cap.* 19. ait, illas in plethoricis corporibus non modò inutiles, sed noxias esse siue cum scarificatione, vel sine ea; at 2. *aph.* 17. euacuatio omnium humorum æqualiter, quæ quidem exquisitissima est, fit per venæ sectionem, proxima autem huic est illa, quæ fit per malleorum scarificationem. Nec recipiatis Cardanum intelligentem pro scarificatione cucurbitulas scarificatas: quod à ratione est alienum, tum quia cum cucurbitulas voluit Galenus, nominauit; vt etiam fecit *lib. 6. de composit. medic. secund. loc. c.* 3. & *alibi non semel*, tum etiam quia malleoli non sunt apti ad cucurbitulas recipiendas.

Ex his prætereà Galeni verbis dicentis, proximam venæ sectioni esse scarificationem: cognoscetis id, quod à principio dicebamus, scarificationem per se solam esse sanguinis missionis vicariam, quod clariùs expressit idem Galenus 4. *de sanit. tuend. cap.* 4. vbi ait, *virium robore constante, si lassitudo adhuc infestet, existimandum est, cum sanguinisne copia, an cum crudis, & minime coctis humoribus, an per se solus consistit vitiosus humor,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

qui lassitudinem creet. Nam si cum sanguinis copia, aut vena incidenda, aut aliquid, quod tantumdem valet agendum: sane tantumdem possunt hæc, quibus hæmorrhoides sunt retentæ; si has aperueris: si mulieri menstrua consuetudo cessauerit, hanc prouoces, si coram nihil est, malleolos scalpello incidas. Similiter 13.*meth. Cogimur* inquit *aliàs sanguinem mittere, idque aut vena incisa, aut membris iis, quæ læsa non sunt, scarificatis*; & *lib. de reuulſ. si qua exuperans materia in corpore minuenda est, atque ob id exuperantia illa oriatur, quod materia ipsa, quæ emitti solet, supprimatur, scarificatione vtimur.*

Nec solùm vicarias, aut etiam pares aliquando facit scarificationes sectioni venæ, sed aliquando etiam illas præfert, vt in *lib. de reuulſ.* in quibus pluries in anno sanguis extrahendus est, venam frequenter incidere minimè idoneum esse arbitratur; quandoquidem cum larga sanguinis copia vitalis quoque spiritus emittitur, quo absumpto crebrius moles vniuersa frigescit. Præfertur etiam *lib. de sanguin. miss. c.* 11. in mulieribus, quæ albidiores sunt, & sanguinem aceruant tenuem, quo circa adhibitis malleolorum scarificationibus maxime iuuantur. Et paulo post, scarificare, quam venam secare præstiterit.

Neque ex scarificationibus paucus est, qui extrahitur sanguis: Oribasius enim sibimet cum pestilentia vehemens Asiam vniuersam deprehendisset, multósque perdidisset, & eum morbus attigisset, secunda morbi die remissione febris facta, crus scarificauit, duasque ferè sanguinis libras extraxit. At ex cucurbitulis scarificatis quis vnquam vncias sex extrahere potuit?

Variis corporis locis scarificationes fieri apud Ægyptios narrat Prosper Alpinus: fieri etiam apud Sarracenos; imò etiam apud æthiopes mihi notissimum est, qui plurimos viderim cicatricibus scarificationū tum in maxillis, tum in auribus, brachiis, cruribus, dorso pectore signatis. Tamen apud nostrates Lusitanos in more positum erat, pueris febricitantibus suras, & nonnunquam brachia scarificare, adeò vt ex senibus multi adhuc reperiantur cicatrices habentes, tamen crescente audacia chyrurgi venam lactentibus scindere potuerunt, ac propterea omissa est scarificatio, fortassis magno infantium incommodo. Atque ita actum est, vt remedium dissuetudine fiat horrendum; Memini me Florentiæ filiolum Roberti Pepij febre laborantem, quoniam parentes potui exorare scarificasse, & infantem à mortis faucibus hoc auxilio liberasse.

Scarificandi modus is est ex Antyllo apud Oribasium. Pars, quæ scarificanda est, priùs si fieri potest, lauari debet, sin minùs aqua tepida perfundi, vsque dum rubefiat, spongisque foueri (neque quod addit recipio, nempe soli, igníue exponi) posteà scarificare: Adhibendæ autem sunt scarificationes cruribus, & abdomini per rectitudinem; eodémque modo in thorace, dorso, & ceruice: at in capite positu capillorum in fronte; obliquæ porrò incisiones sint æquali inter se magnitudine, sintque æqualia, quæ inter ea sunt, interualla, initiúmq; scarificationis ab inferioribus partibus sumatur, ita enim sanguis ad extimas partes influens, non obscurabit eas, quæ deinceps scarificandæ

rificandæ erunt. Situs verò scarificationum per æquales inter se ordines fiat, non fiat autem scarificatio plagam infligendo, sed per tractum, hoc enim pacto dolore vacabit.

CAPVT VIII.

De Vesicantibus.

TVm Galenus, tum plerique alij graues autores vesicantium mentionem faciunt in variis affectibus, remedium sanè, si rectè adhibeatur, admodum vtile, sed quod nostris temporibus timorem incutit, non ob remedij violentiam, sed ob consuetudinem quæ inualuit adhibendi hoc auxilium ægris in extremo periculo constitutis,

Cæterùm hoc remedium inter reuulsoria, non minimum dignitatis locum obtinet: quapropter à Galeno 7. *local. cap.* 4. in affectibus ventriculi, spongiam aceto acerrimo imbutam pedibus, brachiisque imponi iubet, vsque quo bullæ excitentur præcipuè iis, qui cibum reiectant. De hoc auxilio duo tantùm breuiter pertractabimus. Primò vtrùm omni fluxioni conueniant: secundò vtrùm, etiam febribus sint opportuna. Primæ controuersiæ occasionem nobis attulit Alexander. Trallianus disputans contra Galenum; secundæ duo Neoterici inter se parùm modestè rixantes, nempe Alexander Massaria, atque Hercules Saxonia.

Quod attinet ad primum, videtur Galenus, etiam fluxionem pendentem ab humore calido rubicantibus, & vesicantibus cohibere velle; siquidem 5. *meth. cap.* 13. matronæ nobili, quæ sanguinem spuebat, ceratum capiti ex stercore columbino imposuit, fuisse verò catharrum calidum significatur, quia illi dedit theriacam recentem ad incrassandos humores tenues. Galenum nomine compellat Trallianus tum *lib.* 5. *c.* 4. tum *lib.* 7. *de iis, qui sanguinem ob acris humoris destillationem expuunt*, vbi ait, miror autem quomodò diuinissimus Galenus nullo humectante, & refrigerante medicamento vsus sit, sed contra statim ab initio siccantibus, & calefacientibus, etsi causam reiectionis, quæ ob erosionem fit, accuratè nouerit. Aet. *Tetrab.* 2. *ser.* 4. *cap.* 53. Galenum taxare videtur, inquiens, melius autem erat mea quidem opinione, velut fontem malorum exscindere, sanato videlicet capite, quod si impossibile sit facere ob vehementiam naturalis intemperiei, omnino tamen eius saluti consulere oportet, indicatione ex ipsius figurâ accepta, quomodò ei subueniri possit, non enim mox, veluti aliqui Medici omnibus capitibus semper ex tapsia, & sinapi cataplasmata adhibent, sic & te, facere volo. Etenim si à calida intemperie caput vexatur, omnia calida pharmaca nociua sunt. Hæc Aetius, qui infra *cap.* 60. loquens de iis, qui ob destillationem sanguinem expuunt, curationem instituit Galenianæ omnino similem. Galeno assentitur Paulus Ægineta *libro tertio*, *capite*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

capite 31. agens de cruentis sputis, & Auicenna 10. 3. *tractat.* 3. *capite sexto.*

Horatius Augenius licèt à consobrino suo Sebastiano Paparella in cauterio ad catarrhum calidum dissentiat, tamen in vesicatorio conuenit, nempe solùm prodesse in catarrho frigido, eiusdem etiam est opinionis Amatus Lusitanus *cent.* 2. *cur.* 1. *in scholio*, qui incrassare materiam studet, & oleis frigidis, & vnguentis refrigeratoriis vtitur, sed tandem cum omnino desperata res est, ad vesicatorium confugit.

Nos de cauterio in hoc casu suo loco agemus; de vesicatorio nunc breuiter nostram sententiam aperientes dicimus, reuulsionem, & in catarrho calido, & in frigido conuenire: alterationem verò vnicuique per sua contraria: cæterùm ceratum hoc, vesicas excitans, non adeò alterat cerebri substantiam, & interiorem partem capitis, vt non possit adhiberi: est enim caput duro cranio, & meningibus munitum: reuulsionem verò optimè præstat; & testor, me hoc vnico remedio multos ab impendente phtysi liberasse. Non diffitebor, magis securum esse remedium in causa frigida, quàm in calida, sed tamen cum vrget necessitas, non adeò est timendum, vt prorsus omittatur; quapropter cum Galenus ex sanguinis sputo periculum impendere videret, meritò ad hoc remedium confugit, cuius tamen remedij vim optime cognoscebat, vt possumus colligere ex iis, quæ scripta reliquit *lib.* 6. *de sanit. tuend. cap.* 9. inquiens. *Neque committere, vt nonnulli Medicorum faciunt, qui omni capiti medicamentum, quod ex tapsia, & sinapi componitur, applicant, id ipsi quoque faciant, quia si ex calida intemperie caput male habet, talia medicamenta nocent.* Videndus etiam est Galenus 5. *meth. cap.* 14. de iis, qui ex vitiosi humoris erosione incidunt in vlcus pulmonis. Et 13. *meth. cap.* 21. agens de soporiferis affectibus cum febre ait; *Ab his verò sternutatoriis vtemur, tum capiti similes præsidiorum facultates imponemus, adaucta semper eorum temperie ad ipsum vsque sinapi vehementia, si vitium diu trahat.* Ex his patet temerè Galenum temeritatis damnari, siquidem probè gnarus grauitatis huius remedij, & grauitatis periculi, ad auxilium præstò confugit, ad quod non nisi post alia confugiendum esse docet.

Quod attinet ad secundam difficultatem, non reperio apud antiquos, febricitantibus huiusmodi remedia esse accommodata; reperio tamen apud Galenum 13. *meth. cit.* hoc remedium in iis affectibus, qui cum febre accidunt, quapropter nec laudo illos, qui in aliquibus affectibus reuulsionem per vesicatoria moliri nolunt, propter adiunctam febrem, neque alios, qui febribus vesicatoria adhibent, vt curationem febris.

De hac secunda difficultate multa scripta reliquerunt Saxonia, & Massaria. Vnum tamen dicemus, reuulsionem, quæ per vesicantia fit in febribus pestilentibus ad extrahendos vapores à corde, posse adhiberi; nam cum Gal. *lib. de humoribus cap.* 13. & de reuulsione *cap.* 2. medicamenta acria par-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

tibus extremis imposita conueniri dicat, in pestilentibus febribus ob fluxionem in caput, aut thoracem tendentem, quamuis enim non expresserit febres, tamen certissimum est de febribus locutum fuisse, quandoquidem similes fluxiones nunquam absque febre fiant.

Deinde si Aëtius, Paulus, Auicenna, Oribasius, & alij calidis fomentis, & cooperimentis vtuntur ad attractionem celebrandam, cur medicamenta vesicatoria extremitatibus apposita adeò timebimus? Nunquid magis excalefacient, quàm illud, quod Aetius consulit *Tetrab.* 2. *serm.* 1. *cap.* 95. inquiens, si ardor verò occupauerit interiores partes, exteriores autem, & superficies frigidæ fuerint, etiam his calefactoria fomenta adhibere conuenit, vt calor ad superficiem corporis trahatur, & quibuscumque fieri potest modis conandum est, vt calor à profundo ad externa educatur. Aetio consentit Auicenna 1.4.*tract.*4.*cap.*4. Et Paulus, quibus huiusmodi adsunt symptomata calorificis opus est, quibus vlceretur præ ardore vndique corpus.

Deinde quemadmodum omnibus febribus sudor est optimus (intelligo præcedentibus signis coctionis) ita extractio ad cutem, quæ per vesicatoria fit.

Tandem in febribus periodicis, in quibus manifesta fit fluxio ad interna, reuulsio ad externa maximè competit.

Denique cum Galenus; & graues authores actibus medicamentis pro reuulsione humoris ad partem principem fluentis medicamenta acria sumpserint, non tam stupidos fuisse credendum est, vt ignorarint, in talibus fluxionibus febres dari.

His relictis prosunt vesicantia ad tophos, & alios tumores dolorem excitantes à lue gallica ortos; in doloribus etiam iuncturarum, & tumoribus à causa frigida ortis, mirabiles producunt effectus.

Quòd attinet ad locum, si pro euacuatione apponuntur, eidem loco affecto apponi debent; si pro reuulsione, longissimè, si pro deriuatione, in vicinis partibus.

Itaque cum causa mali est in capite, vel materiam superiùs extrahemus, nempe ad coronalem suturam, vel eam mandabimus ad capitis emunctoria, nempe parotidas, aut occipiti. Laborante thorace, fiet deriuatio, si apponatur scapulis, & brachiis, tam supra, quàm infra cubitum; suprà in externa, infra, in interna parte carnosa, quinque digitos supra carpum. Pro euacuatione ipsi parti affectæ, pro reuulsione, etiam cruribus adhiberi debent supra genu, & supra talum.

Modus applicandi talis est, sublatis pilis, deinde verò frictione, si pars pilosior, durior, & frigida fuerit, fiat frictio cum aceto accerrimo, si res expostulauerit, vel vino generoso, vel aqua vitæ, seu lixiuio, oleum vel res vnctuosa non attingat, quòd si adsit, abstergatur, alioquin ex Oribasij,

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

& Aëtij sententia vnctuositas acrium medicamentorum facultatem obtundet. In syncipite ex Galeno 13. *Meth.* supra suturam coronalem rasis capillis, facta priùs vehementi frictione, vesicans validum apponi debet, posteà locus exulceratus, non sicuti in aliis partibus adipe est illinendus, sed medicamento superimposito acri, & attractoria facultate prædito, nisi dolor multum vrgeat, aliqua ratione est exacerbandus; Sic Archigenes 3. *loc. affect.* ad deperditam memoriam post sinapi vehementissimum, caput nitro conspergere, mox aqua calida rigare consueuit; hoc medicamentum, vt Galenus est testis vehementissimum est, siquidem dolorem per aliquot horas conseruat. Si quis autem nitro vti nolit, poterit vti medicamento aliquo leniore, quale est diachylon, aut aliquod simile.

Aduertendum tamen est non omnia omnibus esse applicanda, nam qui carnes molliores habent, minorem diligentiam expostulant.

De Anni tempore, regione, & constitutione habenda aliqua ratio est. Ad excitandam vesicam quibusdam 8. aut 10. horæ sufficiunt, alij plures exigunt.

Aduertendum etiam est, difficulter vesicas excitari in humoribus malignissimis, qui maiorem vim habent ad attrahendum ad interna quàm vesicantia ad externa: idcirco obseruatum est, in pestiferis valde lethalibus vesicantia nihil effatu dignum extraxisse.

Itaque spectanda est morbi idea; nam in morbo ex crassis humoribus prodeunte, nihilo ex eo, quod parti est affixum, educi potest, in inflammatione incipiente maximè.

CAPVT IX.

De Cauteriis.

CAuterium præter alia significata sumitur pro vlcere rotundo facto cum igne actu, vel potentia, ad Medicos fines, & hæc est descriptio breuior, quàm aliæ, quas plerique authores afferunt. Thomas Fienus, combustionem esse, ait, factam opera chyrurgi, quasi alterius, quàm chyrurgi manus non sit apta ad cauteria aperienda; addit esse superuacuarum ablationem, vtilium retentionem, partisque roborationem, seque omnia in his tribus complexum fuisse profitetur, nam in superuacuorum ablatione continentur, cum cauterio excrescentiæ, tumores, partes putridæ, & quæuis adnascentiæ auferuntur.

Sub vtilium retentione comprehenditur, cum eo vtimur ad retinendum sanguinem, qui ex apertis arteriis, aut magnis venis effluit. Sub particu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

læ roboratione continetur, cum partem, aut refrigeratam calefaciendo, aut siccam humectando, aut humidam exiccando, aut laxam constringendo, & coarctando roboramus. Et quoniam fonticulos comprehendere oportuit, eos complecti inquit sub ablatione superuacuorum, quia per fontanellas humores è corpore abundantes educuntur.

At non videtur, ex artis medicæ præceptis satis propriè locutus, cum inter euacuationem, deriuationem, & reuulsionem non constituat differentiam. Cauteria igitur tum ad euacuationem propriè dictam, hoc est, è loco affecto, tum ad deriuationem, necnon ad reuulsionem sunt vtilia, quæ omnia præstat comprehendere in illa particula ad medicos fines, seu ad medicos vsus, ne longissimam descriptionem componamus, qualis est illa, quam quidam ineptè satis, imò ridiculè tradidit, in qua post multa ait, cauterium esse factum ad salutem hominum, & sic excludi cauteria, quæ fieri solent brutis animalibus, quia hæc ad veterinarios spectant.

Vsum cauterij, nos docuit natura, videmus namque, illius beneficio vlcera enata ab ægritudinibus liberare. Hinc Hippocrates, vlcera in capite exorta epilepsiam sanare, scriptum reliquit, & eruptiones vlcerum capiti prodesse.

Nouerintne Veteres fonticulorum vsum dubium est. Fienus affirmatiuam partem tuetur, multasque accumulat authoritates lib. 1. cap. 13. quibus probat, veteres Authores vlcera aperuisse, eáque aperta per plures dies reliquisse. Cæterùm probare debuerat, huiusmodi cauteria esse deriuatoria, hæc enim sunt, quæ recentiores fontanellas appellant, nam hydropicum circa vmbilicum vrere, empiematicum in pectore non est fontanellas facere; Quòd verò illa vlcera diu aperta reliquerint, id optima ratione factum videtur, vt materia benè expurgetur, non tamen inde sequitur fontanellas esse, nam fontanella est reuulsorium, deriuatoriúmue præsidium, quod apertum seruatur, vel per totam vitam, vel per plures annos illa alia per dies, aut solùm per menses aperta conseruantur.

Alij sunt adeò stupidi, vt Galenum fontanellas cognouisse aiunt, idque ex duobus eius locis eruunt; Primus est *lib. de Theriaca ad Pisonẽ c. 16.* vbi vlcuscula ad rabidi canis morsũ laudat: sed legite verba Galeni, & videbitis, quàm extra rem citetur hæc authoritas. Docet quomodo rationalis Medicus se geret in cura morsus venenosi. Curabit, inquit, vulnus illud non simpliciter, sicut methodici solent, sed illud maius illo conficiet, carnem circumquaque auferens, & ad rotunditatem redigens, ne facilè cicatricem obducat, sed apertum longo tempore perseueret, saltem 40. diebus, quo rabidi canis venenum egredi queat.

Secundus locus, non magis idoneus priore, habetur 5. *local. cap. 9.* in quo dicunt, Galenum ad dentium dolores fonticulum in brachio aperuisse;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

se; Considerate verba Gal. Si batrachij siue ranunculi folia, ei, qui dentem dolet, in eiusdem partis brachium imposueris, dolore quidem liberabitur, brachium autem exulcerabitur, cuius curam, provt conuenit, facies. Quis ex his Gal. verbis, nisi pertinax sit, eliciet, illum voluisse fontanellam excitare?

Fonticulum cognouisse Cornelium Celsum, reperio apud eum lib. 3. cap. 23. de Epilepsia.

Vsum igitur cauterij deriuatiui, quod fontanella appellatur, tanquam vtilissimum recipiendum censeo, licèt non tanquam antiquorum inuentum, sed Arabum. Est opportunum ad euacuandam, deriuandam, & reuellendam materiam, paulatina euacuatione, & Naturæ imitatur operationem. Illa enim vt ait Gal. *de causis morborum capite sexto*, ab initio materiæ inutilis expurgandæ gratia multa instrumenta fabricauit, omnibusque corporis partibus non æquale robur dedit, siquidem principaliores maiori robore donauit idque, vt corporibus impuris, in quibus, inutilis materia redundat, ad ignobiliores, atque imbecilliores conflueret: nam superfluus humor, vt qui à partibus robustioribus expellitur, & nullibi consistere potest, ad imbecillem partem detruditur; Hæc autem pars vel talis existit, quia natura ipsa exigit, vt talis aliqua habeatur, vel quia ob aliquod vitium imbecillitatem contraxit: talis à Natura cutis fuit comparata, quæ cum nulla operationem propriam habeat, sed vsus tantùm gratia à Natura fuerit instituta, optima ratione partibus aliis, quæ aliquam habent operationem, imbecillior facta fuit, vt & quoddam veluti velamentum, & amictus animalis amicus existeret, atque totius corporis excrementa susciperet.

Quod igitur attinet ad locum, non omnis pars vstionem admittit, nequè omnis materia ex quocumque loco æquè euacuatur, sed sæpe meliùs ex remoto quàm ex propinquo ob maiorem cum illo, quàm cum hoc ductuum, & viarum communionem; Igitur ea pars est opportunior, vnde meliùs eorum vis ad membrum perueniat.

Cum ad alterandum cauterio vtimur, tunc propinquitas optanda est, alteratio enim meliùs fit in propinquo, quàm in remoto; cum verò euacuandum communitas vasorum, etiam si pars sit remota, meliùs námque ad remota deducitur materia per vias apertas, & latas, quàm ad propinqua per cæcas, & angustas.

Aduertendum tamen est, vt partes principes, quoad fieri potest, cauteriis non tangamus, nec minus etiam principibus partibus vicinas, & quæ cum principibus magnam habent communionem; sunt enim earum actiones maxime necessariæ, actiones autem à temperamento pendent, quod cauteriis deperditur, & grauissima alia hinc possunt oriri mala, verbi gratia dissipatio spirituum, inflammatio propter dolorem, & materiæ attractio-

 nem,

nem, & denique reddentur seruæ partes illæ, quæ principes à natura fuerunt factæ.

Præterea fugiendæ sunt partes, quæ acutissimo sensu sunt præditæ, quales sunt neruosæ omnes, tendines, musculi; oculi exquisitum habent sensum, & partes etiam possunt dici præcipuæ, non strictè sumpto principatus nomine, sed quia sensus maximè necessarij sunt instrumenta, quapropter si quando in ægilope cum fistulosum vlcus est, & os subtus redditur cariosum; ita vt nullis aliis præsidiis corruptela possit superari, tunc possumus aurea acu ignita vti, sed magna adhibita diligentia, sentiunt enim oculi nimium, & nullum dolorem, aut mordicationem tolerant, & cum sint valde fluxionibus obnoxij, impetu humorum à calore trahente facile obruuntur; præterea habent essentiam suam in quadam tenui aquositate constitutam, quæ ignis vi facilè exsiccatur, & condensata necessario exuet perspicuitatem, quæ ad visionem requiritur.

Venæ etiam, & arteriæ cauendæ sunt propter sanguinis fluxiones, quæ superuenire possunt, præcipuè arteriis, quæ propter continuum motum ægrius consolidantur. Attamen, ne putetis, me intelligere exiguas venas, & exiles neruos, quales vniuersam cutem contexunt, tales enim sine periculo vtuntur, & euitari non possunt, alioquin nullibi esset cauterio locus.

De cauterio in parte posteriore capitis, quo communiter vtimur tum ad reuulsionem humoris fluentis ad oculos (fit enim ita reuulsio ab anterioribus ad posteriora) tum etiam ad deriuandos humores à capite, *Gal. 2. de composit. secund. loc.* dicit occiput non facilè esse vrendum, quoniam ibi est origo spinalis medullæ, & neruorum. Cæterùm vsus iam obtinuit, vt infantes vix nati in ea parte inurantur, & hac præcautione vtuntur Medici, ne epilepsia infantes opprimat, & vis catarrhi suffocet. Multi laudant potiùs in illa parte sectiones, vtpote magis superficiales, sed puerulis sunt magis dolorificæ. Fiunt igitur cauteria in ceruice inter primam, & secundam, aut inter secundam, & tertiam vertebram, & inferiùs, & ad os sacrum in spatio intermedio vertebrarum, pro reuulsione à capite, & maxime ab eius anteriore parte.

Ad deriuationem fiunt in brachio: locus infra humeri articulum per 3. aut 4. digitos, in parte interiore, inquit Claudinus, ad euitandas iniurias externas, sed parum nocent externæ iniuriæ vlceri benè contecto; vsus communis exteriorem partem eligit, & meritò, nam magis venis cum capite communionem habentibus hæc pars correspondet; Attendat chyrurgus, vt inter duos musculos partem igniat. Semper autem à tendonibus est cauendum, propterea nec in principio, nec in fine musculorum applicatur.

In cruribus eadem obseruatio est habenda: externa pars semper est magis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

magis accommodata, nisi vbi in fœminis ab vtero deriuatio facienda est.

In Ischiade femur adurere oportet, & quia pars est carnosa, & malum intus latet, profundius fiat vlcus. Albucasis *lib.*1. *cap.*42. Iubet cauterizare cum cauterio tria habens capita in triangulum disposita, & fieri iubet profunditatem satis magnam, & sit inter vnumquodque cauterium quantitas crassitudinis digiti, & huic muneri plura instrumenta depingit varia, & satis vtilia: aduertendum tamen est, ne quid nimium, aut temerè fiat, ne comburatur neruus, aut arteria, & sequatur lethale damnum.

Quod attinet ad cauteria, quæ applicantur partibus affectis, multa, & varia sunt: duo tamen vobis proponam magis necessaria: primum, quo empiematici aperiuntur; secundum, quo hydropici. Apertio empiematis (vide Amatum Lusitanum cur. 61. Cent. 1.) fit in latere finistro, quantum possibile est, ex Hippocr. *libro* 2. *de morbis*, vbi habet. *Tu verò concute humerum, aure ad latera admota, quo percipias ex vtraque parte significationem sui præbeat; optandum autem ex sinistra, nam dextram vrere, aut secare lethalibus est; præterea fiat iuxta septum transuersum, cauendo tamen ne ipsum lædamus: fiat & inter secundam, & tertiam, aut inter 3. & 4. costam.*

Ad hydropem magis laudant authores incisionem, quam vstionem; Videre licèt Celium Aurelianum, Vall. *epid. fol.* 1012. Paræum, &c. fiat igitur apertio, quæ paracentesis appellatur, vel vstione, vel incisione, quæ sanè optimum remedium est; Infamiam subit, quia tardè, & desperatis adhibetur. Apertio igitur facienda est tres digitos infra vmbilicum.

Materia, cum qua fiunt cauteria, est omnis, quæ potest apte comburi, & comburere, siue id sit metallum, siue lignum, siue alia res quæpiam; Illud solùm aduertam ex Albucasi *lib.*1. *cap.*1. dici cauterium ex ferro esse melius, quia illud, quod fit ex auro, cum igne non candeat, nescimus, an rectè ignitum sit, atque ita si infra subsistimus, non perfectè adurit, si vltra progredimur, liquatur in igne. Tamen non est negandum, in partibus teneris, & delicatis, vt prope oculos, qui sunt tenerrimi, & maximè sensiles, aurum esse conuenientius, & quia minorem, quàm ferrum, dolorem infert, & quia ibi maximè cauendum est, ne vlcera fiant fistulosa, & propter humiditates, quæ facilè eò ob cerebri viciniam delabuntur, quod auri vis à proprietate cauet. In aliis quoque faciei partibus, vt palpebris, genis, decor vultus seruandus est, aurum melius esse, quia ferè nullam relinquit cicatricem. Prosper Alpinus de Medicina Ægyptiorum *libro* 3. *capite* 12. inustiones apud Ægyptios fieri consuetas narrat, bombace incensa, &

supra

ſupra partem impoſita, donec eam adurat, & hæc de cauteriis actualibus.

Potentialia multa ſunt tum ſimplicia, tum compoſita, ſed mihi inſtar omnium erit illud, quod Ambroſius Paræus ſericum vocat, quoniam mihi nullum præſtantius adhuc contigit experiri, quod eſt videndum apud illum *lib. 25. cap. 32. fol. apud me* 831.

Atque ita huic tractatui finis imponitur, in quo ſi non omnia, & ſingula exactè vobis tractaui, at certè præcipua, & magis neceſſaria non reliqui.

STEPHANI

STEPHANI RODERICI

CASTRENSIS LVSITANI,

DE POTV REFRIGERATO Lectio.

QVID æstatem ingressuris commodius, quam cognoscere, vtrùm potus arte refrigeratus, quemadmodum palato arridet, ita etiam sanitati sit vtilis? Arte dixi potum refrigerari, quia innata fontium frigiditas in æstate, aliquibus in locis, propter antiperistasin perit, in aliis remanet quidem, cæterum moderata, & quam nemo non laudare debeat. Quod si rari quidam sunt fontes, in quibus frigus admodum superfluit, vt mihi vidisse contigit; hos inter eas aquas, quæ arte refrigerantur, repono. Neque enim an arte, an naturâ fiat quærendum anxiè est, id quod quolibet modo est vnum, & idem.

Sanè si res antiquitate commendantur, consuetudo hæc refrigerandæ potionis, apud Antiquos in more posita, hac saltem ratione commendari debet. Multa extant testimonia ex quibus hanc Veterum fuisse consuetudinem innotescit. Lepide quidem Simonides Poëta, quasi proposito quodam ænigmate, niue refrigeratam potionem exposcebat, ex impræmeditato epigrammate composito, vt Athenæus in deipsonosophista lib. 3. ait: *referam carmina prout à Casaubono sunt translata.*

,, Pierij costas, qua circamtexit Olympi
,, E regno Thracum flans vehemens Boreas,
,, Quæque inopes lanæ afflixit, verum esse molesta
,, Desiit in tumulo, viua reposta diu.
,, Huius partem aliquis dato mi: feruentia amico
,, Turpe nimis fuerit, pocula porrigere.

Sed vultisne prius scire an calidam propter delicias, non minus quam frigidam potare Veteres fuerint soliti? Hoc Mercurialis in suâ variâ lectione lib. 1. cap. 8. *putauit se optimè assequutum. Neque sibi persuadet vnquam inter con-*

nimia Veteres aquam calefactam bibisse; quod ea potius concitet vomitum, quàm voluptatem, aut commodum afferat. Plinium sibi fauere ait, qui potum calidum esse contra naturam probat argumento brutorum quæ frigidum prosequuntur, & neque Plinius, neque Galenus vllam huiusce potionis, nisi in ægrotis mentionem fecerint.

Existimat ergo calidam vocasse Antiquos illam, quæ nulla arte erat refrigerata, sed qualis suapte natura potaturis porrigebatur. Affert in suæ sententiæ confirmationem Martialis Epigramma quod sic habet.

„ Iam defecisset potantes calda ministros,
„ Si non potares Cæciliane merum.
„ Frigida non desit, non deerit calda petenti;
„ Sed tu morosâ ludere parce siti.

Hæc ego carmina non video, quid possint Mercurialem iuuare; neque enim aliud indicant, quàm in conuiuijs, & calidam, & frigidam adesse solitam, vt posset minister vniuscuiusque voluntati obtemperare, sic Iuuenalis Satyr. 7.

„ Quando vocatus adest calidæ, gelidæque minister.

Cæterùm, cum processu sermonis se ipsum Mercurialis conuincat, ex alio Martialis carmine dicentis.

„ Calidam poscis aquam, sed nondum frigida venit,
„ Alget adhuc nudo clausa culina foco.

Si calida erat, quam potabant Veteres; at saltem ea valetudinarios vsos fuisse obtinere vult Mercurialis, vel illos, qui vomere cupiebant, vt copiosius, & maiore fame ingurgitarent. Ihodos appellauit quidam apud Athenæum albos cyrenæos, quia ab his, vt in colore dissimiles, in lasciuia similes erant; potabant namque calidam non ob aliud, quam vt eius ope acceptos cibos reuomerent, & ita rursus impleri possent.

Alia coniectura eiusdem Mercurialis est fortasse sanos excalfactam aquam in vsu habuisse, vt remitterent vehementiorem frigidæ asperitatem; cum enim in conuiuio dissentiant multi, vt Horatius ait, poscentes vario diuersa palato, *erant qui frigidissimo delectabantur potu; alij subfrigido; alij verò omnino à qualibet frigiditate læsi calidum exposcebant.*

Hæc mihi vltima coniectura magis placet, præcipue cum apud Athenæum Eupolis sic ait. Ahenum calefacere nobis aliquem, & aquam iube decoquere, visceribus vt auxiliemur. *& Antiphanes.* Aquam, *inquit*, mihi qui coquat, neminem aspicere sustinebo non enim malè valeo, & Dij faxint, vt valeam: verùm si tormina circa ventrem & vmbilicum cruciarent; adest à Phertato mihi drachma emptus annulus.

Itaque calidæ potu nolebat iste vti ad tormina, sed potiùs, si eo malo premeretur, recurrebat ad annulum, qui gestatus, aduersùs colicos dolores erat potens, quemadmodum nunc lapis ex nouo Orbe aduectus, quem hispanico sermone. Piedra de hijada *appellamus. Erant autem annuli, quos physicos appellabant: his*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

his putabant esse vim sanandi, aut potius auertendi morbi. Alij pro annulo legunt digitum, nempe ad prouocandum vomitum: sed ista missa facio & Veteres calida fuisse vso pro comperto habeo, ex multis, quæ Athenæus in hanc rem congerit: non autem pro calidâ tepidam intelligo; multum enim differt an calidum quis, an tepidum bibat, quod obiter obseruate, vt quomodo medicamentum sit exhibendum cognoscatis. Tepidum igitur sic scribente Galeno 8. meth. c. 5 *Ventriculi firmitudinem dissoluit, & Auicenna* p.4.tract.1.c.6.*omne tepidum ait, esse molificatiuum, & virtutem resoluere; quare dum vomitum timemus, non oportet medicamenta exhibere tepida, ne facilè vomantur, non tamen nimis calida, ne ventriculi tunicas constringant. Dare igitur oportet æstate frigidum, hieme vero calidum, vt Hippocratis oraculo accepimus* 1. acut. 43. *quod ita intelligetis vt nec æstate nimium frigidum medicamentum exhibeatur, nec hyeme plus nimio calidum; sed in æstate declinet ad frigidum, idest citra teporem consistat, in hyeme verò ad calidum inclinans vltra teporem progrediatur, sed de his satis.*

Refrigerandi aquam mille modos cognouit Antiquitas, neque aquam duntaxat, sed vinum quoque refrigerabant Veteres; vnde Diphilus in Mnematio, Heus tu Doriton, actutum vinum refrigerato: vtrumque in primis niue. *Ita legitur apud Atheneum quidam dum variis, & diuersissimis rebus hominum genus vti proclamans, adiungit*, bibendam niuem nos preparamus, aqua vero nisi calida sit seruum obiurgamus, *& Dexicrates ait*, ebrius sum, & niuem bibo. *Et Martialis.*

,, Non potate niuem, sed aquam potare rigentem.
,, De niue, commenta est ingeniosa sitis.

& de gula dedito, dicitur, Primus is resciuit, venalis an esset nix. *Niues ad hoc munus in fossis seruabant, quibus quernos ramos super inijciebant, & hoc est quod in priore epigrammate superius relato dixit Simonides, niuem tumulo viuam fuisse repositam hoc est, in fossis conseruatam.*

Alius refrigerandæ aquæ erat modus quo hodie aliqui vtuntur, videlicet œnophorum in puteum demergere, sic lepidè Lysippus in Bacchis, de eo, qui se in puteum proiecit; se in puteum supernè, vt æstate vinum videtur deturbasse, & stratis in refrigerantibus, vinum bibere, *inquit* calidum, nunquam is nolit, sed multo magis contra in puteo refrigeratum, aut diuitum niue. *Et Alexis in Parasito*, etenim volo aquam degustare, cum puteo mihi res est, qui frigidiore introrsum penitus abstrusit. *Nec in puteo, sed in cisterna etiam, refrigerabatur aqua. Apollodorus, idcirco an.* Situlæ quæ in cisterna fuit, & eius quæ in puteo, funes exolutos, vt accommodati essent perfeci

Alij, vt testatur Galenus 6.epid. sect.4. *in Alexandria, & vniuersa Ægypto occidente iam sole calefactam prius aquam testaceis vasis inijciebant, eaque vasa fenestris ad ventos expositis, vt tota nocte refrigerarentur, suspensa, deinde ante solis exortum humi deposita frigida aqua conspergebant, ac interdum ipsis folia frigida vitium, lactuca, & similium componebant, vt frigus aqua noctu acquisitum, interdiu conseruaretur: eodem fere artificio vtebantur mi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

lites Antiochi Regis, vt refert Protagorides lib. Comicarum historiarum.

Tandem Neronis nomen in refrigerandæ aquæ artificio fuit conseruatum; siquidem decocta Neronis vocabatur ea, quæ Neronis inuento refrigerabatur, cum aquam decoqui sibi, vitroque demissam in niues refrigerari curabat.

Itaque vel ad solem, vel ad ignem priùs tepebat aqua, quàm refrigeraretur, vel etiam suapte natura tepida erat, vt Casaubonus notat, causam huius rei explicat Alexander Aphrodisæus in suis problematibus, & est inuentu facilis, quia scilicet calore attenuata melius à frigore penetratur.

Verum hæc omnia, Antiquos refrigeratis vino, & aqua vsos fuisse probant: nunc vero hæc consuetudo voluptati, an sanitati inseruierit Medici est considerare: hoc peragam priùs aduertens, quod superius tetigi, me de immoderatâ refrigeratione loqui, in qua parum abest, quin aqua, aut vinum in niuem, aut glaciem abeat, quod potissimum fit niue, aut glacie in aquam vinum iniecta.

Aduertendum præterea est, sitim fieri tum pulmone, tum ventriculo æstuantibus, quare æstatis tempore cum aër calidissimus respiratur, æstuantibus pulmone, & ventriculo, sitis fit maxima, & reliquum corpus successione quadam exarescit, tum quia hinc concipit siccitatem, tum quia transpiratio item non recreat; quare quamuis hyeme ventres naturâ sint calidissimi, hoc est innati calidi substantiâ, & quantitate: tamen æstiuo tempore qualitas caloris longè magis excedit: quapropter ex frigida potione emendari cupit, & cum primùm potus ventriculum ingreditur, subitò à venis arescentibus, & ab vniuerso corpore flagrante exhauritur, vnde calor adeo temperatur, vt sanguis, qui præ ardore bilescit, ad suam naturalem reuertatur temperiem; multa alia de frigidæ potu commoda recenset Galenus, quæ perperam niue refrigeratæ aquæ laudatores in suam opinionem adducunt, cum Galenus, non de excedente, sed de moderata frigiditate loquatur.

Hæc est frigidæ potionis vtilitas; Cæterum an excedens frigus secum maius damnum afferat, quàm sit hoc vtile, quæsitu dignum est. Frigidum, vt nix, & glacies (dixit Hippocrates 5. aph. 24.) pectori inimicum tusses mouet, & sanguinem, & destillationes. Galenus putat Hippocratem in hoc Aphorismo absoluto sermone de aqua frigida, & calida agere de niue, & glacie. Verum rationi consentaneum est, vt eandem sententiam intelligamus non tantum de niue, & glacie, sed de niuata, glaciataue potione.

Porrò si quis bibat aquas, quæ ex niue, & glacie dissolutis fiunt, sciat has omnes prauas esse, teste Hip. de aëre, aquis, & locis; rationem adiungit, quoniam, cum semel concretæ fuerint non amplius in pristinam naturam restituuntur, sed quod in ipsis clarum ac leue est, & dulce excernitur, & disperditur, relinquitur ergo crassum, ponderosum, & turbidum, hoc enim est, quod concrescit. Experimento hoc cognoscere nos docet, nam si aquæ certam mensuram, hyemis tempore subdit relinquamus, ita vt concrescat, & postridie in calido loco eandem reponamus, vt scilicet liquescat; reperietis aquam longè pauciorem: signum quidem euidentissimum, magnam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

magnam huius aquæ partem, dum concrescit, deperditam fuisse; non potuit deperdi id, quod crassum est, quoniam magis est concretioni idoneum; deperditum igitur fuit tenuius, vtpote quod facilius in vapores abit.

Ex his intelligetis, in magno errore & periculo versari eos qui niuem, aut glaciem intra poculum reponunt, ita vt dissolutæ bibantur. Hinc lienis tumores (propter id, quod terreum est in eis permixtum) fiunt: & in iecore schyrri, quoniam subtiles admodum huius visceris venæ facilè occluduntur; glacies verò ebibita, & obduratur, & obdurat; quare frequentissimè hoc malum euenire solet, quod quàm sit perniciosum inculcat Galenus; quandoquidem à schyrro iecoris nullum se sanatum aut vidisse, aut audiuisse, testatur.

Cæterùm vitia; quæ ex frigiditate nimiâ eueniunt, & niue glaciéque & potui niue aut glacie refrigerato sunt communia, de quibus mox agemus, illud priùs inquirentes; An alij refrigerandi modi, scilicet dum aqua in puteo, aut cisterna detinetur, aut sub dio relinquitur, sint minus perniciosi, quàm sit refrigeratio facta ex circanstante niue, & glacie; nam de his in poculum intromissis iam diximus nocua esse, siquidem in aquam dissoluuntur, & prauitatem suam retinent.

Comparatio autem inter similia debet fieri, nam si aquam in puteo, aut aliter moderatè frigidam statuatis, eam verò, quæ niue, glaciéque refrigeratur, impense frigidam esse dicatis; profectò, iam aqua in puteo refrigerata non aufert secum magnæ frigiditatis incommoda. Igitur quod quærimus, est, vtrum aqua in gradu frigiditatis, (quem acquisiuit in puteo) sit minus perniciosa, quàm ea, quæ eundem gradum ex niue, aut glacie accepit.

Non defuit qui diceret, (& vir quidem magni nominis) deteriorem esse frigiditatem, quæ in puteo acquiritur; siquidem paulatim introducta, difficilè potest intra corpus deperdi; ea verò, quæ ex niue aduenit, cum subito acquiratur, subito etiam à calore nostro intus assumpta superatur. Sed aduertere debuerat, æquales gradus caloris, aut frigiditatis siue sensim, siue de repentè introducantur, eandem vim requirere ad sui expulsionem, hectica enim quæ fit incipiendo, non minùs est difficilis, quàm quæ diuturnitate temporis acquiritur. Deinde quamuis admittatur, magis habitualem esse frigiditatem paulatim acquisitam, eâ, quæ acquiritur derepentè: Profectò, cum frigiditas naturalis sit aquæ, tam remanebit difficilis expulsu in vnâ, quàm in aliâ In iis autem qualitatibus, quæ sunt præter naturam, fortassis ea, quæ pedetentim introducitur, non potest facilè emendari, at in aliis, quæ secundum naturam sunt, non ita. Quis enim dixerit, aquam reductam ad suum statum naturalem paulatim, esse difficilioris calefactionis, quàm aliam, quæ reducitur de repente? at omnem frigiditatem, quantumuis maximam, aquæ naturalem esse norunt ij, qui philosophiam vel è limine salutarunt.

Aquas niuales solebant Scytharum populi qui Scomades appellantur, bibere; vnde plurimas habebant ægritudines; neque dubium est, quod ex frigidissimo potu possit corpus morbosum reddi. Nam vt 3. acut. ait Galenus, coctionem impediunt, vrinam cohibent: thoraci, pulmonibus, & ventriculo aduersantur; neruos multifariam lædunt; conuulsiones, flatus, cruditates, & pleuritides

 gignunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

gignunt. *Multa etiam incommoda huius frigidæ potionis recensentur ab Hippocrate* 5. aphor. 64.citato.*necnon etiam* 6.epid.sect.3.tex.14.*In Aphorismo ait* frigida, qualis nix, & glacies, pectori inimica, tusses mouent, sanguinis profluuium, & destillationes; *in epidemiis præter hæc, addit, constrictiuum autem vt pherea,& gongronæ, Pherea, Galeno interprete in commento, & in libello obsoletarum vocum Hippocratis sunt longæ sub oribus glandulosæ eminentiæ, quales Satyri habere finguntur. Gongrona est, quæ vocatur bronchocele, idest gutturi, ramex; est eminentia quædam magna, & rotunda in collo, ea scilicet quæ barbaro nomine vocatur boxium.*

Sed cur pectori dicitur inimici? nonne, Galenus non semel nos docet, ea quæ ad pectus accedunt, longo itinere prius ducuntur; adeò vt cum illuc accedunt, iam fractas omninò habeant vires: erit ergo aqua, cum ad Pectus peruenerit, omnino suæ frigiditatis expers. Respondetur huic dubitationi ex Galeno 2. simpl. c. 17.*percolari aliquid perpetuò ex potu perasperam arteriam in pulmones, quod si salsum fuerit; illam exasperat: sin autem mordax; etiam tussim excitat; frigidum autem mordax esse & Hippocrates,& experientia testantur.*

Cur autem coctiones impedit? Id patet, nam coctio perficitur à calore, calor frigidorum valde vsu hebetatur, atque minuitur, imò aliquando ad omnimodum sphacelum,& mortificationem ventriculum membrum alioquin membranosum perducit; potest etiam interiùs constipando inflammationi præbere occasionem; humor namque biliosus (qualis per æstatem prædominatur) retentus in meatibus concauitatibus occlusis, non potest non inflammari. Accedit antiperistasis, propter quam feruentissimi fiunt humores: fiunt & flatus propter diminutum calorem innatum à nimiâ potus frigiditate, ex flatibus autem tormina, & colici dolores. Quamuis enim aliquando in desperato colico dolore frigidæ aquæ potum prodesse visum est, & ego aliquando expertus sum; id tamen efficit tanquam remedium narcoticum, quod partis sensum auferens dolorem auferre dicitur.

Concussio autem, quæ fit per tussim multoties vasa pectoris,& pulmonis rumpit,& tantò faciliùs, quanto ea magis propter refrigerationem sunt indurata hinc hæmoptoicæ passiones à venarum scilicet ruptione, aut apertione ortæ.

Destillationes præterea fiunt à capite; vbi enim multa adest cruditas facta ob ventriculi imbecillitatem, multi pituitosi vapores caput petunt, qui ob suam multitudinem ibi concoqui nequeunt, atque ita destillant à capite, non aliter (vt Galenus optimè ait) quam diarrhæa, quæ fit ob imbecillitatem ventriculi cibos concoquere non potentis.

Ob easdem destillationes fit pherea, & gongrona, *destillantibus scilicet humoribus ex capite,& ob densitatem cutis indissolubiliter inhærentibus, & firmatis retrò aures, aut in collo, quæ sunt loca, in quæ facillimè cerebrum exoneratur. Hæc sunt damna ob quæ vitare oportet valde frigidam potionem; nam tam hæc est nocua, quam moderatè frigidā vtilis propter superius dictas rationes, quapropter in refrigerando potu excessu omnes cauere oportet, neque in hoc voluptati blandiri, sed sanitati potius inseruiendo mediam quandam viam, eamque tutissimam sequi.*

Sanis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Sanis hæc conueniunt, nec tamen adhuc tota exhauritur controuersia; siquidem, quomodo cum febri citantibus in refrigeranda potione agendum sit, nondum explicauimus, illud prius aduertentes, quod quamuis in aliquibus regionibus syrupi, & aliæ medicatæ potiones in niue, aut aqua puteali refrigeratæ adhibeantur, id non effici, vt syruporum frigiditas tanta euadat, quantam iam in sanis non conuenire diximus, sed vt concilietur actualis quædam, amicaque frigiditas, quam nisi arte comparatam non habent.

Quoniam igitur ardentes febres ex Galeni sententia 11. meth. 9. *aquæ potu curantur,* & 9.meth. c.5. *maxima continentium febrium remedia duo præponit, detractionem sanguinis, & potionem frigidam, &* 4. acut.12. *prætermissam fuisse aduertit, ab Hippocrate, præcipuam causonis sanationem, ea est frigidæ potus, quâ causones perpetuò se curasse profitetur, nullo ex iis moriente, quibus frigida propinata fuit, non quod mori non possit homo ex causone, si frigidam biberit, sed quia ita accidit, vt multi, quibus aqua frigida fuit propinata, fuerint seruati.*

Non dissentiunt ab hac sententia Græci, nec Arabes. In tempore autem frigidæ, exhibendæ, dissensio aliquantula est. Nam Galenus videtur solas manifestæ coctionis notas expectare, quod visus fuit significare 11. meth.9. dum ait, Frigidam esse exhibendam, cum iam ſucci concoquuntur, & craſſities eorum eſt extenuata; *&* 9. *meth. cap.* 5. ad eandem coctionem exhibendam manifeſtas expoſcit coctionis notas: *manifestas dixit, non perfectas, quasi indicans posse huiusmodi potionem offerri, cum primùm coctio manifesta, quamuis nondum, perfecta existit; Galeno subscribit suo more Paulus: Aëtius aliter sentire videtur, eò quòd solius status, perfectam expectat coctionem* tret. 2. ſermon.1.c.72. *dicens* de ſynocho, neque in principio, neque in augmento, dandam eſſe frigidam, ſed in ipſo vigore totius morbi, ac particularis exacerbationis, *& c.*78. *de causone, vbi signa coctionis apparuerint, & morbus iam viguerit ad frigidæ potum accedere permittit, addidit & morbus iam viguerit vt ostenderet se non de qualibet coctione, sed de ea quæ in vigore fit, hoc est de perfecta intelligere.*

Arabes, & præsertim Rhasius, nec perfectam, nec manifestam expectant coctionem, sed magnitudini febris extinguendæ primùm intendentes, ante humoris coctionem aquam frigidam exhiberi iubent. Ita enim 1.*diuision.c.*148.*de causone, & tertiana continua scriptum reliquit;* In potu ſumat æger aquam frigidam cum vult, & quod appetit de frugibus frigidis, & humidis, *& c.* 149.*de synocho, ait.* Et ſi tardatur phlebotomia in diſpoſitione ſua ſtude ad dandum illi in potu aquam frigidam plurimam. *& c.* 150. *affert signa vehementis necessitatis dandi potum aquæ frigidæ, ea sunt cordis pulsatio, & sanguinis ebullitio.*

Auicenna p.4.tract.2.c.7. è duobus malis minus eligendum esse velle videtur, ſi quidem ait additionem apoſtematis, & cruditatis meliorem eſſe, quam extenuationem, inſinuas, quod ſi apoſtematis vel cruditatis adſit periculum, adſit etiam vehementis exſiccationis diſcrimen, danda eſt in potu aqua

qua frigida,vt effugiamus periculum exſiccationis, licet incidamus in periculum apoſtematis ſiue cruditatis.

Aureus in eadem eſt ſententia: ait enim 7.coll.c.8.Quando omnia particularia concordant cum febre, quæ eſt arſiua, & infirmus multum deſiderat aquam frigidam; non in hac eſt digeſtio expectanda,quia æger ante digeſtionem conſumetur, & ſi feceris ipſum pati vſque ad digeſtionis apparitionem,tunc erit ipſius digeſtio mala quemadmodum eſt nebula nigra,aut hypoſtaſis nigra propter nimietatem combuſtionis, & tunc aquæ frigidæ exhibitio non valebit:& propterea melius eſt in principio,ſine etiam digeſtionis ſignorum apparitione exhibere,& non curare ex dictis aliquorum: quoniam hæc res eſt veraciſſimè probata: nam materia, quæ talem facit febrem qualis iſta eſt, cum ſit in vltimo caliditatis, non eſt priuata digeſtione niſi propter malam qualitatem acutam,non propter groſſitiem,nec propter viſcoſitatem, & quando hanc infrigidabis,tunc ſtatim erit materia digeſta,& melius eſt vt conuertas talem febrem ad febrem lentam, & longam,quæ curari poteſt,quam æger ſubito moriatur, *& quæ ſequuntur, in hanc ſententiam.*

Profecto Arabum ſententia veriſſima eſt,& in febribus valde æſtuoſis,frigida potum negare idem eſt ac ægrotum necare. Nec renuit Galenus: quamuis enim coctionem expectandam eſſe dicit, vniuerſalem quandam proponit methodum obſeruandam, dum non vrget periculum, tunc enim præſtat coctionem expectare, quam ante eius apparitionem, facere vt materia recrudeſcat, & à ſuo curſu impediatur: cæterum ſi valde magnum exuſtionis periculum Medico repræſentatur,vt v.g.quando ex deurentium genere febris orta inexhauſtam ſitim, intolerabilemque ſecum affert calorem, profecto præſtat omni methodo relicta ad infrigidandum properare. Sic Galenum voluiſſe credibile eſt, ſiquidem lib. 10. *meth. c.* 6. *ſic habet.* Ego enim talium quoque non paucis dedi, ſatius eſſe ratus phlegmonas in præſens augere, quam ſinere hominem hecticam febrem incurrere. *Et præcedēte c.*5. qui in feruoribus ſub canicula ex ira febricitauit (iuuenis autem hic erat ſiccus,& calidus)vbi in prima acceſſione duas frigidæ hæminas,bibiſſet,ſtatim quidem vomit flauiſſimam bilem,non multo autem poſt etiam deorſum excreuit; deinde rurſus, cum poſt cibum aquæ circiter hæminam ſimiliter ſumpſiſſet,iam febrire deſiit. *Sic Galenus, qui & ſibi,& Arabibus concors fit,ſi conſideremus id,quod iam prius dictum eſt, aquam ſcilicet frigidam epotam ab eminente futuræ aduſtionis aut hecticæ periculo liberare, quo periculo, ſi febris non admodum vehemens caret, profecto melius erit coctionem expectare. Atque hoc circa tempora vniuerſalia febrium; in omni namque tempore,vt vidiſtis,frigida propinabitur,ex particularibus verò temporibus eligendus ſemper eſt ſtatus, cum ſcilicet caliditas ad imos pedes deſcendit, quod nos admonet Hippocrates* 1.*acut*.46. *hoc tempus Galenus ait eſſe declinationem, quia ſcilicet acceſſionis principium fit calori omni toto ex corpore ad cor thoracémque concurrente;incrementum,cum paulatim ad extremas corporis partes*

ſe

expandit : status , cum ex ægro totum corpus occupat : verum declinatio contrarium principio motum habet, perspirante scilicet caliditate , atque medium corporis relinquente. Cæterum quamuis hoc ita sit ; tamen cum pedes satis sint calidi, neque caliditas adhuc corpus relinquit , status est , & præbendæ potioni tempus accommodatum , neque ad hoc expectandum est , vt febris declinet , sed potio exhibenda, vt febrem declinare faciat.

Cæterum potio aquæ frigidæ inter magna remedia à Galeno reponitur, imò 9. method. 5. maximum remedium vocat , inquiens , duo maxima traduntur febrium continentium remedia aquæ frigidæ potio,& sanguinis missio. *Magna autem remedia duo cum sint purgatio , & venæ sectio profectò aquæ potus largior ad purgationem reduci debet, siquidem, & per sudorem & per vomitum, & nonnunquam per aluum solet euacuare. Cum igitur remedium magnum sit, præmeditatione est opus ante illius exhibitionem ; quapropter conditiones aliquæ afferuntur à Galeno , quæ si non obseruentur , ex optimo remedio perniciosus abusus potest euadere.*

Requirit Galenus virtutem validam , quo confirmatur id quod modo diximus scilicet magnum esse remedium , tale quippe est , quod validas expostulat vires : deinde etiam cum ex multa frigiditate calor obtundatur, & spiritus quodammodo saltem paulisper remittantur ; hanc remissionem spirituum, & caloris obtusionem non potest tolerare ille , qui exiguo calido innato iam præ debilitate est præditus.

Obstructiones etiam, & putridi humores non concocti, aquæ potum impediunt, fiunt namque à crassis , & crudis , lentisque humoribus, quos attenuare magis, & incidere, quàm incrassare conuenit, cúmque aqua sua frigiditate potiùs incrasset, contraria huiusmodi affectui censenda est. Adiungite , ex frigidæ potu meatu angustari, ac præterea, vbi obstructiones adsunt, potus diutiùs quàm par est, detentus, ea incommoda facit , quæ Hippocrates narrat 3.acut.40. *siquidem lienem, & hepar auget, cum exarserint, fluctuatque, & supernatat : tardi enim transitus est, cum frigida, & cruda sit, tardioris autem, si viæ sint impeditæ.*

Offert se tamen in præsente non leuis difficultas , cur scilicet in ardentibus febribus , quæ quidem vel ex bile fiunt, vel proximæ sunt , vt sanguinem in bilem vertant, cur inquam , in iis concedantur, ait enim Hippocrates citatus, aquas biliosas esse, sane nulla biliosior natura dicetur , ea, quam possidet hac ardente febre laborans (naturam hic accipio pro temperamento ; suppono enim febrilem statum esse præter naturam) Hanc dubitationem soluere se putat Costæus, si intelligatur Hippocrates de aqua, quæ per se solam sumitur ; nam sola parum habet, quod secedat in alimentum: quo fit, vt & corpus ob febris acutiem arescens, accedente etiamnum inedia arescat magis, & humores febrili iisdem calore incensi, non madefacti alimento in ignis naturam magis conuersi , bilescant magis. At si vel præter aquam, cibi alij, vel si ipsa quoque cum cibis aliis sumatur non corrumpitur , aut in bilem degerat. & multaque affatim epota , integris viribus, in ventrem delatas, eius temperare ardorem potest.

Displicet quidem mihi hæc Costæi excusatio, quia aqua per se sola in accessionibus datur: neque enim cibum tunc offerre occasio postulat; melius videtur dicendum cum Vallesio, aquam non conuerti in bilem; est enim ex opposito biliosæ naturæ aduersa, siquidem bilis caliditatem cum siccitate possidet, aqua frigida atque humida existit, sed tamen epota permiscetur cum bile, & bilem augere dicitur, quemadmodum vino si aquam permisceas magis dilutum quidem erit, sed in quantitate dicetur auctum, & hinc est, quod bile redundantibus corporibus accidat, vt post aquæ potionem sentiatur oris amaritudo. Si igitur pauca bibatur; auctiorem reddit bilem, & in corpore remanes potius damnum, quam vtilitatem affert: si autem copiosior (copiosiorem autem bibendam esse dicemus inferius) tunc magis dilutam reddit bilem, ac proinde minus feruidam, & præterea per vomitum, sudorem aut aluum eandem secum retrahit

Est preterea ad aquæ potum requisita conditio, vt non adsit in principe aliqua particula tumor aliquis è phlegmones, œdematos, aut schyrri genere, propterea quod impeditur in huiusmodi tumoribus à frigida haustis suppuratio, & in interna abscessus, qualis est erysipelas (quod Galenus non aduertit) timetur præterea sphacelus, & mihi contigit videre hominem iecoris inflammatione laborantem, & intolerabiles dolores patientem, cui cum imprudens medicus large frigidæ potum obtulisset, dolor omnino euanuit, & æger se sanum prædicauit, verum cadens à sua opinione intra paucas horas diem suum obiit.

D. STEPHANI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

D. STEPHANI RODERICI CASTRENSIS LVSITANI,

ENARRATIO SEV PRÆLECTIO PISANA.

DE ANIMALIBVS MICROCOSMI.

POSTVLAT præſens occaſio, vt de differentiis,& cauſis lumbricorum, necnon de loco, in quo generantur, aliqua ex multis,quæ apud authores vario modo ſcripta reperiuntur, dicamus. Tres eorum differentiæ communiter ſtatuuntur,hi ſunt *lati teretes*, & *aſcarides*: Quamquàm lati,& teretes duntaxat ἑλμινθες à Græcis & propriè lumbrici à Latinis dicantur, aſcatides magis propriè vermes, quam lumbrici nuncupantur: Celſus duorum tantùm meminit; nam aſcarides omiſit, ſiue quia (vti diximus) non ſunt propriè Lumbrici, ſeu quia rariſſimi ſunt, (licèt Galenus, latos raros eſſe, dicat, quod etiam verum eſt, ſeu quia non adeò ſæua, nec multa inuehunt ſymptomata; ſeu tandem, quoniam facillimo negotio curantur. Hippocrates (ſecundùm aliquos) latos, non cognouit, quandoquidem eorum non meminit in aphoriſmis; meminit tamen in libro de moribus,ſiuè ſit Hippopocrates, ſiue Polybius. Cur verò eos in aphoriſmis prætererit rationem reddit in commento Galenus:quoniam neque eius erat propoſitum de omnibus agere paſſionibus, quæ mortalibus accidunt, ſed de illis tantùm,quæ ſingulis ætatibus, vt plurimùm accidunt.Sed ſi in libro de morbis ait,latos lumbricos in pueruło, intra matris vterum adhuc exiſtente veluti & teretes produci, cur recipiemus Galeni excuſationem? An quod in Aphoriſmis eorum dumtaxat morborum meminit Hippocrates, qui ſingulis ætatibus contingunt? tempus verò, quo fœtus in vtero continetur,inter ætates non numeratur.Auicennam,volunt aliqui, quatuor lumbricorum admiſiſſe differantias: attamen vt prudentiſſimè annotauit Manardus (à quo tranſcripſerunt Gabuccinus, & Brauus) ſi quis diligentet introſpiciat, tres

3.aph.26.

de morb. lib. 4.

Lib.3.,epiſt.

quoque, non quatuor (vt eius enarratores putant) ab eo positas animaduertet, licèt pluribus verbis expressas: per longos enim vnam, per latos & rotundos alteram, per ascarides, & paruos tertiam intellexit, ita vt probanda sint ea exemplaria, in quibus tres, non in quibus quatuor, in capitis titulo, initioque proponuntur. Quod certè constare potest consideranti ea verba, quæ statim ab ipsomet Auicenna subnectuntur, in quibus cum vellet eorum differentias, cùm ex loco, tùm ex materia generationis inuenire non nisi trium meminit differentiarum.

Lib.4. c.57. Sed iam ad tres differentias communiter receptas, seorsim dignoscendas accedamus. Latum lumbricum Paulus mutationem esse ait, internæ; vt ita dixerim membranæ intestinorum, ad animalis corpus, quæ quandoque per partes, quandoque tota simul excernitur, incredibilem speciem magnitudinis præbens. Aetius quoque eadem ferè verba scribit; ad hunc modum: *Tetrab. 3. serm.1.c.40.* Latus lumbricus est, vt quispiam dixerit, transmutatio membranulæ, tenuia intestina introrsum succingentis, ad animale quoddam corpus. Videtur autem vterque authorem libri de morbis sequutus, qui ita scriptum reliquit: Est autem species eius (lati lumbrici) abrasio intestini alba. Hoc non recipiunt multi, scilicet latum lumbricum esse verè rasuram intestini mutatam in animalis corpus. Nam cum latus lumbricus, vt Galenus est testis, longissimus sit, & sæpe per tota extendatur intestina, quî fieri posset, vt cum tam magno vlcere animal viueret, quod non solùm viuit; sed nulla etiam sentit symptomata ex iis, quæ vlceri intestinorum debentur? Est ergo per similitudinem quandam dictus abrasio: quod Paulus, & Aetius videntur significare, siquidem Paulus ait [vt ita dixerim] Aetius [vt quispiam dixerit] quo loquendi modo similitudo insinuatur.

Lumbrici ex iis sunt animalibus, quæ non ex semine, sed ex putredine habent generationem, vt mirandum sit, aliquos autores existimasse, eos partu edi. In lib. de morbis, latos parere negatur, teretes partu in lucem edi scribitur. Fortassis intellexit Author, teretes parere materiam, ex qua *L.5. hist. animal. c.19.* fiunt alij, sin minùs non est recipiendus, quemadmodum neque Aristoteles, qui aliquando latos lumbricos parere nescio quid simile semini cucurbitæ dixit. Crediderim, illum pariendi verbo translatitiè fuisse vsum, *3. hist. anim.* tum quia alibi omnes lumbricos hoc peculiare habere scripsit, vt animalia non gignant, tum etiam, quia videntur quidem parere vermiculos quosdam semini cucurbitæ similes: tamen isti cucurbitini meritò dicuntur à Fernelio, latorum non soboles, sed partes; Partes istæ abruptæ vna cum stercore exeunt, modò cucurbitæ semini pares, modo maiores. Pares quidem, vbi per singulos annulos secundum quos formatus, & adauctus fuit, fiat disruptio. Maiores autem, vbi non sigillatim singuli annuli, sed plures simul complicati exciderint. Itaque lumbrici lati, qui aliquando tres cubitos excedunt, si rectè inspiciantur, non vnus vermis, sed congeries plurium vermium, qui figura similes sunt seminibus cucurbitæ, nempe lati, & plani, breuesque, & coniuncti simul, sibique mutuò cohærentes, corpus vnum efficiunt;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

efficiunt; neque iſti cucurbitini, dum externuntur, ſunt vermes, ſed ſigna vermium, neque verò mordicus ſe inuicem tenent, vt exiſtimarunt Donatus Marcellus, & Capiuaccius, neque membrana teguntur, vt exiſtimauit Saxonia, ſed propria viſcoſitate ſibi inuicem adhærent. Plinius refert tricenum pedum vnum fuiſſe, Valleriola vidit vnum longitudine nouem pedum, aut ampliùs, Amatus Luſitanus refert mulierem Illyricam eieciſſe vnum quatuor cubitorum longitudinem habentem, Alexand. Trallian. eſſe ait longitudinis 15. cubitorum.

Lib.7.c.6.

Cæterùm cur lati lumbrici non pariant in libro de morbis duæ cauſæ aſſignantur: prima quia impoſſibile videtur ab vno animali tot pullos gigni poſſe, tum etiam, quia non eſt loci in inteſtino capacitas, vt partus educare queant; Prima quidem mihi ſuſpecta videtur, cum piſces multo plures edant partus: altera etiam difficilis videbatur, ſiquidem inteſtina capacitatem habent ad fœtum educandum; ſed difficultatem mihi abſtulit Amatus Luſitanus, qui ſubtiliter verba illa interpretatur, videlicet non eſt loci capacitas in inteſtinis ipſius lumbrici, non in inteſtinis animalis lumbricum habentis. Sunt igitur lumbrici lati admodùm plani, &, vt ita dicam, foliacei, hoc eſt foliorum in modum tenues, ac proinde inteſtinorum capacitatem, vacuitatemue nullam habent.

Foliacea ſemina triplicis dixit Plin. lib. 19. c.7.

Lati lumbrici deteriores ſunt, quàm teretes ex Celſi ſententia, ſed tamen, vt ex Galeno diximus, rara eſt eorum generatio, imo quando ſunt geniti, & cum excrementis exeunt, non conſpiciuntur: vnde Paulus, demiſſi non conſiſtunt. Hinc fieri putandum eſt, vt Manardus admonet, vt aſſiſtentes plerumque inter excrementa neſcio quid medicis oſtenſuri, fruſtra perquirant, quod tamen ſe priùs vidiſſe teſtantur.

Lib.4.c.1.

Plinius appoſitiſſimè latum lumbricum tæniam dixit, (non tiniam, vt aliqui putant) quia ſimilis eſt faſciis, quibus fœminæ capillos ſolent vincire, quia longi ſunt, & plani; Dicuntur etiam (vt Gorræus eſt teſtis (Κειρίαι hoc eſt inſtitæ, à ſimilitudine, quam ad inſtitas habent. A latis lumbricis Gal. ingentem famem excitari ait.

Lib.2. c. 23.

a. Gal. 14. Meth. c. 17.

Altera ſpecies eſt eorum, qui teretes, ſeu rotundi appellantur: frequentes admodum ſunt longitudinis palmaris, longiores aliquando, ſed aliquando etiam minores. Teretes autem ſunt, & rotundi ſiue id ex loco, in quo generantur, ſiue alia qualibet ex cauſa obtineant. Hos parere dixit author libri de morbis, vt ſuperiùs dicebamus, cui conſentit Amatus Luſitanus, qui refert, puellam vnum prægnum eieciſſe vermem rotundum, & cum pater puellæ pede caput vermis calcaſſet, alij prodierunt vermes, vnde colligit, lumbricum illum teretem prægnantem fuiſſe. Luſitano aſſentitur Foreſtus. Sed nec ſexuum diuerſitas in illis apparet, neque coeundi occaſio, neque conueniens eſt, vt ex putredine genita ſtatim propagatione augeantur. Teretes nullos habent oculos, quemadmodum nulli alij vermes, autore Ariſtotele. Similes ſunt teretes iſti lumbrici vermibus, (vt Manardus ait) in fœtunticetis reperiri ſolent, fætunticeta appellat ille loca cœnoſa, & fætida:

Lib. de theriac. ad Piſ. c. 15.

Lib.11. hiſt. animal.c.37. L.3.ep. 1. & lib.4.ep.1.

quos vermes in fætunticetis nascentes vulgus onisculos, Græci γῆς ἔντερα quasi terræ intestinatæ dixeritis) vocant. Mira sunt, quæ de teretum lumbricorum multitudine ab authoribus tradi solent. Beniuenius in suo de abditis morborum causis libello scribit, puerum quendam duos, & quinquaginta supra centum, aluo deposuisse. Alterum refert Gabuccinus, qui centum septuaginta septem excreuit.

Tertia species ascaridum est, quos, vti diximus, magis propriè vermes quam lumbricos appellabitis, quales plurimi conspiciuntur in inmentis malè coquentibus cibum: quorum malam coctionem fœtor indicat excrementorum; similes etiam in caseo putrescente, putrescentibusque carnibus intueri licet. Dicuntur ascarides, vt placet Manardo, à verbo Græco ἀσκέω, quod latinè significat exerceo, vel potiùs à verbo ἀσκαρίζω, quod idem est, quod moueo, sedi enim, circa quam consistunt; vehementem pruritum inferentes, vt paulus, & Aetius testantur, assidueque commoti patientem continuò stimulant, & exercent. Dicuntur etiam à pungendo: nam ἀσκαρίζειν pungere est.

Hæc de differentiis lumbricorum; de materia, ex quâ gignuntur, pauca dicere expedit, nam de finali non est cur dicam; miror enim fuisse aliquos, quibus videatur, finem naturæ in vermibus gignendis fuisse, vt tueatur corpus à putredine, si quidem ex putredine fiunt, & ex eadem nutriuntur. Auicenna meritò hoc negat; nam si ob animalis bonum facti essent, non ita sæua inducerent symptomata. Facti igitur sunt à calore naturali reducente materiæ putridæ partem aliquam in meliorem frugem: cumque non potuerit eam reducere ad verum nutrimentum, reducitur ad conditionem talem, vt apta sit suscipere viuentis formam. Oribasius, quem ex Neotericis Montanus sequitur, ex omnibus humoribus gigni existimat. Ascarides ex melancholico, teretes ex bilioso, latos ex pituitoso. Ratus forsan, Ascarides ideo ex melancholico succo gigni, quod in recto, crassoque intestino inueniantur, vbi huiusmodi humor abundat propter venas hæmorrhoidales, quæ crassum, & fæculentum sanguinem deferentes illic terminantur. Montanus ex coloribus argumentatur: conspiciuntur enim lumbrici modò colore fuluo, modò albo, modò subnigrante infecti, modò rubri

Orib. 3. aph. com. 30.

Cæterùm non fieri à sanguine manifestum est; hunc, enim in humorem nimiùm custodit natura. Imò verò Alexander Trallianus, cum referat quorundam sententiam, qui putarunt, nullam fieri putredinem in venis ex eo illud comprobasse ait, quod in venis, vbi est sanguis nunquam nascuntur animalia. Ex bile etiam fieri nequeunt, quippe bilis oppido amara est, ab amaris autem hæc animalia interimuntur. Exemplum habetis apud Galenum de mari mortuo, quod amarissimum cum sit, nullum in eo neque animal, neque planta inesse conspicitur: imò verò cum duo in illud flumina longe maxima, pisciumque copia scatentia confluant, maximè quod propè Ierichonem fluit, quam Iordanem appellant, nullus omnino

Lib. 12.

4. simpl. c. 20

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

nino piſcis fluminum oſtia excedit; ſi captos quis in aquam iniiciat, celeriter mori conſpicit: adeò eſt omnibus tum hominibus, tum plantis inimicum, quod amarum eſt. Non etiam gignuntur ex atra bile humore acri,& amarulento, adeò vt mures,& muſcas ex ſe abigat: neque ex melancholia frigida, & ſicca, & acida fiunt: ſed ſolùm ex pituita, ſed excrementitia. Vnde merito Auicenna; materia, inquit, vermium eſt phlegma, quando calefit, & putrefit, & multiplicatur in inteſtinis, & remanet in eis.

Ad quod reſpiciens Garcias Lopes Luſitanus Portalegrenſis in ſuis commentariis de varia rei medicæ lectione, ait,lumbricos fieri ab humore putrido pituitoſo, & denique in corpore retento. Idem enim eſt in corpore retento, & quod Auicenna dixit, & remanet in eis. Forſitan hoc acceptum eſt ab authore libri de Morbis, qui, humorem dulcem diu retentum, dixit, eſſe cauſam vermium, imò verò ideò dicitur ibidem fæces non poſſe vermibus gignendis materiam præſtare; quia non diutiùs in corpore morantur. Ad pituitæ genus reducitur chylus inconfectus, & putreſcens, qui quoniam in bonum non cedit alimentum, ad inteſtina deſcendit. Quapropter nulla ineſt contrarietas inter aliquos, è quorum numero eſt Columella, qui, lumbricos, dicunt, ex cruda materia gigni, & Paulum, atque Aëtium, qui dixerunt eoſdem gigni ex cibis putridis,Nulla, inquam, inter hos authores eſt contrarietas: nam putredo in cibis,cruditatis ſpecies quædam eſt, alimenta ſiquidem, quæ concoqui non poſſunt, cruda remanent, & corrumpuntur.

16.3.tract.5. c.1.

Itaque ex dictis conſtat, vtramque bilem non eſſe vermium materiam, multò minùs ſanguinem, ſed pituitam craſſam, & viſcoſam, factam à ſatietate, & crapula, vel à puerorum inſatiabili auiditate. Quo fit vt cibi, qui facilè in corpore putreſcunt, quique craſſæ,frigidæque ſubſtantiæ,ſeræque coctionis exiſtunt, vt triticea, farinaceaque pulmenta, & ad hæc cruditates, otia ſomni debito longiores,balnea,Veneris frequens vſus,præcipuè à cibo, olera, fugaceſque ſiue horarij fructus, eo quòd humoris pituitoſi prouentum faciunt, lumbricis gignendis materiam præſtant. Ex quo patet minùs benè ab Ariſtotele fuiſſe dictum, ex omnibus excrementis corporis noſtri poſſe gigni lumbricos. Cæterùm licèt pituitoſa excrementa ſint materia vermium, & ea in omnibus hominibus reperiantur, non hinc rectè colligunt eum Auicenna nonnulli, omnibus hominibus, etiam iis, qui proſpera ſanitate fruuntur, lumbricos eſſe familiares. Nam nec omnes caloris diſpoſitionem aptam habent ad generationem animalium, neque putreſcendi occaſionem, Præterea experimento conſtat, in corporum diſſectionibus rarò lumbricos reperiri: ſunt tamen in aliquibus regionibus endomij. *Prauus* ex fide multorum refert,in Pompeiopoli,quæ eſt regni Nauarræ Metropolis, inter mille vix vnum reperiri, qui à lumbricis non infeſtetur. Amatus Luſitanus in Italia, quàm in reliquis regionibus frequentiores eſſe ait,propter nimium herbarum in acetariis eſum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Arabes, Armeni, Cilices hoc malo vexentur, non Phryges, neque Thraces, neque in Græcia Thebani, Beotij lumbricis laborant, Athenienſes eis vicini minimè.

Sed cur non gignuntur ex melancholico humore, ſi in autumno, quo tempore prædictus humor, maximè conſpiciuntur? Quod autem autumno vermes maximè moleſtare ſoleant, docemur ab Hippocrate dicente, Autumno maximè ferinum, & cordis morſus. Et alibi, in autumno ferinum, & cordis dolores, horridæ febres, & ab atra bile morbi contingunt. Vbi Galeno interprete, per ferinum interaneorum animalia, lumbricos videlicet ſignificauit: quoniam re vera fera ſunt, & ferina, ſæuaque inducunt ſymptomata.

2. epid. ſect. 1

4. Epid. ſect. 1. text. 13.

Reſpõdendum; autumno lumbricos procreari non ex ſucco melancholico, quem potiſſimùm autumnale tempus parit, ſed ex victu; Nam eo tempore multi fructus abundant, qui horarij, vt diximus, & à Plinio fugaces appellantur, & vitioſum maximè progignunt ſuccum, aptúmque, vt ex eo lumbrici producantur.

Vtrùm verò dulciaria lumbricos gignant, diſputant nonnulli. Gabuccinus arbitratur vanam eſſe vulgi opinionem exiſtimantis dulcia lumbricos gignere. Si enim ex bile lumbrici non procreantur, & dulcia per calorem bileſcunt, profectò præſtandæ lumbricis materiæ erunt innepta. Quòd dulcia in bilem conuertantur, oſtendit ex Galeno, dicente à calore temperato dulcem fieri ſaporem; eoque vel inſito, vel aſcititio (inſito quidem veluti mel; aſcititio, veluti ſunt omnia, quæ ad ignem parantur: proindeque, dum calida ſunt iis ſuauiora, quibus nutritione eſt opus, apparent) ſi illum venter commutare, & concoquere debet calore, per vlteriorem coctionem ſaporem adipiſcetur amarum, ad animalis procreationem ineptum. Sic Gabuccinus.

4. ſimpl.

Obſtat tamen eius ſententiæ author libri quarti de morbis qui ex lacte, quoniam dulce eſt, lumbricos fieri ait, & ibidem, humorem dulcem diu retentum lumbricorum generationi materiam præſtare, affirmat. Hoc cognoſcentes mulierculæ natis puerulis dulcia interdicunt veritæ ne lumbrici, quibus puerulis ætas nimium abundat, ab humore dulci excitentur, ſæuáque de more inducant ſymptomata.

Nec vero abſolutè dicendum eſt, dulcia cum calefiunt, amara reddi, ſed tunc ſolum, quando nimis calefiunt, quæ eſt Galeni ſententia; quo in loco ſic ſcribit, in commentariis de potentiis naturalibus oſtendebatur, quicquid alimenti ſupra modum calefit, præſertim ſi pingue, atque dulce fuerit, verti in amaram bilem. Vnde facilè inferre licet, quòd quùm dulcia prædicta non calefiunt, ſupra modum, ſed inteſtino inculcantur, & à tranſpiratione prohibentur, non bileſcere, ſed putrefieri, putreſcentiaque lumbricos gignere.

2. criſ. c. 12.

Mercurialis, ex dulcibus lumbricos fieri, conſtanter tenet, qui ſi rationem, cur ita ſentiat, non afferret, longè melius rem ſuam ageret. Dupli-

cem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

cem affert rationem, vtramque non recipiendam. Prima, qui dulcia ſupernatant facile omnibus aliis cibis, & cum propter ſuauitatem copioſè ſumi conſueuerint: hac ratione etiam facile corrumpuntur. Sed neſcio, vnde eruat, dulcia ſupernatare; Nunquid quia pinguia? at non tantam pinguedinem præſeferunt, quæ illis leuitatem conciliet, imò dulcia vt plurimum ſunt non pinguia, ſed abſtergentia. Altera ratio: quia dulcia priùs quam benè coquantur in ventriculo attrahuntur à vicinis membris, & propterea permanentia cruda, fiunt materia idonea generationi vermium. Hæc quoque ratio nimis peccat; Quæro enim à quibus attrahuntur dulcia ſemicocta? Num à mæſeraicis? At tunc in mæſeraicis, aut iecore non verò in inteſtinis lumbricos fieri, (ſiquidem ibi eorum materia attrahitur) dicemus: Præterea ſciat velim, id, quod ſuperiùs diximus ex Hippocrate, dulcia ſi retineantur, materiam vermibus præſtare; ſi igitur materiam præſtant, ſi retineantur, non benè ille pro cauſa materiæ vermium, conditionem affert, ſi attrahantur.

Sed quoniam ex putreſcente materia vermes excitari, diximus, quì fieri poteſt, vt viuentis animalis generatio ex putredine fiat? Reſpondendum, ſolam putredinem, vt inquit galenus, non eſſe ſufficientem ad lumbricorum generationem, ſed calore plurimo eſſe opus calore, inquam, naturali, qui materiam obtineat idoneam ad horum animalium generationem, hinc optime ſanè Gorræus, animantur, inquit, à plurimo calore natiuo. Non igitur imbecillus requiritur calor innatus, ſed validus, & plurimus, quoniam ſi imbecillis fuerit, vt in valde tenellis exiſtit, nondum poterit tam putridam materiam obtinere, ex eiuſdem Galeni ſententia: propterea in valde tenellis, lumbrici non generantur. Hinc eſt, quod ait Hippocrates, lumbricos gigni in iis, qui adoleſcere incipiunt, quare lactentes, & tenellos excludit: quia, vt ait Galenus, tenelli plurimo calore ad generationem vermium neceſſario carent, eodem qui adoleſcunt, abundant: nam qui creſcunt plurimum habent calidum innatum.

Cæterùm ſi nimius calor neceſſarius eſt ad lumbricorum generationem, cur non gignentur ex bile? Hæc difficultas coegit Sanctorium, in ſuo methodo euitandorum errorum dicere, ea quæ calorem habent plurimum, vt bilis, & melancholia, non poſſe impedire, quominùs lumbrici, & aſcarides ab ea generentur. Timeo tamen, ne Sanctorius, dum errores euitare docet, & ſe ipſum, & eos, qui illi fidem habuerint in grauiſſimos detrudat errores. Et antequam eius opinionem ad examen traham, errorem euita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

bo in eius verbis non exiguum. Cum enim ait, plurimo calore abundare bilem, & melancholiam, videtur aut ignorare melancholiæ temperamentum, quod frigidum eſt, aut confundere melancholiam cum atra bile, quæ duo diuerſa eſſe, ex Galeno multis in locis poterat addicere.

Ait igitur, ex humoribus calidis poſſe gigni lumbricos, ſed quare? quia nempe ex Galeno, calore multo eſt opus ad lumbricorum generationem; ſed quo calore? reſponderet profectò, ni inſanus eſt, eo, quo adoleſcentes abundant: ſi enim ideò adoleſcentibus lumbrici ſunt morbus familiaris, quia calore neceſſario ad illorum generationem, abundant; profectò calor, qui ad lumbricos generandos requiritur, ille eſt, quo abundant adoleſcentes; at adoleſcentes innato calido abundant. Innatus ergo calor eſt, qui requiritur. Iam ergo patet, quàm innaniter à calido innato, ad calidum excrementorum trahat Sanctorius ſuum argumentum. Sed Sanctorius Thomam Eraſtum comitem habet, qui vermes gigni contendit à putredinoſo calore: putredinis ille authorem extraneum vocat: ſed non conſiderat, alium eſſe calorem putredinis authorem, alium viuentium procreatorem. Meliùs Euſtachius Rudius requiri ait, calorem naturalem, vt ab eo proprius calor pituitæ, licèt putreſcentis, euocetur: hic autem plurimus eſſe debet: nam ſi ſit exiguus, vincitur, à calore extraneo, qui calor extraneus facit conſtare ſegregata.

2. prog. 18.

Ait præthereà Sanctorius, cauſam, cur lactentes non gignant vermes, eſſe lactis dulcedinem maximam, quæ adeò obtundit acrimoniam putredinis, vt non poſſit deducere de potentia ad actum lumbricos. Deus bone, quot latent errores in paucis his verbis! Cauſa, inquit, cur lactentes non gignant lumbricos, eſt lactis dulcedo: imò vero lactis dulcedo eſt cauſa vermium, ſic aſſerente authore libri de morbis, & experimento: lactis enim ſubſtantia, facilè putreſcibilis materiam præſtat idoneam generationi vermium. Adiungit, dulcedinem eſſe, quæ putredinis acrimoniam obtundit. At ô Sanctori, quid habent dulcia, quo poſſint acrimoniam obtundere? nunquid ſapor agere poteſt in putredinem? At dulcia ſapore ſunt dulcia, ſubſtantiam autem calidam habent, ac proinde ineptam ad temperandam putredinis acredinem. Deinde ex tuis dictis ſequeretur, dulcia non eſſe apta, vt ex iis vermes generentur, quod nec authores grauiſſimi, nec mulierculæ negare audent, Scio, quid reſpondeas, dulcia, nempe quæ abſterſoria ſunt, non eſſe apta ad generationem vermium, vt fici, caſſia, liquiritia, & alia id genus, quæ incidendi, &

detergendi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

detergendi virtutem habent : hæc enim potiùs prohibent , ne gignantur , Omitto , hanc, deterſoriam vim fictitiam eſſe, ne dubitem de ſingulis , & accedo ad alia , quæ ille apta eſſe fatetur ad generationem vermium ; quænam ſunt iſta ? Sanctorius , ſui oblitus , ait , eſſe butyrum , lac , & cætera. Iam ergo ex Sanctorio contra Sanctorium habemus , lac eſſe aptum ad gignendos vermes. Tandem ob impeditam acrimoniam vermes non gigni, ait , vnde velle videtur , acrimoniam eſſe aptam ad generationem eorum , ſiquidem ea impedita gigni non poſſunt. At acria ſunt , quæ vermes necant. Abeat igitur Sanctorius cum ſuis erroribus.

Corrumpit itaque ac idoneam quodammodo facit materiam putredinoſus , ſiue extraneus calor in craſſo , crudo , & pituitoſo humore exiſtens. Eandem perficit , in quantum poteſt , informat , ac præparat , modo quo potens eſt ipſam obtinens innatus calor, vt exinde lumbrici procreentur : nihil enim putreſcens , ſed concoctum gignitur , ex Ariſtotele , dum loquitur de animalibus , quæ ſpontè naſcuntur. *3. gener. animal. c. 11.*

Cum igitur pueri plurimo abundent calido innato , plurimamque habeant materiam ad putreſcendum aptam , propter inordinatum victum , fit , vt lumbrici puerilis morbus dicantur : comitantur etiam adoleſcentes : iuuenibus rarò eueniunt propter ſiccitatem propriam illi ætati , rarò etiam ſenibus : quia licèt excrementis pituitoſis abundent , deeſt tamen eis plurimus ille innatus calor, qui excrementa contineat.

Sed iam tempus eſt , vt de loco , in quo gignuntur , pauca quædam dicamus Galenus in præſente , inteſtina locum eſſe , ait , in quo lumbrici generantur , & in commento aphoriſmi vnicuique ſpeciei peculiarem locum aſſignauit : aſcarides enim in parte inferiore craſſi inteſtini gignuntur : teretes in ſuperioribus inteſtinis magis , adeò quod aliquando ad ventriculum aſcendunt : lati per tota extenduntur inteſtina. Ariſtoteles etiam , in loco coctionis animalia gigni poſſe , negat , & adeò recepta eſt à magnis viris hæc ſententia, vt Rabi Moyſes Ægyptius ex ea conficiat aphoriſmum, ſiue vt melius dicam , axioma. *4. meteor.*

Clamat tamen Amatus Luſitanus , non eſſe Audiendum Ariſtotelem , & tamen neſcio , cur Galenum præterit , qui eiuſdem cum Ariſtotele ſententiæ eſt. Petrus tamen Aponenſis modeſtiùs ſe gerens , Philoſophum amicè interpretatur , eſséque intelligendum , ait , vermes non gigni in ventriculo benè diſpoſito. Quæ interpretatio profectò inepta eſt. Nam in ventriculo ſano , & be- *cent. 1.* *diff. 101.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

nè diſpoſito manifeſtum eſt, nullum adeſſe morbum: at lumbrici ſunt morbus: non igitur, Ariſtoteles adeò ineptam ſententiam protuliſſe cenſendus eſt, videlicet in ventriculo ſano non eſt morbus.

Rationes, quibus Aponenſis perſuadere conatur in ventriculo vermes gigni, multæ ſunt, ſed ex multis præcipue ſunt iſtæ. Vermes fiunt ex pituita putreſcente cum calore naturali materiam amplexante: vtrumque reperitur in ventriculo: cur ergo ibi non fient vermes? Deinde idem eſt commodum ad generationem, quod ad conſeruationem: conſeruantur in ventriculo, vt oſtendunt ſymptomata, oſtendit frequens exitus eorum per os, oſtendit, & autopſia: igitur ibi poſſunt generari. Imò quemadmodùm ranæ, cochleæ, ſi viuæ iniiciantur, conſeruantur in ventriculo, ita etiam & lumbrici. Tandem fæculenta putredo, quæ in inteſtinis adeſt, non eſt apta, vt à calore comprehenſa vermes gignat: putrefactio autem, quæ in vermes abire poteſt, commodior eſt in ventriculo.

Mercurialis lumbricos diuidit in veros, & non veros. Tunc addit, veros lumbricos in inteſtinis duntaxat gigni, non veros autem in aliis corporis partibus. Cæterùm quos ille veros lumbricos appellet, non conſtat, ſiquidem ſe ipſum non declarat. Forſitan ex Thoma à Veyga poſſunt illum declarare, qui ſi de frequentibus vermibus agatur, in ſolis inteſtinis reperiri admitti: rara enim exempla ſunt nonnullorum, qui non ſolùm in ventriculo, ſed in omnibus ferè partibus naſcuntur.

Gabuccinus acriter in Aponenſem inuehitur, & eius rationes ſoluere conatur. Nam in primis, licèt in ventriculo detur pituitoſus humor, detur etiam calor ingens, ex quibus generatio vermium conſtat, motus ventriculi frequens propter cibum, & potum nunc ingredientem nunc egredientem impendit, quominùs iidem fiant in ventriculo. Iam verò, eundem eſſe commodum generationi locum, qui conſeruationi eſt commodus, non eſt perpetuæ veritatis: multa namque aſſeruari poſſunt in loco, in quo non poſſunt naſci, ſic piſcium aliqui extra aquas gignuntur, non tamen extra aquas conſeruantur, & animalia extra ſuas matrices conſeruantur, non verò extra matrices gignuntur. Rurſus in matricibus gignuntur, non verò in matricibus, niſi ad certum tempus, conſeruantur: neque crediderim ranas, & cochleas diu in ventriculo viuas aſſeruari, ſed ab eiuſdem calore ingente concoqui. Addo, ea, quæ in vno loco aſſeruantur præter naturam, ita vt ibidem ſæua inducant ſymptomata, non dicuntur

conſeruari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

conſeruari. Lumbrici ad ventriculum aſcendunt propter famem, & ibi non queunt conſiſtere, ſed exeunt per os, imo aliquando, ait Auicenna, ventrem perforarunt, & vt Paulus, per inguina viſi ſunt erumpere. Tandem in inteſtinis non eſſe materiam vermium, dici haud quaquam poteſt, ſiquidem non ſolùm fæces, ſed pituitoſa etiam excrementa non pauca illuc deſcendunt.

Afferunt nonnulli Galenum dicentem, cibum nonnunquam corrumpi in ventre, vnde colligit, ibi materiam lumbricorum adeſſe. At Galeni verba ſunt, corrumpi in ventre præcipuè inferiore, ventris autem inferioris nomine etiam inteſtina intelliguntur: eſt enim mos non Galeno duntaxat, ſed etiam Hippocrati, per ventrem inferiorem non ventriculum ſolum, ſed ieiunum, & reliqua intelligere inteſtina; Quòd ſi ventriculum intelligamus, corrumpitur quidem ibi cibus, ſed corruptus per inteſtina labitur. Sic etiam intelligendum eſt dictum Theodori Priſciani, quem Conciliator citat, Viri quantum coniectura aſſequi poſſum, ſummæ authoritatis: ait enim ex corruptis humoribus in ventriculo, & ex incompetentibus cibis ſæpe præſumptis, aut ægritudine lumbricos naſci, qui aliquando eundem ventriculum, aliquando inteſtina poſſident. Poſſidere dixit, non autem gigni, vt ſignificaret, poſſe lumbricos in ventaculo eſſe, non verò ibi fieri. Tandem ſi aliqua eſſet ſpecies, quæ in ventriculo gigni poſſet, eſſent teretes, quia teretes ſunt, qui per os exeunt, ſed iſtos, Galenus ait, ad ventriculum aſcendere: igitur infra ventriculum eſt generatio eorum.

Itaque quemadmodum alibi ex Galeno recepimus, lapides in renibus, & veſicâ generari, ita vt iſta ſint loca, in quibus frequenter gignuntur, non eſt tamen vt excludamus multa alia, in quibus tanquam monſtroſi quidam prouentus lapidum concreſcere ſolent. Eodem etiam modo de lumbricis cenſere oportet. Gignuntur quidem teretes in inteſtinis ſuperioribus, aſcarides in longanone iuxta muſculum eſphincterem in inferiore ſcilicet recti inteſtini regione, lati per tota inteſtina, & hæc frequens eorum generatio: frequentem dixi, licèt rarò lati conſpiciantur, rarò etiam aſcarides, ſed quoniam, cum fiunt, frequentiùs fiunt in inteſtinis, quàm alibi: Qui fiunt autem alibi, ſiue lumbricos appelletis, ſiue vermes parum intereſt. Illud ſolùm ſcitote, quòd cum in aliis corporis partibus extra inteſtina gignuntur, id monſtri loco habendum eſt, vtpote quod cum admiratione auditur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

l.3.tr.2.c.3.

In viis vrinariis vermes naſcuntur. Gentilis vidiſſe ſe teſtatur nobilem Peruſinum nomine Guidarolum de Ballionibus, qui paſſus eſt quotidianam cum dolore renum, per octo menſes, & in conualeſcentia emiſit cum vrina vermes paruos, & latos, & ceſſauit dolor. Fernelius exiguos interdum vermes in renibus genitos, cum vrinâ profuſos vidit. Scholiographus etiam conſpexit duos, quibus pituita putreſcens in vermes vertebatur, quos emingebant. Idem refert Beauclerum aduocatum poſt dolores renum, magnum vermem eminxiſſe. Et alibi in quodam è renibus longos vermes, præcedente magno dolore lumborum, per vrinam reiectos fuiſſe, ait, in aliis duobus paruos. Dalecampius vidit vermem cum vrina excretum, capite acuto corniculato, ventre, & dorio latiore teſtulaque ſubdura induto inſtar teſtudinis, nigro, ac duntaxat circa ventrem rubeo colore infectum. In renibus Sereniſſimi Erneſti Auſtriaci poſt alia vermem oblongum viuum, qui interiora principis corroſerit, & mortis cauſa fuerit, deprehenſum prodidit Ianſonius. Vermes quamplurimos veſica generatos, & ſimul cum vrina pluries eiectos vidit Mundella in quadam muliere, quæ vrinæ difficultatem patiebatur, & dolorem, dum mingeret, vt videre eſt apud eundem Mundellam. Dodonæus in annotationibus Beniuenij, cuidam viro accidiſſe, refert, vermem in veſica habere, qui multis modis moleſtus fuit donec tandem per penis meatum ſponte egreſſus finem doloris impoſuit. Senex octogintaquatuor annorum vermem in veſica habebat, qui continua ſuctione punctiones, & dolores circa collum eiuſdem excitabat, & vrinæ præcludebat iter: erat vermis hic erucæ in modum biceps, qui ſi quando contraheretur, longitudine pollicem æquabat, ita vt niſi biceps fuiſſet nonnulli ſanguiſugam exiſtimaſſent, ſi verò explicabatur ſexdecim pendebat vncias: maculoſus prorſus erat punctis quibuſdam ſtriatus, ventre fului coloris, candicante, interſtincto linea: ſuperuixit ab eo, quo extractus eſt die ad longum vſque tempus. Refert Viſcerus in ſuis obſeruationibus, virum conſularem quinquagenarium ſanguinem merum copioſum eminxiſſe, mox cum lotio non cruento eiecit vermem viuum adhuc digito minimi ferè magnitudine, pennæ eſcriptoriæ craſſitie in medio, capite, & cauda in faſtigium acuminatis, colore fuſco, quo excreto, & dolor hypochondrij, & mictus ſanguinis, qui priùs infeſtabant, ceſſarunt. Ioachimus Camerarius accepit à Thoma Mermano Sereniſſimi Bauariæ Ducis archyatro, mulierem quandam vehemente dyſuria laborantem, tandem per vrinam excreuiſſe

Marginal notes: in Parol.l.b. 6.cap. 10. — ad lib. 1.c. 50. Holerij. — cap. 54. — dialog 4. pag. 43. — ad cap. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

uiſſe vermem longitudine ſpithamæ, quo facto ſatis commodè poſtea valuiſſe, adhibitis medicamentis, euacuationibus, & vrinarias vias abſtergentibus. Ab eodem proditum eſt, in nobili virgine, cui menſes ſuppreſſi fuere, cacochymica, & inordinatè viuente, fermè per integrum annum, quibuſdam interuallis interpoſitis, per vrinam vermiculos maiores cimicibus ſatis multos fuiſſe eiectos: idem in quodam viro obſeruauit, qui phthiſi mortuus eſt. Vuierus de præſtigiis dæmonum, & Lemnius de occultis naturæ miraculis teſtantur, ſe vidiſſe animalia minuta in vrinis innatantia, & per vomitum etiam vermiculos caudatos. Iacobus Moccius refert, quendam, cum diu vrinæ difficultate laboraſſet, viuum ſcorpionem cum vrina reddidiſſe, à quo excreto meliuſculè habere cœpit. Cardanus admirandum narrat mictum vermiculorum plurium alborum breuium, tenuiſſimorum, qui nec pediculi dimidium æquabant, diuque viuebant. Rondeletius in hiſtoria piſcium de cancro fluuiatili ait, capillares vermiculos aliquando ſibi fuiſſe oſtenſos à præceptore ſuo Gilberto Griphio, qui facilè parùm aduertentes latuiſſent. Cucurbitinos mictos, & viuos vidit Montuus, vt refert in anaſceue morborum. Argenterius, referente Rondeletio, aſſeruit ſe vidiſſe cum vrina reiectum draconem cum alis. Paræus, comitem Carolum de Mansfeldi illuuiem excreuiſſe, ait, per vriniarium ductum: animalis effigies (quoniam author deſcriptionem non adiecit) picæ aui haud abſimilis erat.

lib.3.c.15.
lib.2.c.4.
lib.4. aph. com.76.
lib.4.c.19.

Nec ſolùm ex vrinariis vaſis, ſed ex quam plurimis etiam corporis membris vermes eiectos viderunt quamplurimi. Beniuenius vermem è pectore tuſſi reiectum vidit. Vidi ego puerum, qui nec vomitu, nec tuſſi vermes per os eiiciebat, ſed pruritum ſentiens manu extrahebat; Florentiæ mihi vidiſſe contigit Clariſſimum Alexandrum Guadagnium, qui in gula ſentiens quaſi catarrhoſi humoris moleſtiam, vermem teretem rotundum excreatu eiecit. Vidit prædictus Beniuenius quendam capitis dolore vexatum, oculis caligantibus, delirantem, inſuper vomentem, mutum, frigidum toto corpore iamiam pene morientem, qui robuſtioris naturæ vi vermem è dextra nare palmo longiorem eiecit, quo pulſo omnis ſtatim amotus eſt languor. Per nares ſe, & alios non raro excretos vidiſſe lumbricos fidem facit Amatus Luſitanus, qui miram rem narrat, nempe puellam trimam fuiſſe, cui per oculi interiorem partem, quam angulum magnum appellamus, lumbrici cuiuſdam caput apparere cœpit, oculum ipſum non raro occupans, turbanſque quem extraxerunt aliæ puellæ; erat longitudinis ſemipalmaris, coloris albi, craſſitudinis liniæ,

lib.19.c.3.
c.77. de abditis morborũ cauſis.
7.cent.cur. 63.
qui etiã in vtero vermes repertæ ſunt, vt autor eſt Garcias Lopez.

liniæ, viuus nulla noxa à puella recepta, aut foramine vllo euidente relicto.

Vermes in auribus, apud Oribasium, in dentibus, apud Auicennam sub lingua, & in vlceribus, apud Valescum, in hepate, apud Albucasim, in pulmone, & thorace, apud Alsaharauium, & Zoar, in sanguine intra venas, apud Plinium, in partibus musculosis, vt dracunculi, apud Paulum, in hominis cute, & epidermide, apud alios inuenietis. Volumen conficerem, si omnia, quæ ab authoribus de hac re prodita sunt, referre velim, ita vt ex hinc vel maximè humanæ naturæ miseria pateat, siquidem præter alia tædia, ab his etiam non est immunis.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

INDEX
RERVM ET VERBORVM.
Quæ in hoc opere Continentur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

B

Balbus.

C

Caput.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Galenus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Morbo

Mors.

Causa

Periculum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Sanguinis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

5644536

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.277